





E libris Frid. ab Reiffenberg.




PETRI D'OVTREMANNI
VALENTIANENSIS E SOCIETATE IESV,
CONSTANTINOPOLIS BELGICA,
SIVE DE REBVS GESTIS A
BALDVINO ET HENRICO
IMPP. CONSTANTINOPOLITANIS.
ORTV
VALENTIANENSIBVS BELGIS.
LIBRI QVINQVE.
ACCESSIT
DE EXCIDIO GRÆCORVM
LIBER SINGVLARIS.

Cum vberibus ad vtrosque Notis.

Opus non iucundum magis, ob incredibilem magnarum rerum varietatem; quæ CCL omnino annis in Oriente gestæ sunt: quàm gloriosum Belgis, Gallis, Italis, Hispanis, Germanis, cæterisque prope omnibus Europæ populis: ad quos geminata Constantinopolis expugnatio, & deportati de Græcis, ac Barbaris triumphi pertinent.



TORNACI,
Ex Officinâ ADRIANI QVINQVE' Typographi Iurati,
Sub Signo SS. Petri & Pauli.

Anno M. DC. XLIII.


SINE LABE.



REVERENDO ADMODVM
IN CHRISTO PATRI AC DOMINO,
D. CHRISTOPHORO LABE
CELEBERRIMI VICONIENSIS
MONASTERII PRÆMONSTRATENSIS
ORDINIS
ABBATI MERITISSIMO.

CONSTANTINOPOLIM BELGICAM *Tibi sacram dicatamq; esse volui*, REV.DE ADMODVM DOMINE, *pluribus de caussis. Iam pridem in ære tuo sum; munus hoc habe: non quidem pretium, vt me deuinctum liberem, sed pignus, vt obstringam: non referendæ gratiæ, sed testandæ. Tum verò* VICONIENSI *Infulæ recèns inaugurato æquum erat aggratulari me non linguâ magis, quàm manu. Anathema igitur nouæ dignitati tuæ appendo: quod per se haud magnum, pondus ab animo meo accipiet. Demum po-*

tißimeq́; ideo librum hunc lucem aſpicere volui in nomine tuo, vt hinc lucem aliquam tenui huic, & obſcuræ alioquin dictioni conciliarem: & viciſsim nomini tuo lucem, ſi non affundere ab Auguſtis heroïbus, illuſtri huius Operis argumento: certè per eos iam à Te comparatam quaquauerſum diffundere conarer. Sed reuera parum hoc eſt præut à virtute tibi gloria, & inclytum nomen parata ſunt. Longæuitatem huic operi voueo: æternitatem Tibi. Ingenij noſtri partus tollere, & fouere natura ſuadet: virtutes, animorum fœtus, etiam in alijs diligere, ac venerari diuina lex iubet. Illi temporis falcem non effugient; hos

Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetuſtas.

Interibunt libri, exedentur marmora, corruent aliquando mauſolæa, & VICONIENSE templum, octauum fere Orbis miraculum, abſumet dies; pariterq́; Auctorum, ſculptorumq́; nomina obliterabit. At Charitas numquam excidit: ſiue prophetiæ euacuabuntur, ſiue linguæ ceſſabunt, ſiue ſcientia deſtruetur. Nomen Tibi ab vtroque quæſitum eſt, Ampliſſime Præſul; proinde non eſt quòd ſplendoris deliquiū quiſquam tuæ gloriæ vereatur: quamdiu conſtabis tibi. Magni nominis dumtaxat vmbra ſunt quæcunque ingenij, ac felicitatis humanæ ornamenta. Nomen à virtute ſolâ, ceu radius à ſole emanat; quæ vt Dei nomen & gloriam ampliat: ita & nos verè glorioſos, ac nobiles: hoc eſt Deo notos efficit. Nouit Dominus qui ſunt eius: cæteri ignobiles, & ignoti

in

in turbâ delitescunt. Hoc nomen præsagire visus est, qui Tibi CHRISTOPHORI *nomen indidit: eoq; totius vitæ tuæ seriem compendio, ceu librum titulo, præscripsit. Christophori sunt Christiani omnes, magis propriè Religiosi, maximè omnium Sacerdotes: quos ideo Poloni indigetant Dei-gerulos: at excellenti quodam modo Religiosorum, & Sacerdotum Patres. Quærit nescio qui cur Christophori puerum gestantis imagines passim templorum propylæis appingãtur; respondetq; ridiculè quidem, sed non inscitè; eo emblemate innui magnorum omnino virorum humeris: hoc est magnatum fauore opus esse, vt pueri ætate, vel sensu in Ecclesiasticas dignitates intrudantur; iuxta illud Isaiæ vaticinium:* Dabo pueros principes eorum, & effeminati dominabuntur illis. *Tu certè non animo minùs quàm corpore procerus, haud magnatum fauore, sed merito tuo* VICONIENSEM *Infulam consecutus es; nec in eam inuolasti: sed per omnes officiorum gradus Nouitijs Præfecti, Oeconomi, Curionis, Prioris ad summum imperium à Deo euectus es. Vbique enim Te probasti* ἄμωμον, & SINE LABE *(quod appositè ad insignia tua, & mores symbolum vsurpasti) vbique* χριστοφόρος, & χριστόφορος, *Christum ferens, & ab eo vicissim elatus, cæterisq; iure prælatus. Vbique dignus habitus: qui non in vestibulo hæreres cum mutis illis, & mortuis simulacris; sed in adyta ipsa admittereris: in eaq; viuam Christi imaginem inferres. Perge porrò nomen tuum vtrumque implere; perge* * ALBE ABEL

* LABE

 candidi

accidi gregis candide, & SINE LABE Paſtor, diutiſſimè, feliciſſimèq; commiſſas oues ad æterna paſcua ductare, rectè atque ex vſu pedum moderatus: ſecundùm hos non inficetos rudioris ſeculi verſiculos; quibus Epiſtolam hanc claudo, non mea vota, & obſequia.

In baculi formâ, Præſul, datur hæc tibi norma.
Attrahe per primum, medium rege, punge per imum.
Attrahe peccantes, rege iuſtos, punge vagantes:
Collige, ſuſtenta: ſtimula, vaga, morbida, lenta.

Valentianis è Collegio Societatis IESV, *kalend. Martijs* MDCXLIII.



PRÆ-



PRÆFATIO
AD LECTOREM.



VALENTIANAS nuper dedimus opus, quantùm licuit, accuratum, & ad Patriæ commendationem exactum. Erat illud in quatuor partes distributum; quarum prima Vrbis illius, populique Annales digerebat; altera quæ in eâ notatu erant digniora cùm priuilegia tum ornamenta explicabat; tertia ædes quà sacras, quà pias ad originem, & auctorem quamque suum reuocabat; quarta demum virorum aliquot sanguine, ac rebus præclarè gestis illustrium, qui in eâ Vrbe lucem primam hauserunt, decora persequebatur. In ijs eminent

BALDVINVS eius nominis primus CONSTANTINOPOLITANVS Imperator.

HENRICVS eius frater, atque in eodem Imperio successor.

Henricus VII Romanorum Imperator.

Philippus Marchio Namurcensis, Balduini Imperatoris frater, cui Pœnitentis nomen inditum.

Ioannes Auesnensis Hannoniæ, & Valentianarum Comes.

Balduinus eius frater Bellimontis Comes.

Balduinus

Balduinus Luxemburgensis, Henrici VII Imperatoris frater, Archiepiscopus Treuirensis.

Isabella Balduini Imperatoris soror, Philippi Augusti Galliæ Regis vxor, S. Ludouici auia.

Ioanna, & Margareta Balduini Imperatoris filiæ, Flandriæ, & Hannoniæ ex interuallo Comites.

Beatrix Hannonia, Luxemburgensis Comes, Henrici VII Imp. Mater. His Principibus cùm viris, tum feminis adiuncti erant.

Renerius de Tricht è Valentianarum VI-viris, seu Paribus, subinde Dux Philippopolis in Thraciâ.

Carolus Lannoius Sulmonæ Princeps, Neapolitanus Prorex; qui Franciscum eius nominis primum Gallorum Regem ad Ticinum manu cepit.

Philippus Lalani Comes, summus Hannoniæ, & Valentianarum Præfectus, &

Emmanuel Lalanus Rentiaci Marchio; qui fratris Præfecturas excepit.

Hi omnes patriam suam virtutum splendore mirùm quantùm collustrarunt. At quia tamen res eorum gestas non modò compendio, verùm etiam vernaculo idiomate perstricta, non nisi pauculis gentibus vulgauimus; non tam eo opere heroum illorum laudibus, & dignitati: quàm ciuium nostrorum res patrias noscendi desiderio velificati esse videamur. Quippe breuitatis studio plurima in Balduini, & Henrici Imperatorum epitome subticenda nobis fuere; quæ meritò exteri requirant; qui populares suos non ignorât in eorum laudum societatem venire debere: quorum vt laborum, sic & victoriarum socij, ac participes extitere. Igitur è publicâ re censuimus esse horum Imperatorum vitam, & Latinorum in Græciâ victorias Latinâ oratione perscribere, quod nemo, quantùm scio,

hactenus

hactenus ex professo præstitit. Quid enim potiùs? Iulij Cæsaris Commentarios tantùm non exosculamur, vel eo nomine quòd patriæ nostræ (cuius alioquin libertatem iniustè oppressit, opes auarè diripuit, ciues crudeliter, atque oppida deleuit) antiquos populos locosúe recenseat, & Belgarum delibet facinora, insciè sæpe, sæpiùs falsò: vbique nomini suo ex nostratium infelicitate gloriam aucupatus. Nos contrà popularium nostrorum, ijsq; fœderatorum, illustria facinora: quibus Græciam attonuerunt, & subegerunt, in eaque rerum gestarum gloriâ patriam suam cœlo proximam reddiderunt, syncerè, fideliterque vulgamus. Tametsi enim veterum Scriptorum fide nitimur, Græcorum inprimis, quæ ambigua passim audit: tamen in hâc parte vix quidquam illis detrahi meritò potest, ita examussim cum nostris consentiunt: nominatim Nicetas cum Villehardaynio; ambo non modò horum temporum æquales, sed spectatores; nec spectatores tantùm, verùm etiam actores, ille Constantinopoli: hic in Sociorum castris; ille Logotheta, siue Cancellarius: hic Protostrator, siue Marescallus; quos proinde neque ipsa Principum, quibus plerumque intererant consilia, nedum palam gesta latere potuerunt.

Iam verò quantùm ad historiæ fructus attinet: haud scio an vberiores aliunde decerpi à Lectore possint. vtique quas historiæ laudes compendio Basilius Imp. Leoni filio suggerebat: huic nominatim, nec immeritò tribuas licet. *Per historias* (inquit) *veteres ire ne recusa. Ibi enim reperies sine labore, quæ alij cum labore collegerunt. atque illinc hauries & bonorum virtutes, & improborum vitia: vita humana varias mutationes, & rerum in eâ conuersiones: mundi huius instabilitatem, & Imperium præcipites casus, Et, vt verbo complectar, malorum facinorum pœnas, & bonorum*

norum præmia; quorum illa fugies, ne in diuinæ Iustitiæ manus incidas: hæc amplecteris, vt præmijs, quæ ea comitantur, potiaris. Hæc Græcus ille Imperator in libello, quem κεφάλαια παραινετικὰ inscripsit, probo, pio, & digno, quem Principes legant.

Lipsi lib. 1. Polit. c. 9.

Vt Historia ad prudentiam ciuilem vtilis sit, tres notas in ea requirit Lipsius: veritatem, explanationem, iudicium. Veritas Historiæ oculus est, quem affectus sæpe vel credulitas obscurat. Ego, quemadmodum præmonui, nihil ex vano haustum exscripsi. Auctores idoneos, & probos sequor; si quando deerrant, in viam, quà fas est, reduco. Explanationem deesse passus non sum: vt ex Taciti monito non modò casus euentusque rerum, sed ratio etiam caussæque noscantur; quanquam in mediæ ætatis historicis plus hac in parte coniecturis, quàm rationi solidæ locus relinquitur: ita Laconici, & implexi sunt. Iudicium verò præcipuum scriptoris munus, quod damnando, aut probando discrimen lumenque rebus adhibet, num in hoc opere eluceat Lectori beneuolo pronuntiandum permitto. Equidem styli elegantiam, aut sermonis puritatem, inter probæ historiæ notas à Lipsio non enumerari vehementer gaudeo: quam vereor ne teretes huius temporis aures hîc desiderent. Amplector hoc sapientissimi Patris Augustini iudicium. *Non ideo verum, quia impolitè enuntiatur: nec ideo falsum, quia splendidus sermo est, sed perinde esse sapientiam, & stultitiam: sicut sunt cibi vtiles, & inutiles; verbis autem ornatis, & inornatis, sicut vasis vrbanis, & rusticanis vtrosque cibos posse ministrari.* Ita ille. Cibos ego vtiles appono: lancibus aureisne, aut argenteis, an fictilibus parum refert; certè quantùm per tenuitatem meam licuit, non sordidis, aut barbarie lutulentis: ne fastidium delicatulo creent.

Tacit. 1. hist.

S. Augustin. l. 5. Conf. c. 6.

Opus

AD LECTOREM.

Opus totum in quinque libros dispescui; quorum primus ea complectitur, quæ Balduinus, & Henricus ab ipso ortu ad assumptam ab illis Crucem, sacramque militiam gessere. Altero ipsa sacra expeditio, quam Cruciatam dicebant: tum versis à Palestinâ in Græciam signis, prima Constantinopolis expugnatio, & Isaaci atque Alexij in Imperium restitutio describitur. Tertius liber horum Imperatorum obitum, alteramque Byzantij expugnationem edisserit. Quartus Balduini electionem, victorias, & demum mortem comprehendit. Quinto & vltimo Henrici eius fratris, dein vtriusque nepotum, qui ijs in Imperio successere, fortunam enarrat. Adieci De Excidio Græcorum librum singularem, ea complectentem, quæ à receptâ per Græcos Constantinopoli, ad eandem per Turcos expugnatam, acta sunt. Demum notas ad calcem attexui; quibus parerga quædam selectiora fusiùs, quàm historiæ contextus requireret, seorsim explanarentur: tum Chronologiæ ratio adstrueretur; ad vltimum Græci Scriptores recenserentur, aut versiones corrigerentur. Quæ omnia boni consule, mi Lector, & vale.



 INDEX

INDEX CAPITVM
CONSTANTINOPOLIS BELGICÆ,
LIBER PRIMVS.

CAP.

INDEX CAPITVM.

LIBER II.

LIBER III.

LIBER IV.

dunii

LIBER V, ET POSTREMVS.

CAP.

FINIS.

DE EXCIDIO GRÆCORVM

LIBER SINGVLARIS.

CAP.

FINIS.




IN CONSTANTINOPOLIM BELGICAM, ET VALENTIANENSEM R. P. PETRI D'OVTREMANNI EPIGRAMMA.


Patria! ô ingens Belgarum gloria VALLIS
Vel ſeptem Dominis inuidioſa iugis!
Heroum fęcunda parens; quibus vtraque ROMA
Subdidit Imperij ſceptra ſuperba ſui.
CYGNORVM VALLIS, aquilarum nidus, vtroque
Augurio felix tollis ad aſtra caput.
Sunt aquilæ HENRICVS, BALDVINVS, TRITHIVS; illis,
Graculus vt, præda Græculus vſque fuit.
Threïcium ſolio deturbauere Gradiuum.
Belgiacoque NOVA eſt ROMA ſubacta iugo.
Attamen has palmas, hæc parta trophæa vetuſtas
Mergere lethæis auſa fuiſſet aquis:
Ni decora hæc vulgaſſet Olor; quæ vindice pennâ
Mnemoſynæ æternis fert anathema tholis.
Rurſum OVTREMANNVS calamo proſternit Achiuos;
Atque VALENTIADÛM, Boſporon, enſe domat.
OVTREMANNVS amor Phæbi, Suadæque medulla,
Henrici creſcens fama, decuſque Patris.
Ciuibus hic noſtris Græci diademata regni
Aſſeruit, patriæ reſtituitque ſuæ.
Viue per ora volans, aquilarum gloria Cygne:
Serta tuas cingant laurea querna comas.

F. DIXEMVDE DOM. DE LA BALGHE
Valentianarum Præfectus.

EPI-



EPIGRAMMA.

AD R. P. PETRVM D'OVLTREMANNVM CONSTANTINOPOLIS BELGICÆ SCRIPTOREM.

ANAGRAMMA.

PETRVS D'OVLTREMAN.
PRVDENS MVLTA TERO.



ETRE tibi calamum cùm præbuit Aonis, vnà
Et clauem, & limam tradere visa fuit.
Illa antiquorum è latebris monumenta virorum
Eruit: Historicos expolit ista libros.
PRVDENS MVLTA TERIS, quæ iam rubigo, situsúe,
Reddiderant Dominis inficienda suis.
Seu Latium peragras, siue Hellada: vbique vetustas
Emaculanda tuo sistitur ingenio.
PRVDENS MVLTA TERIS dispescisque ordine, mores
Lector vt hinc discat composuisse suos.
Huc geminos cogis diuersa ad castra maniplos,
Tessera quos [a] IESV, quos [b] CRVCE signa notant.
Tum Patriæ in laudes excurris: vt aggere rupto
Torrens Hybernis exspatiatur aquis.
Hîc equidem BALDVINE tuos, fratrisque triumphos,
Arguto patrius gutture cantat Olor.
Quod patrius tamen est, & Gallica verba locutus
Ille peregrino non potis ore legi;
Ausoniâ placuit linguâ vulgare, decusque
Belgarum extremos mittere ad Antipodas.

Versiones variæ.

a Tabella virorum Illust. Soc. IESV.
b Petrus Eremita, & Cruciata.
Historia Valentianensis.

Constantinopolis Belgica.

Scilicet

Scilicet hæc patriæ pietas tibi pendere suasit:
  Iussit at Auctori reddere plura Deo.
MVLTA iubente illo PRVDENS monumenta recentis,
  Et veteris Sophiæ sacra prophana TERIS.
Vt doceas quantò mortales ardeat ignê *Amor Crucifixus.*
  Qui Verbum æternum stipite fixit AMOR.
Hoc studio PRVDENS quæ MVLTA, & maxima censet
  Ambitio, vt cœnum tu pede, PETRE TERIS.

IACOBVS DESPRETS
Vrbi Valentian. ab Actis.



Facultas

Facultas R. P. Præpositi Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Gallo-Belgica.

EGo infrascriptus, Societatis IESV in Gallo-Belgicâ Prouincialis, iuxta Priuilegium eidem Societati concessum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne Libros ab eiusdem Societatis hominibus compositos, absque Superiorum permissione imprimant, facultatem do ADRIANO QVINQVE' Typographo Tornacensi, vt Librum, cui titulus est, *Constantinopolis Belgica; siue de rebus gestis à Balduino & Henrico Imperatoribus Constantinopolitanis ortu Valentianensibus Belgis: item de Excidio Græcorum Liber singularis:* à R. P. PETRO D'OVTREMAN eiusdem Societatis compositum ad sex annos proximos imprimere & liberè distrahere possit. Datum Insulis 24. Februarij 1643.

IOANNES LE PESSIER.

APPRO-

APPROBATIO.

VTrumq; hoc opus Constantinopoleos Belgicæ, & de Excidio Græcorum *reuolui & expendi, nihilq; in vtrolibet reperi quod vel pias aures vel bonos mores offendat. Argumenti maiestas, perpetua quædam rerum magnarum series, styli elegantia, sententiarum vbertas Lectorem non oblectant modò, sed etiam instruunt, docentq; paternam Dei in regundis Imperijs Prouidentiam, eiusq; in puniendis impiorum Regum sceleribus Iustitiam. Ideoque dignißimum iudico quod lucem aspiciat. Actum Tornaci 17. Martij anno Domini 1643.*

IOANNES BOVCHER S. Theol. Doctor. Canonic. & Archidiac. Tornacen.

CONSTAN-

CONSTANTINOPOLIS BELGICA.

LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

BALDVINI *natale solum. Parentes, ortus.*



QVonam iure Valentianis Hannoniæ Comites imperitarint: quóue adeo pacto eâ in vrbe Balduinus & Henricus primam lucem hauserint, antè mihi explanandum est, quàm initium narrandi faciam.

Quis. Fontan. M.Sc. Chron.

Vrbem hanc qui primi condidêre atque habuêre initio §. I. Valentianarum origo.
nobis incompertum est. A Brenno Senonum Duce condi-
tam qui volunt, ab nominis propiùs quàm veritatis affini-
tate abludunt: vt & ij qui à cygnorum vallem hanc in-
colentium multitudine dictam esse, comminiscuntur. Va-
lentinianus Imperator Valentis frater bellis forsan, certè
senio * deturpatam in * splendorem dedit, pomæria pro- 1.
tulit, deque suo nomine * Valentinianas, quo modo passim 2.
apud antiquiores legitur, dici iussit. In * Neruijs sita est, 3.
eamque ob rem iuxta descriptionem à * Constantino fa- 4.
ctam Belgicæ secundæ iampridem adlecta. Post deletam 5.
verò Bauacum Neruiorum Metropolim, * Fanum-Martis 6.
(Castri id nomen est, primo Valentianis lapide) transla-
tum Romanorum præsidium subiectæ ditioni iura, & no-
men dedit. Comitibus ergo seu Præfectis * Fanomarten- Comites.
sibus paruit vrbs nostra: siue ij à Romanis, siue à Came- 7.
racensibus Regulis, seu subinde etiam à Francis regundæ

Dio. Tacit. Ammian. Lib. Prouin. Greg. Turon. Sigeb.

prouinciæ submitterentur. Quorum nomina conijcere veriùs licet, quàm affirmare. Facilius fuerit, qui supremum
8. in eam imperium exercuerint, referre. Nam Gallos, * Austrasios, Lotharingos, vt factæ sunt suo tempore Gallici Imperij diuisiones, Germanos demum Imperatores venerata
9. est. Vt enim à * Lothario Galliæ pars Lotharingia dici cœpit, quam illinc Rhenus alluebat, hinc claudebat Scaldis: Valentianas in Marchiâ, hoc est confinio Fran-
10. ciæ & Lotharingiæ esse eo cōtigit, quòd eas * Scaldis Imperij, & Regni vulgatus eâ tempestate limes interfluit. In hac vrbe cum Carolus Magnus, tum eius liberi Comitia
11. diesque festos non rarò celebrarunt, in quâ etiam * Palatium habuere: & tam vrbi, quàm subiectæ regioni Comites præfecere. Varij deinceps eo munere functi sunt, prout Regibus adlubuit; donec sensim, vt fit, maiores animos subiectæ nobilitati, vel Principum socordiâ, vel factionum faciente potentiâ Prouinciam quisque quam regebat, mancipio & nexu suam Præfecti asseruerunt, legitimis dominis solâ clientelari professione contentis. Quæ res post Normannorum in Galliam irruptionem potissimum cœptæ, subinde inualuerunt.

§. 2. Henrico Gisilberti Lotharingiæ Ducis filio (nec enim altiùs lubet repetere) Valentianarum Comiti, sub annum Christi nongentesimum quadragesimum quartum in pueritiâ extincto, suffectus est Garnerus eius propinquus: qui pro Hannoniâ terrâ in acie contra Ragineri filios dimicans, occubuit. Hunc excepere Godefridus Virdunensium, & Arnulfus Cameracensium Comites. Atque hic quidem à Balduino Barbato Flandriæ Comite Valentianis pulsus, tum Ottonis Imp. armis restitutus, Anno Christi CIϽ VII. aut non multò secus sine prole obijt. Godefridus verò descriptâ ex testamento inter liberos hæreditate alias quidem alijs: Hermanno autem qui & Heczilo dictus est, Eyhamensem, seu Brachbatensem Comitatum cum Valentianensi attribuit. Et hic Mathildi filiâ Ragi- Anno Val. Flodoard. Sigeb. Baldric. Guis.
nero eius nominis IV. Hannoniæ Comiti consanguineo
nuptum

nuptum elocatâ, luculentum ſanè illi, ſiue matrimonij, ſiue donationis tabulis ad Valentianenſem Comitatum ius contulit. Atque inde, rerum humanarum pertæſus, in S. Vitoni Virdunenſis Monaſterio: vbi ſe circiter annum Chriſtianum CIↃ XXIX. deuouerat, haud multis pòſt annis diem clauſit extremum; eique Hermannus filius non diu ſuperſtes fuit. Quo factum vt Richildis Rageneri IV. filia Valentianas ſibi aſſeruerit: & pacto cum quibuſdam Arnulfi propinquis, poſſeſſionis inuidiam pecuniâ commutauit. * Caſtellanam tamen Valentianarum Dynaſtiam nominatim venditores excepere. 12.

Richildis inſuper & Hermannus eius maritus Hanno- niæ Comites ex Imperatoris auctoritate populorumque conſenſu, Valentianas, vt vulgò quidem fertur, cum Hannoniâ æterno vinculo eâ lege copularunt, vti ſarta tecta nihilominus, & illibata vtrique populo ſua maneret auctoritas: diſtinctæ vt antè, & diuiſæ ditiones, iura, libertates, & cætera eiuſmodi, nec alteri in alterum ius eſſet, aut imperium. Et reipſa horum poſſeſſionem ſępè licet ſæpiuſque à vicinis attentatam adhuc conſeruant Valentianenſes, conſeſſumque ſuum inter reliquas Belgij Prouinçias, ab cęteris diſcretum in Generalibus Comitijs, nec in poſtremis quidem, & cum iure ſuffragij, ſententięque dicendę in hunc vſque diem tuentur. Imo & nonnullos ex Hannoniæ Comitibus * Valentianenſis Comitis nomen, hos ſeorſim, illos vnâ cum altero principe titulo vſurpaſſe in comperto eſt. Habuit etiam hic principatus iam inde à primis ſuis Dynaſtis & Fecialem, & Sex-viros ſeu Pares ſuos: nobile non Valentianenſis modò dominij ſingularis, ſed inclytæ Prouinciæ documentum. At hæc tum in ipsâ eius vrbis, quam nuper euulgauimus Hiſtoriâ, accuratiùs diſcutiuntur: tum etiam in Notis, quas ad calcem huius operis atteximus, explicantur. Ab hac porro Richilde quæ Valentianenſem ſibi comparauit Comitatum, quemadmodum Balduinus noſter originem duxerit, eaque re Valentianis imperitarit, ex commodo alibi edocebo.

§. 3.

13.

Vt porrò vrbs, de quâ cœpimus dicere, eique attributus ager in Hannoniæ Comitum potestatem venit, ij vt plurimùm in eâ sibi domicilium delegêre, cùm eius amœnitate, tum potentiâ delectati, quam cernerent reliquis
14. suæ ditionis vrbibus longè præstare. * Montense quippe oppidum Hannoniæ caput: quod modò non hoc solo nomine, sed & alijs plurimis, cæteras suæ prouinciæ vrbes facilè antecellit per id tempus in cunis erat.

§. 4.
Balduinus Animosus Hann. C. Margaretã Flandram vxorem ducit.

Valentianis igitur solemni pompâ, pridianâ Paschalis festi vigiliâ, anni Christiani sexagesimi octaui supra millesimum & centesimum: Balduinus, cui postea Animosi Cognomen virtus fecit, pro more præcinctus, & eques inauguratus est. Atque idem anno vertente, mense Aprili & Paschalibus ferijs Margaretam Elsatiam Philippi Flandriæ Comitis sororem, Theodorici filiam: non sanguine magis, quem ab Lotharingicis heroibus ducebat, quàm virtute illustrem secum matrimonio coniunxit. Querceti Hannoniæ vrbe eæ nuptiæ celebratæ sunt: eâ magnificentiâ, siue splendorem, seu numerum conuiuarum attendas, quantâ fortassis haud aliæ vnquam. Ipse adeo Fridericus Imperator præsens adfuit, Germanorum principe frequentique nobilitate stipatus: & equestres ludos tum fieri solitos, non oculis modò, sed & manu decorauit. Philippus verò Flandriæ Comes, qui iam antea ex pacto Balduino ipsi, vt Duacensi vrbi, quam sibi vindicabat, nuntium remitteret, ducenas libras Arthesienses in annos singulos constituerat: trecenas alteras in Margaretæ sororis dotem attribuit; eique Bapalmense portorium (vinagium vocant) addixit. Vt videas quàm rara eo esset seculo pecunia: quo Flandriæ Comes Regibus non paucis æquiparandus, sorori in nobilissimam potentissimamque familiam elocatæ, eam argenti vim, quam hodie de plebis fæce lanio, textorue aliquis assignaret, tribuisse scribatur.

Gilbert. Gysl. M S. Chron. Oudegherst.

Harum occasione nuptiarum vetera vtrimque pacta sacramento confirmata sunt: fædusque Hannones inter, & Flandros

Flandros ictum; quo iurarunt eosdem se amicos, atque inimicos habituros, extra Imperatorem, Regem Galliæ, Leodiensemque Pontificem: quorum, priorum quidem vterque: postremi verò Hanno clientes erant. Hanno-niam etenim, Cæsaris hactenus solius beneficiariam, Richildis Episcopo insuper Leodiensi: spe eius operâ Robertum Frisium posse Flandriâ excludi, submisit. Balduinus itaque Hannoniæ Princeps, & Margareta Elsatia, bonum factum: sanctis matrimonij, amorisque legibus adstricti sunt. Et quia parentum gloriam, sine eorum dispendio decerpunt liberi: non pigebit de Balduini Animosi virtutibus hæc paucula ex Gilberto, eius Cancellario, & familiari, adscribere.

Gilbert. Deum, (ab eo enim ordiendum) ita hic Princeps sanctè, casteque coluit: vt haud aliud eius cultui præferret. Preter enim preces, quà mente, quà voce statis matutino, & vespertino temporibus fundi solitas: Missæ officium profestis, Dominicis autem festisque diebus omnino singulis, diurnas nocturnasque comprecationes, quas Canonicas vocant, omnes piè atque attentè frequentabat. Aduersus mortales, siue familiares ij essent, siue alieni, ita se comem semper mitemque adhibuit: vt nemo è toto eius famulitio repertus sit, qui asperiùs duriusûe ex animi æstu increpitum se ab illo meminerit. In egenos autem homines, Deoque sacras ædes prodigè prope eius se pietas effundebat. §. 5. Balduini Animosi virtutes.

Iam verò ab obedientiâ laudem sibi incredibilem comparauit; vt qui ne leuiculâ quidem in re, parenti suo vel iniurius, vel grauis vmquam fuisse deprehensus sit. Nec parentem solum, sed & Pædagogos suos eiusmodi curâ, officioque colebat; quæ etiam cum iam eques creatus esset, suique iuris factus, exercere perseuerauit. Vnum de multis hoc exemplum esto. Redierat aliquando appetente nocte, ex longâ difficilique venatione oppidò fessus, & ieiuno stomacho Balduinus: cum oblatum sibi lupum piscem auidè admouit ori; Pædagogus qui non longè

aberat, mox tussijt: & quod voce non audebat, hoc signo atque oculi nictu esurialis feriæ, cuius optimus Princeps non recordabatur, admonuit. Ille simul signum, cui non secus ac Pastoris sibilo ouicula assuêrat, intellexit: esculentum hoc frustum continuò ex ore egerere: caussatus illud cibi genus ad salutem minùs sibi conducere; & inde pudore suffusus, quasi piaculum consciuisset, incænatus sese cubitum recepit. Legat hæc ætas nostra; & dissimiles in imâ quamuis nobilitate mores nostros obstupescat.

§. 6. Studium litterarum.

Balduinus Animosus litteraturam politiorem, eodem Gilberto teste, mirùm quantùm adamauit. Prçter Grammaticam, & Rhetoricam, etiam Poëticam calluit: nec infeliciter pangendis versibus animum aliquando oblectauit. Quasque poterat grauioribus curis subductas, eorum, quos Philologos vocamus, scriptorum lectioni horas dabat. Manlio potissimum Boëtio familiariter vtebatur, eiusque de Consolatione opus non perlegerat modò, verùm etiam totum tenebat memoriter. Nequaquam tamen obfuit eiusmodi humaniorum litterarum studium, quin bello valeret plurimùm, & Animosi cognomen sibi quæreret. Nimirum Musas inter & Martem vetus est consuetudo: & Palladi non Ægidem semper & hastam, sed libros aliquando calamumque scriptorium in manus Poëtæ tradiderunt. Tenuit Balduinus vterque parens & filius quòd difficillimum videtur, ex sapientiâ modum: quem modum Principi aptum sic explicat Lipsius: vt neque nihil, neque omnia discat; fructuosa, non multa, & quod Liuius de Seruio postea Rege ait: eruditus sit artibus quibus ingenia ad magnæ fortunæ cultum excitantur. Liu. lib. 1.

Vnde Animosi cognomen.

E nobilitate etiam primâ nonnulli eò insolentis licentiæ eruperant: vt sanguine auito tumidi, cognatorumque opibus & auctoritate, necnon ipsius Ædificatoris morbo freti, paucis antè mensibus quàm is è vitâ excederet, Hannoniam, non secus atque si partum quæsitumque bello solum Gilbert. Gusf.

lum

lum esset, barbaricum in modum infestam habuerunt: quoslibet siue mercatores, siue viatores, indigenæ vel alienigenæ ij essent concutere, & spoliare adorti. Eorum Balduinus non suâ magis, quam nobilium virorum manu, quos in cognationem, veriùs in cognationis quemque suæ dehonestamenta, armauerat, profusam coërcuit audaciam, prædonum plerisque vel militum in acie, vel carnificis gladio in foro neci datis: magno sanè populi tum commodo, tum plausu: atque ex eo facinore Balduino Animosi cognomen inditum semper mansit. Hæc de eo Principe Gilbertus.

Guis. Porro Margareta vxor de his virtutibus, vti sexus fert conditio, marito nihil omnino concedebat: tantò securior de palmâ, quantò ei primas deferret in omnibus, vt scires ex tam apto, sanctoque coniugio nisi fortem, castamque sobolem progigni haudquaquam potuisse.

Eius primitias Isabellam Valentianis anno millesimo centesimo & septuagesimo enixa est Margareta, Philippi Augusti sponsam futuram, Ludouici Sancti Auiam. §. 7. Isabella &c

Anno verò consequente qui fuit eiusdem sæculi septuagesimus *primus* eâdem *in vrbe Valentianensi* Iulio mense Balduinum Filiorum primum peperit. Quo die, quóue in loco non constat. Prorsus existimo eâ in domo natum esse, quæ tum in castro Valentianensi posita, *Dongeon*, siue arx vocabatur: quamque interiectis annis Ioanna huius Balduini filia Franciscanis sodalibus concessit, quibus hodieque inhabitatur. Enimuero palatium illud quod anno præterito Balduinus huius infantis auus, in areâ, quam Comitis Aulam appellant, construere cœperat, nondum exædificatum erat, vt principis fæminæ puerperio conueniret. Maximè autem decebat, non Christianorum modò, sed & Paganorum exemplo, Senatus imprimis Romani: qui eam ædis partem, in quâ Augustus lucem primùm adspexerat in sacrarium vertit: domum illam, quæ tantum virum Orientis Imperatorem orientem excepit, Deo sacrari; quod & alteri in quâ * Henricus eius nominis

Anno 1171. Balduinus Constant. Valentianis nascuntur.

Sueton.

15.

nis

ANN. 1171. nis septimus Romanorum Imperator Valentianis itidem
§. 8. natus est, factitatum.

Balduini natali die vrbs conflagrat.

Qui Balduino nostro primus dies fuit, postremus prope toti oppido extitit. Ea siquidem, vti arbitror, nouitas excitauit ciuium animos: vt festo apparatu sua pro se quisque gaudia testari conarentur, extructis per compita pyris altè collucentibus. E quarum vnâ excussa fortè scintilla proximam domum corripuit: quæ celeriter aëre iam per Caniculam æstuante igne concepto latè fudit incendium. Mille domos Guisius, quater mille Gilbertus, aliiq; hoc incendio absumptas esse cōmemorant. Quod hoc siue portentum, siue casus aliis non paucis accidisse narratur. Eadem dies, eademque domus, quæ Sanctum Thomam Cantuariensem nascentem vidit, ignem concepit, vrbisque Londinensis partem maximam in fauillas redegit. Ad Alexandri Macedonis exortum Dianæ templum Ephesi deflagrauit, & ridiculo locum dedit commento. Adulatores quippe affirmarunt Dianam, quæ & Lucina, puerperiisque præesse dicitur, ad tanti heroïs partum ita se totam exeruisse, vt ædis suæ seruandæ meminisse nequiuerit.

Gilbert. Guis. M. Sc. Chron. Surius.

Veneti infeliciter rem gerunt in Græciâ.

Hic idem annus hoc memoriâ dignus est, quòd Veneti magnam classem viris armisque instructissimam contra Græcos immiserunt; haud alio operæ suæ pretio: quàm quòd peste in eâ conceptâ, Græciæ primùm littora, tum verò, retro abire compulsi, Venetam ipsam vrbem eum in modum infecerunt, vt superstitum faciliùs, quàm defunctorum numerus iniretur. Plebs verò consilium ab euentu æstimare solita, Ducem suum eius expeditionis auctorem tumultuosè necauit, eique Sebastianum Zanni summâ in præfecturâ suffecit.

Sabellic. Contaren.

Scilicet frustra Veneti Græcorum perfidiam vlcisci, nisi eius virtute qui modò nascitur, & armis sperauere. Balduinus * nomen à patre, & auis accepit, rebus quas postea
16. gessit apprime conueniens; Teuthonicâ quippe linguâ, à
Balduini nomen.
quâ potissimùm Franci & Belgæ sua nomina mutuantur,

Celeriter

Celeriter vincentem ſonat : quod vnum eſt ex ijs nominibus, quæ Seruatori, & Emmanueli noſtro ab Iſaiâ conferuntur. ANN. 1171.

CAPVT II.

Balduini Ædificatoris mors: Philippi & Henrici Hannoniorum ortus: Eliſabetæ Hanno-niæ cum Philippo Galliæ Rege matrimonium. Inter Flandrum & Hannonem diſsidia.

Gilbert. Guiſ. Auctar. Aqi. M. S. Ioa. Meier.

§. I. Balduinus Ædificator. I.



EODEM ipſo * anno vna eademque domus & cunas noui, & funus veteris Principis ſpectauit. Eo quippe & Balduinus Conſtantinopolitanus natus, & Balduinus eius auus denatus eſt. Hic Princeps ab inſitâ ædificandi libidine Ædificator eſt appellatus, vtpote qui varijs ædificijs vel à fundamento exſtruendis, vel labaſcentibus reparandis Prouinciç ſuç vrbes non parum augere ſtuduit, & munire. Caſtella ipſe Binchienſe, Haimo-Quercetanum, Buccinienſe, Branio-Wihotanum, Ramenſe, & Athenſe exædificauit. Montenſem vrbem muris cinxit, Bellomontenſem turri, ſiue arce firmauit. Diuæ Waldetrudis templum tertiò concrematum reſtituit. Sancti Vincentij plumbo texit. Ditionem verò ſuam non parum auxit; etenim Athenſe oppidum ex Ægidio de Traſignies equite, & Caſtellanam Valentianarum Satrapiam vnà cum Auſtrouandiâ Prouinciâ, ex Godefrido vterino fratre non magno pretio, maximo autem hęredum emolumento coëmit, & Hannoniæ adiunxit. Erat ille Godefridus, ex ijs ortus, qui ſe Valentianenſium Comitum hæredes olim profeſſi,

B Richildi

Ann. 1171. Richildi quidem Comitatum mancipio dederunt, Valentianensis tamen arcis non Præfecturam modò, sed Satrapiam nominatim exceperunt, à se suisque deinceps posteris possidendam.

§. 2. Balduinum Com. Ædificantem mors occupat.

Porrò Ædificatorem hunc eidem operi, quo plurimum delectabatur, intentum mors occupauit. Sexagesimo nono huius sæculi anno exeunte, magnam nobilium virorum vim à nuptijs Balduini Animosi, Querceto reuectam Valentianis excepit: eosque omnes ad palatium illud, quod nuper exstruere aggressus erat spectandum adduxit. Scaldis ripæ ea domus imminebat, imò dextri lateris pariete in Deiparæ templum concurrens in areâ, quam vitibus olim consitam à Sancti Saluij Cluniacensibus Monachis paulò ante redemerat: Aulam Comitis nunc vocant. Et iam ad primam, & quod excurrit, contignationem ædificium assurrexerat: quando scalas Balduinus ad murum admotas conscendit, plerisque è primâ nobilitate subsequentibus; maiori numero, quàm vt eæ ferendo essent: fatiscere igitur illæ, & cum stridore confringi: tum in terram cum insidentibus, in quibus erant Balduinus de Toënio Comitis sororius, Gaufredus de Tuelaine, & Ludouicus de Frasne Valentianarum VIvir, alijs alio grauiùs saucijs, vix vllo certè integro corruerunt. Senior Princeps ruptâ vtrâque coxendice, reliquisque membris vel luxatis, vel contusis, tam miserè denique solo afflictus iacuit, vt pro mortuo potuerit conclamari. Nec hîc sistere vis mali visa est; vt enim domum relatus est, ad eius adspectum Aleidis vxor, Godefridi Namurcensis Comitis filia, sic consternata prodijt vt primùm animo linqui: tum verò amota hâc oculorum iniuriâ respirare quidem cœperit; haud alio fine, quàm vt crudeliùs expiraret. Quippe redditâ sibi mētis vsurâ damnum suum perpendere, atque animo angi non antè cessauit, quàm viuere desineret. Elata est regio funere, atque in Diuæ Waldetrudis, è regione eius altaris, quod Christi Præcursori sacrum est, tumulata. Pro cuius animæ requiete per-

Aleidis eius vxoris obitus.

te perpetuum eidem mæstissimus vir attribuit Sacerdotium. Superfuit quidem aliquamdiu vxori Balduinus, non tam vt viueret, quàm vt mori prolixiùs doceretur. Namque post varios ex illo casu dolores, & morbos, quibus deinceps nunquam non exercitus erat, tandem sexto Idus Nouembris huius anni CIƆ CLXXI. viuere simul & ædificare desijt; cuius sepulcrum in eiusdem S. Waldetrudis ædis peristylio, quod delubro cellæ, siue choro ad dexteram est, ex perpolito marmore hodieque cernitur. Eius * posteritatem ad calcem huius operis, ne intricata nominum series, lectori fastidium creet, adscribemus. — Ann. 1174. — 2.

§. 3. Philippi Namurcensis & Henrici Constantinop. ortus.

Anno Christi supra millesimum & centesimum septuagesimo quarto Philippus; septuagesimo deinceps & septimo Henricus Balduini, & Margaretæ filij, ille Namurcensium Marchio, hic Byzantinorum futurus Imperator Valentianis primam lucem salutarunt. Ita Schedæ veteres, & nostrates historici referunt. Quo autem mense, quaue in domo sint editi nihil dicunt. Illum quidem in eâdem, qua Balduinus, domo: hunc in aulâ Comitis natos esse mihi persuadeo.

Diplom. Catal. famm. Hann. M.S. Annal. Val. M.S. Font.

Hannonis liberorum sponsalia.

Gilbert. Meier.

Sub hæc tempora Philippus Flandriæ Comes, pro eâ, qua apud Balduinum Hannoniæ Comitem sororium suum pollebat auctoritate, binis eius liberis matrimonium procurauit. Eo namque conciliante Isabella, seu Elizabetha Henrico Campaniæ Comitis primogenito, & Balduino iuniori eiusdem Campani filia Maria despôsæ sunt. Et horum quidem suo tempore ratum fuit sanctumque coniugium: priorum non item: eodem ipso qui conciliarat aliorsum inclinante.

Gilbert. Meier. Gausf. Chron M.S. Iper Auct. Aq. Rigord. Rob. Abb.

Philippus quippe Elsatius Veromandiam iure vxorio possidebat; prouinciam Flandriæ non finitimam dumtaxat, & vtilem: sed propemodum necessariam; vt quæ latiùs multò, quàm hodie, patens, in Gallias longè erumperet. Hanc autem ne Isabellæ Veromanduæ vxoris suæ morte amitteret aliquando: ab Ludouico Rege, apud quem summè erat gratiosus, non difficilè eius vsumfructum, ta-

Ann. 1179. metsi vxori fortè superesset, obtinuit; vt autem eam concessionem Philippus Ludouici filius, ratam habere vellet, meritò verebatur. Eum igitur sibi quâ officijs, quâ affinitate demereri laborauit.

§. 4. Isabellæ Hannoniæ cum Philippo R. Gall. matrimonium.

Ad Calendas Nouembreis anni CIↃ CLXXIX. Philippum (qui Augustus, & Adeodatus dictus est) Ludouicus parens Regem Galliæ dici, & Rhemis Regio, eoque qui posteris * exemplo foret, ritu inaugurari curauit. Dum Lu-
3. tetiæ porrò vnà cum Hannone agitat Elsatius, non tam nepti suæ Isabellæ, quàm sibi conditionem quæsijt: Philippo Regi nuptum vt elocaretur agere aggressus. Hunc ipse Regem sacro de fonte susceperat: illam Filiæ loco habitam domi suæ educauerat. Has autem nuptias quo faciliùs Isabellæ pararet, eam, quod liberis ipse fratribusque careret hæredem sibi ex parte scribere: adeoque Atrebatum Flandriæ id temporis caput, necnon quidquid prouinciæ huius ad Occidentem fossæ nouæ adiacet, Arthe- Arthesia. siaque subinde dici cœpit, eidem dotem dare pollicitus est. At enim quis credat sponsionem Gallis huiusmodi commodam facturum fuisse, nisi vicissim aliundè sibi ipse consuleret? Pacti sunt nimirum (ita plerią; auctores censent, suadet ratio) Ludouicus & Philippus Reges Veromandiæ vsumfructum Elsatio: atque, contendunt alij, vel ipsum dominium mancipiumque concessisse. Quibus postremis ægrè assentior. Ludouico parenti, à quo filius quatuordecim annorum adolescens ob ætatem in re tantâ dissentire vix poterat, eæ nuptiæ placuêre. Reginæ tamen matri eiusque fratribus Campanis Guillelmo Rhemorum Archiepiscopo, Henrico Trecarum, Theobaldo Carnutensium, Stephano Sancerræ Comitibus, sponsi auunculis displicuisse referunt nonnulli: quia scilicet Isabella, Henrico Campaniæ Comiti, eorum ex fratre nepoti, iam antea desponsa alteri cum tam luculentâ sorte tradebatur; at Balduino eiusque vxori ingratissimas accidisse omnes omnino narrant. Nec minùs Flandris doluit tantam ruinam, & Prouinciæ suæ labem inconsultis ordinibus non iam ab

hoste,

hoste, sed ab eo fieri, cui capitis sui periculo, id si alius tentaret, ne fieret cautio esse debuit. At cedendum fuit. In sponsalia quæ hoc anno CIↃCLXXIX. celebrata sunt, Hannoniæ Comes eiusque vxor volentes quidem, in pacta inniti iere. Quę quia mutare nefas erat, ijs conditionem hanc adijci curauerunt: vt si ex isto matrimonio nulla susciperetur proles, ad Margaretam, eiusque liberos, hæredesue transuersarios ea ditio recideret, Flandriæ rursum copulanda. ANN. 1180.

Et quo Principum Campanorum ægritudo vtcunque leniretur Isabellæ Iolenta soror subrogata est: atque inter eam, & Henricum iuniorem: item Balduinum inter Hannonis filium octennem puerum, & Mariam Campanam sponsalia celebrata sunt præsentanea, ac biennio post confirmata. Alia sponsalia.

§. 5. Isabellę nuptię & Coronatio.

Tillet. Guil. M. Sc. Chron. Rigord.

At Philippi Augusti nuptijs dies Bapalmis dicta ad IV. Cal. Maias anni Christiani octogesimi post millesimum & centesimū feriâ alterâ post Dominicam, quam in Albis dicimus: quâ & confectæ sunt, ita magnificè, nihil vt addi possit. Inde in Galliam itum est, & Isabellam in D. Dionisij vrbe ac ęde Guido Senonensium Pontifex, die Ascendenti in Cœlum Seruatori sacro, rite chrismate inunxit. Quâ in consecratione id accidit, quod Rigordus, eius æui scriptor, obseruatum ab ijs omnibus, qui præsentes interfuerunt, & pro ostento habitum litteris mandauit. Quum enim Rex, & Regina flexo genu, submisso capite solemnem ab Antistite precationem de more expectarent, spiculatorum aliquis, ternas lucernas pro arâ principe appensas, virgâ, qua affusam semouebat turbam, incautè ad eas impactâ, confregit: oleoque Regis & Reginæ capita, copiosius quidem, quam ij optassent perfudit. At verò præsagire inde plerique cœperunt, ex hoc futurum matrimonio: vt gaudium in sponsos ipsos Galliamque vniuersam sic largè manaret aliquando: quo ipsi modo nunc oleo essent delibuti; at certè, quod ad sponsos attinet, falsi omnino opinione suâ sunt: tametsi vberrima toti Galliæ regno, ex

Ann. 1183. Isabellæ sobole, lętitiæ seges postea obuenit. Gaudebant
4. Galli Caroli * Magni stirpem, veluti postliminio in Gallici regni solium reductam esse: quippe qui per varias quasi propagines duplici ex capite, ab eo genus ducere Isabellam scirent. Certius spei, & lætitiæ ab eius Reginæ moribus peti potuit efficaciusque argumentum; quibus, quàm dote tametsi amplissimâ, ditior: etiam postea opes has fecunditate, & Galliam bonis plurimis cumulauit.

Interim Ludouicum Septembri mense insequente, mors Gallis eripuit vitæ anno septuagesimo, regni quinto & quadragesimo. Disceptatum inter primates de regni Regisque tutelâ. His Philippo Flandriæ Comiti, illis Ricardo Aquitaniæ Duci studentibus. Et in hunc inclinauit
5. etiam Regis * animus, atque incendio toti Galliæ exitiabili, tametsi innocenter, alimenta suffecit.

Guill. Tyr. Bern. Guidon. Ann Franc. Guill. Brito. Rigord. And. Marcb. Auct. Aq. Metr. Iper.

5, 6. **Pro Veromandia dissidia.**

Incommodè ad hæc Elizabethæ Flandriæ Comitis morsaccessit. Obijt illa Atrebati longo, cruciabilique ex-
6. tincta morbo * VIII. April. die quem Parasceuen dicimus anno CIↃCLXXXIII. more Romano, & in Deiparæ sacrâ ęde tumulata. Rodulfi Veromandensis soror atque hæres extitit: cuius altera soror Eleonora Godefrido primùm Balduini Animosi fratri, inde Guillelmo Niuernensi, tum Matthæo Boloniensi, ad extremum Bellimontis ad Isaram Comiti nupserat. Hæc, quando Veromandiam Philippus Comes mordicus retinebat, nec erat ipsa quæ posset cogere, dimidiam eius terræ partem Regi condonat, vt reliquâ eius armis Flandro ereptâ potiatur. Hinc bellum, in quo parum sanè Galli profecerunt, Elsatium præclarè tuente Balduino. Regis odium, quod parens concitarat, in Isabellam versum: faces subdente Elsatij & Hannonis ęmulorum turbâ: qui suadebant Flandro neptem, Balduino filiam, vxori repudium, vtrique hosti nuntium Rex remitteret. Vnus prope Syluanectensis Episcopus obstitit. Quod erat reliquum à fortiori Cœlitum manu pijssima, & Patre Animoso dignissima Regina impetrauit. Syluanectensi quippe in secessu, quo se abdiderat, precationibus assiduis,

duis, ieiunijs, vigilijs sese affli&are, alijsque pœnis corpus atterere non destitit, quoad sibi numen Regemque placatum reddidit. Imò & Balduinum Patrem, pacis spe, ad Regem adduxit: longior autem cum Gallo mora, & inde concepta de violatâ fide suspicio, ab Elsatio eum abduxit. Nec potuit vnquam Balduinus facti eius conscientiam à se amoliri, aut Elsatij animus ad pristinam amicitiam reflecti. Quod hoc nouo suo matrimonio aperuit. ANN. 1184.

§. 7. Phil. Elsatij secundæ nuptiæ.

Iper. Gilbert. Meier. Emil.

Mathildem quippe Therasiam, Alfonsi I. Lusitaniæ Regis filiam anno CIↃCLXXXIV. (biennio serius narrat Iperius) vxorem duxit Elsatius, dotemque addidit profusione inusitatam, & hæredi perniciabilem. Duacum namq; propter nuptias, Slusas, Insulas, Orchiacum, Niepam, Casletum, Furnas, Dixmudam, Winocibergas, Burburgum ei donauit. Post verò quasi minùs ea sufficerent, veriùs minùs hæredi officerent: etiam Brugas, Gandauum, Wasiam, Alostum, Gerardimontem, Ipras, Cortracum, Aldenardum adiecit. Et illa quidem Reginæ nomen, ijs fœminis tum non insolens, quæ Regibus natæ in alienam familiam, tametsi non regiam, nubebant, retinuit. Quem morem non attendentes Emilius & Oudegherstius, ille Regis Lusitaniæ viduam, hîc hæredem putauit.

§. 8. Ab Hannone dissidet.

Gilbert. Guis. M S. Chron. Meier. Druens.

Nec his contentus Elsatius, recrudescente Hannones inter & Brabantos bello, quod ante biennium pro Lembecâ occœperat, à Godefrido Brabantię Duce stetit, eique trecentos equites nobiles Duce Hellino de Waurin suppetias misit. Cum his ille Lembecam hostiliter insessam expugnat, & vrit. Quam iniuriam vlturi Hannones manus cum eo conserunt, cæsi eo prælio trecenti omnino è Brabantinâ, & Flandricâ nobilitate Equites: octoginta Hannonij desiderati. Hac victoriâ non tam elatus Balduinus, quàm hostium numerum viresque reformidans, inducias cum ijs, cum Galliæ Rege fædus aduersus ipsum Elsatium percutit. Simul hæc Flander accepit, impotenter primùm contra Hannonem debacchari: perinde quasi ipse amicitiæ prior iura soluisset: tum etiam Auesnensem, nullâ fidei,

ANN. 1184. fidei, quam recens Balduino dederat, religione tactum, in suas partes trahit: eius in Hannoniâ vrbes atque arces presidio & commeatu instruit. Coloniensem insuper Archiepiscopum in belli huius societatem adsciscit.

Bellum a Brabanto. Balduino par animus erat: impares vires. Et cæteris quidem suæ Prouinciæ locis Præfectos attribuit. Thudinium verò Balduini filij tutelæ commisit, primaque eum militiæ rudimenta addiscere, ac tirocinium eo in bello ponere iussit. At eius virtuti, feruidoque præliandi desiderio non tam ætas, quàm nimia aduersariorum obstitit potentia. Etenim à Gallis frustra speratum est subsidium, & in vnius Brabanti castris: vt de Flandro, & Coloniensi nihil dicam, supra duodecim equitum, peditum verò sexaginta omnino millia fuisse, sunt qui asserant. Et hi totam Hannoniam, quà Carbonariâ syluâ stringitur, miserabilem in modum deformauere: alij cæteras eius partes incendere, omnes sic eam regionem male habuere, vt solitudo facta hostes vicissim suos, commeatus inopiâ laborantes expulerit. Paulatim ergo illi se domum receperunt vnus Auesnensis, quia fugere non poterat, pro socijs luit. Eius enim villę & vici exusti. Condatum muris nudatum, excisę portæ, præsidiarij capite mulctati. Quod Chaldæis fornacem Babyloniam studiosè accendentibus narrant sacri codices; hoc dissidiorum flabellis ferè accidit: vt in eorum demum capita tota vertat vis mali. Maximè vbi illi per externorum Principum auctoritatem, ac potentiam priuatas iniurias dominorum suorum fraude vlcisci student. His quippe semper pronum est, vel iniquiorem paulò pacem redimere, quò sibi liceat otiosè de eiusmodi iurgiorum auctoribus pœnas reposcere.

CAPVT

CAPVT III.

1. Balduini iunioris matrimonium. Pro Veromandiâ bellum. Anni intemperies. B. Drogonis obitus. Bellum in Galliâ. Monomachia.

Gilbert. Gisl.

§. 1. Mariæ parentes.



SVB finem anni à Christo nato millesimi centesimi, supra quintum, & octogesimum: de Balduini iunioris cum Mariâ Campanâ connubio, seriò agi cœptum. Erat illa annorum circiter XII. haud multo amplius, Henrico Largo Campaniæ Comite, & Mariâ Philippi Galliæ Regis sorore nata. Et parens quidem anno huius sæculi octogesimo primo: postea quam illustri nominis sui fama Palestinam compleuerat, Gallias repetens: seruitutem apud Turcos in Asiâ Minori reperit; breuem illam quidem, Græcorum Imperatoris ope, & ære redemptus, nauigioque Massiliam aduectus, tum Campaniæ redditus. Id scilicet ei fortuna indulsit, vt vxori liberisque salutem vltimam daret, à quibus post pauculos dies importunâ morte auulsus, Trecis in D. Stephani æde, in maiorum conditorium elatus est. Tulerat ex vxore suâ liberos tres Henricum, Theobaldum, & Mariam.

Bellefor. Aust. Aqu.

Gilbert. Gisl.

§. 2. Balduini nuptiæ & indoles.

Hanc Balduinus iunior, è Castro Theodorici Valentianas adductam, ipso Epiphaniæ die. Anni CIↃCLXXXVI. solenni ritu sibi matrimonio copulauit. Post epulum, & cætera nuptiarum, aduersis hastis pro more in hippodromo concurrêre viri nobiles, palmam pro se quisque referre studiosi: Eam tamen si cæteris non præripuit, certè ambiguam nulli non fecisse Balduinum iuniorem referunt eius æui Scriptores. Aquilis columbas nasci pro monstro est.

Ann. 1186. est. Scribunt, fabulam fortassis, Græci; Seleuci posteros ex matris vtero anchoram in femore, Pythonis Nisibeni securim, Semes Thebarum conditoris progeniem hastam in corporis aliquâ parte, naturæ artificio sculptam gestasse. Ex hac verò Hannonum Flandrorumque stirpe, quicunque prodierunt Principes in ipso ortu hastam manu, prudentiam capite, animo magnitudinem fortitudinemque præferre visi sunt semper. Balduinus verò, si quicquam Gilberto fidei damus, non fucatam illam & adulterinam nobilium fortitudinem, quam feritatem veriùs appelles: sed Christiano Principe dignam sectatus est. Ab ipsâ prope pueritiâ altè animo imbibit, quàm toto Cœlo aberrent, qui pietatem à militiâ, virtutem à nobilitate sanguinis, quasi dissentanea excludunt. Didicerat ita à Romanis ipsis ædificatas Honori, Virtutique ædes: vt nisi per hanc ad illam aditus non pateret. Et vt hæc minorum gétium Nobilibus non conueniant: quibus cùm alia haud aperta sit ad honores via, quàm Regum fauore, hominumque applausu: procliuius est, vt gratiam sibi nomenque eo, qui apud plures, hoc est improbos, viget modo, acquirere studeant; Reges certè, ac Principes nisi Deum abiurent, Numinisque sensum omnem animo excutiant, cum ab alijs pendere sibi indignum censeant: è cœlo laureas, victoriasque, & honorum cumulos expectent necesse est. Qui porrò istud, nisi ijs artibus, quas norunt Superis esse gratissimas, tantùm cæteris sese præstare enitantur, quantum opibus, & dignitate præcellunt? Rebus sacris, idque paterno exemplo, quod in vtramque partem valet plurimùm, atque egenorum miseriæ subleuandæ, semper vt qui maximè Balduinus studuit. Præcipuum tamen eius in eo studium enituit, vt voluptatem omnem illicitam repudiaret: vitamque castè, neuique immunem traduceret. Et Dei dono vsu venit, vt ab his moribus nihil admodum abhorrens vxor esset: de quà re libet Gilbertum audire. Maria, inquit, à teneris, quod aiunt, vnguiculis diuinis nutibus obsequentem, rebusque

Mariæ Campaniæ indoles.

Cœlesti-

Cœlestibus impensè deditam adhuc alebat mentem. Noctes precibus conterere, ieiunijs pudicum corpusculum macerare, eleemosynis egentium inopiam tollere solita. Ideo, sic, Balduino fuit in amoribus: vt quantumuis ætate, & sanguine feruidus is esset, armisque indulgeret (duo hi pudicitiæ hostes in paucis) nunquam eum vel latum vnguem; nedum transuersum, vt fit, precipitemque ab pudicitiæ coniugalis limitibus egerint. Hæc ille. Cæterùm hocce matrimonio Balduinus Regis Philippi, quem antè, per Isabellæ nuptias sororium habebat: nunc etiam nepos effectus est, atque adeò illi finitis inducijs, contra Flandrum infesta ferenti signa, suppetias cum parente tulit. Ann. 1186.

Auct. Aqu. Andr. March. Guis. Ipsr. M.S. Chron. Chron. Flan. Meier.

Et Gallus quidem in Veromanduos effusus, non imparatum hostem offendit. Siquidem Elsatius lectissimas, numeroque iuxta ac fortitudine metuendas copias iam eduxerat. Et quod Gallorum vexillo aureis flammis insigni opponeret, signum insolens, superbumque erexerat. Draco * quippe longissimo præfixus conto, in curru, quem octo decemue equi trahebant, sublimis, Gallisque minabundus visebatur. At id Elsatij quidem spiritus altiores ostentabat: hæc autem terriculamenta ludibrio, quàm victoriæ captandæ aptiora, plerique ex ijs, qui iudicio magis pollebant, arbitrabantur. Et verò tametsi eò ventum erat, vt vtrumque exercitum solus amnis Somona dirimeret: tres totas hebdomadas sic oppositi, quâ de caussâ non traditur, nunquam prælio decreuerunt; quin pacis fœdera vtrimque oblata & accepta sunt, magno sanè, inquit Guisius, Flandri dispendio; qui Regi supra sexaginta castella, siue arces cedere coactus est. Vnde suspicor, aliquid intercessisse, quo is detumuerit, maius aliquod periculum reformidans. Cum eo simul Hannones in gratiam rediere. Sopita quoque cum Brabanto discordia: vt Vanasca Balduino, Brabanto Tubisia redderetur. Iacobo Auesnensi, qui huic paci conficiendæ non segnem operam elocarat, sua fuit merces: prædijs villisque in Laudunensi Prouin-

§. 3. Bellum in Veromanduis.

* 1.

Pax Gallo cum Flandro.

ANN. 1186. ciâ donatus. Non diu post, ea fœdera turbata, & subinde renouata sunt.

§. 4. Anni intemperies. Quomodo hominum animos, sic & anni huius CIↃ CLXXXVI. tempus mirâ intemperie laborasse, produnt Auctores; quantâ haud aliàs sępe. Vt confuso rerum ordine, quale chaos antiquum à Poëtis fingitur, Veri Hyems, Hyemi æstas, huic Autumnus pugnare, locumque pręripere velle viderentur. Etenim mediâ Hyemis tempestate, atque adeò ipso Decembri sic vapore solis aër incaluit, vt arbores floribus quaquauersùm folijsque vestitæ visæ sint. tum Februario mense pyra, cæteraque eiusmodi poma ad nucum magnitudinem excreuerunt. Coruos quoque & aues id genus alioquin à naturâ anni tempestates edoctas, hic certè fefellit; eæ quippe Ianuario mense & oua posuerunt, & pullos excluserunt. At vicissim ver æstasque quasi in Hybernis esse, & Hyemis officium fungi cœpêre. A Martio ad exeuntem Iunium frigora vsque adeo sęuierunt, vt Pentecostes ferijs, Idus circiter Maias, niue densissimâ fluxerit aër. Inde pridie Cal. Iulias atrox tempestas grandinem, ouis gallinarum magnitudine, formaque haud disparem, vitibus, arboribus pomiferis, fenestris vitreis, tectis, ipsis adeò auibus, pecudique, si quas vel in aëre, vel in agris fortè compręhensas habuit, extremam perniciem effudit. Et ceu pestilens aliquis turbo afflasset; contactis hacce procellâ, contritisque stipulis omninò pecudes abstinuerunt. Maior orbem Christianum, hominumque animos vrebat lues. *Auct. Aqui. Aquicinct.*

§. 5. Brabantiæ Ducis nuptię. Henricus Brabantiæ Dux, Mathildem Matthæi Elsatij ex Maria Boloniensi filiam, conciliante Philippo Comite, cuius illa neptis erat, vxorem duxit. Eius nuptias vterque Balduinus amicè cohonestarunt; mox ille Namurcensem iterum ob finium contentionem lacessere, hi propugnare aggressi sunt. Gemblacensis arx direpta, vstaq; est; ex quâ inscientibus Comitibus, enimuerò dolentibus, serpente latiùs incendio, ipsum monasterium conflagrauit. Idem monti S. Viberti, alijsque vicis vel castellis factitatum: *Diua. Meier.*

Namurcense bellum.

atque

atque ita frænum Brabanto iniectum, quo eius ardor compressus sæuire in innoxium desijt. Ingrato Namurcensi breuî huius memoria beneficij excidit; vti mox dicemus; in Cœlites collatum vberiores fructus attulit. ANN. 1186.

Guil. Molan. Seburgen. Monum.

XVI. Calendas Maias huius anni CIↃCLXXXVI. (Iunias alij dicunt) corpore solutus, cœloque adscriptus est B. Drogo; magnum Hannoniæ præsidium & decus, Spineto Arthesiæ vico, nobili ac locuplete familiâ oriundus. Hic vtrique parenti posthumus, & cæsę matris vtero eductus cùm esset, eius rei memoriâ, & acerbitate tactus, patrium solum vertit, & * Seburgum altero Valentianis lapide, Henrici Hannonij, qui Animosi frater fuit, peculium se contulit: vbi pro opilione viduæ cuipiam fuit. tum verò adolescentior peregrinari, & Apostolorum limina, aliorumque Diuorum monumenta aditare non antè destitit, quàm fœdè defluentibus ilijs, quibus sistendis medicinam fieri passus est numquam, pedibus propemodùm ingredi prohiberetur. Ergo tuguriolo ad Seburgensis templi parietem extructo, ex voto se æternùm includit. Cuius voti religionem gratissimam sibi fuisse Superi comprobarunt: quippe cum fortuitò incendio ædes sacra conflagrasset, nec is voti lege per flammas solutum se arbitraretur, eæ templum tuguriumque funditus depopulatæ sanctissimum virum ita illæsum, illibatumque ambierunt: ceu prælucere tantùm vellent, vt ne pilo quidem crispato, immobilis in oratione duraret. Diceres in eo sensum nullum, in igne multum fuisse. Nunquam aliàs tam clarè eius virtus, Deique in eum vicissim amor, quàm in eo incendio patuit: nec alio rusticorum corda magis in eius venerationem exarserunt. Mox ergo eodem in loco noua casa exædificata; in qua quadraginta omnino annos hordeaceo pane, & gelidâ contentus, ita vixit, vt cæli veriùs, quàm terræ incola censeretur. Hoc tandem annò in ramice orta, & sensim, vt fit, lethaliter serpens gangræna B. Drogoni aditum ad immortalem vitam aperuit. Eius consanguinei illicò Seburgum aduolarunt, sacrum eius corpus

§. 6. B Drogonis vitæ breuiarium.

2.

Eius obitus.

ANN. 1186. pus Spinetum deferre impensè quantùm cupidi; sed id frustrà sæpiùs varijsque artibus moliti, minùs nihilo profecerunt; ita eius corpusculi, longâ inediâ alioquin macieque confecti, moles ingrauescere visa est, vt nullâ hominum aut iumentorum vi moueretur. Ad Comitum Hannoniæ aures simul huius rei prodigium fama vulgauit, pro suâ quisque pietate, cum vniuersâ familiâ Seburgum accurrêre, defuncti tumulo aduolui, & certatim in eo niti vt cultum venerationemque testarentur. Et quia vicus ille tam pretioso pignori asseruando parum congruere videbatur, Binchium Balduini iussu translatum est, refragante Henrico, cuius in potestate vicus erat, & ipso sanè improbante Drogone. quando ad eius feretrum nouem annorum spatio, quibus Binchij substitit, nullum omnino patratum est miraculum: cum interim inde ab eius obitu Seburgum prodigijs in dies inclarescere maioribus perseueraret. Ergò huc corpus referri visum, & in pronao conditum est. In quo annum vsque duodecimum supra millesimum & sexcentesimum permansit. Eo porrò anno ab Ioanne Richardoto Cameracensi Archiepiscopo solemni ritu alleuatum, & in aram eius nomini consecratam repositum, hodieque ab infinitâ propè hominum, cùm incolarum, tum aduenarum multitudine colitur: calculo potissimùm herniaque laborantibus præsentissimum certissimumque remedium. Cuius rei testes sunt anathemata, & donaria, quæ voti damnatos accusant. In ea temerè aiunt Ferrandum Lusitanum, Balduini nostri generum, oculos aliquando adiecisse, missis qui ea efferrent Ariensi Præposito, multisque satellitibus: quibus omnibus aurum istud Tholosano perniciosius fuit. Siquidem in itu, an reditu ambiguum, sub ipsorum pedibus pons Condatensis, qui Scaldim iungit, sacrilegos non sustinens, subitò quassatus corruit, eosque secum in vndas traxit; ne vno quidem superstite, qui Ferrandum eius casus admoneret. Vel mortui tamen eum Iustitiam colere, Diuosque non contemnere edocuerunt.

Translatio.

Eleuatio.

Eius sacelli violatores puniti.

Guis. Monum. Seburg.

Ad

Rix. Houed. Pi Æmil. Neubrig. Ad institutum redeo. Sequentem annum, qui fuit octogesimus septimus supra millesimũ & centesimum: Eclipsis gemina Solis vna, Lunæ altera, cum nouo miroque Cœli & stellarum situ: inprimis verò ingentes, quas diuinæ eiusmodi litteræ, prænuntiarunt, calamitates insignem reddidêre. Perijt eo anno Ierosolyma, incredibili Christiani orbis luctu,* Saladini armis expugnata. Qui paucis antè mensibus, Guidonem Lusignanum Solymorum Regem, toto eius exercitu,* Tripolitani (vt ferunt) Comitis perfidiâ profligato viuum ceperat. Ne hanc cladem Christiani vltum irent, obstitit, & Europæos Principes, Balduinos nominatim ad arma rursum euocauit exorta Gallos inter Anglosque discordia. ANN. 1187. §. 7. Ierosolyma capta à Saladino. 3. 4.

Sæger. Pap. Masson. P. Æmil. Nunquam sanè Gallorum Principum Anglorumque animi à se inuicem longiùs abierunt: quàm cùm propius accedere visi sunt; & cùm toto orbe remota, Britannia à Gallis Regem Guillelmum, ac vicissim à Britannis Galliæ pars magna Principes accersiuit. Guillelmi Aquitaniæ Ducis filiam incontinentiæ labe aspersam Ludouicus VII. Philippi Augusti parens repudiauit, atque vnà totius regni quietem & pacem. Henricus alter auidè exceptam sibi matrimonio iunxit: amplæ hæreditatis maius pretium esse ratus, quàm vt rumori incerto post haberetur; cæterum Tiberij exemplum eâ in re sequi certus, qui quod in Iuliâ corrigere nefas esset, patientiâ leuius fecit. Henrico Comitatus Andegauensis, Cœnomanensis, & Turonensis paternâ sorte; maternâ verò Angliæ regnum, & Normanniæ Ducatus obtigêre. Ergò is ad omnes eas regiones, vniuersam Aquitaniam vxorio iure adeptus: & subinde eius filius Godofredus ductâ Constantiâ Comani filiâ, totam Aremoricam seu Britanniam Gallicam adiecit. Possidebant igitur Angli potiorem Galliæ partem, Regis tamen Gallorum beneficio; adeoque hic clientelare obsequium sibi debitum reddi volebat, illud autem quasi Regibus indecorum, & graue, vel negabat Anglus, vel differebat longiùs quàm par erat. Ricardo post Henrici, & §. 8. Angli vnde Gallis infesti.

ANN. 1187. rici, & Godofredi fratrum obitum, Henricus senior eorum parens Pictauiam: Ioanni verò Hiberniam cum regis titulo assignauit: cumque corona, * plumario opere ex pauonum pennis subtiliter gemmisq; contextâ, quam ad eum Pontifex Romanus dono miserat, insigniuit. A Ricardo filio obsequium & sacramentum, ab Parente Gisortium cæteraque loca, quæ Margaretæ sorori, in dotem assignata erant, quando illa ex defuncto marito prolem tulerat nullam, Gallorum Rex reposcebat. Sed ingratissimum scilicet Regibus verbum: Redde: quod illi concoxerunt, ægrè, vt assolet, regerentibus. Quod igitur iure non licebat, ferro rem suam repetere Philippus Rex aggreditur, Flandro, Hannonijsque opitulantibus. Balduinus iunior alæ equiquitum Præfectus rem præclarè totâ illâ expeditione: potissimum verò in eius oppidi, cui Burgo Dei nomen est, obsidione gessit. Nam & crebris arietibus, alijsque id genus machinis saxorum compages laxauerat; & tametsi labem illam, quam interdiu Hannones intulerant, vtcunque noctu obsessorum instauraret industria: minùs tamen eorum in oppugnando constantiam, quàm in ingressu, pugnæ ferebant ardorem.

5. Noui dissidij origo. — Roger. Nic. Gilles. Guis. T. Emil.

§. 9. Numinis de sacrilego vindicta. — Rog. Hou.

In eam vrbem Ricardus præsidium coniecerat, ex ijs conflatum, quos Coterellos dicebant, fæcem ipsam diramque hominum colluuiem. Eorum vnus propter amissam in lusu pecuniam parum habuit blasphemijs Deum, eiusque matrem proscindere; nisi etiam Deiparæ statuam, in anteridum vnà collocatam, saxo peteret, tam validè vt puerulo IESV brachium confractum in terram excusserit, sed cruentum. Illico namque ex humero statuæ largè cruor erumpere, & in terram manare: eodemque temporis puncto à malo dæmone nefarius ille habitari, & vexari, æternisque cruciatibus præludere occœpit. Ad quos eodem ipso die, nec enim diutiùs valuit ea intemperies, eodem inquilino, & carnifice vrgente, horrendùm enectus abijt. Sanguineum illum humorem spongijs plerique venerabundi exceperunt; & ipse Ioannes Angliæ Regis filius,

filius eius prodigij tantum non oculatus testis, brachium secum abstulit, pretiosèque simul & honorificè asseruauit. Statua porrò illa non huius magis, quàm multorum deinceps miraculorum famâ celebris, adhuc in veneratione est. Ann. 1188.

Reg. Hou. Andr. Marc. Rigord. T. Æmil. Meyer. Nic. Gill.

Cæterum eius vrbis obsidionem soluere desperans Henricus faciles Legato Pontificio aures præbuit. Guillelmus Tyri Episcopus is erat, quem Clemens III. Pontifex Palæstinis rebus petitum auxilia submiserat. Inter Tryam & Gisortium Februario mense anni octogesimi octaui eius seculi, pax icta, & nouo connubij fœdere confirmata. Adela quippe Regis Philippi soror Ricardo Aquitaniæ Duci, Angliæque Regi futuro sponsalibus addicta, & tradita est. Inde vterque Rex de manu Legati, Cruce acceptâ, bello Ierosolymitano deuouentur. Ratum acceptumque Superis id fuisse votum, Crux, quæ in cœlo repentè apparuit, mirè radians testata est, & insolito hocce prodigio plures, in quibus Philippus fuit Flandriæ Comes, ad idem sacramentum perpulit. Et omnes Crucis quidem signum, diuersi tamen, quo ab inuicem internoscerentur, coloris gestauere. Francus rubram, Anglus albam sibi Crucem delegit, Flandro viridis placuit. §. 10. Pax. Crux in Cælo.

Summo ardebat vterque Balduinus desiderio hos Principes æmulandi, iunior maximè; qui diu parentem creberrimis precibus fatigauit, vti se ad tam sanctum, & honorificum bellum ire pateretur. Sed negauit ille semper, quòd eius ætas, recens initum matrimonium, nulla dum suscepta proles, atque inprimis Namurcensis hæreditas, semper nutans & lubrica, tam longum, & periculosum iter aggredi vetarent. Domum igitur rediere, dilatâ, non ablatâ iuniori spe eius voti aliquando exequendi. Hic singulare certamen spectauere. Cuius caussam modumque, quo eius temporis mores & consuetudines dignoscantur, Lectori aperire non grauabor.

Guis.

Gerardus à Sancto-Auberto, vir cui inter populares Hannonios & nobilitas, & opes eminebant: quique ipsum Comitem sanguine attingebat, nescio quâ in re ab Aica- §. 11. Singulare certamen Gerardi S. Auberto, cum Roberto de Beauren.

D dro

Ann. 1188. dro de Verly, equestris ordinis viro, cliente suo, offensus, eum in seruitutem asserere molitus, palamque seruum suum esse professus est. Robertus de Beauren Aicadri consanguinei sui iniuriam haud ferens, aut certè in se transferens, ab Gerardo seruitutis notam sibi esse inustam, queri & vlcisci velle prædicauit. Gerardum enimuero pupugit ea calumnia, & quod nunquam cogitatione conceperat, irâ feruidus affirmare, quando dictum alter vellet: & ferro probaturum se esse spopondit: eum conditione seruum, & suum esse. Pignus vel sponsionem certaminis ab vtroque Balduinus, iuxta receptum eius temporis ritum, accepit. Id fiebat maniculâ, vel chirothecâ militari in medium proiectâ, & Iudici siue agonothetæ traditâ, sponsionem lacessendo dimicationis decretoriæ dies, * locus certamini

6. dicti. Nihil sanè reliqui fecit Rogerius Cameracensis Episcopus, alijque non pauci, quod ad litem hanc citra prælium finiendam facere videretur, nullo effectu. Ergo ad dictam diem Balduinus vterque, cum totâ omnino Hannoniæ nobilitate, quæ confluxerat, ad aream, cui Sanctæ Waldetrudis templi latus ad meridiem obiectum est, sese confert. Hîc iam aderat Gerardus, & ab ipsâ luce primâ, ad medium vsque diem, antagonistæ sui frustra aduentum præstolatus: per Hugonem de Croix, virum nobilem, Ad-

7. uocatum suum, apud Iudices * expostulare cœpit, rogareque, vt iuxta certaminis leges Beauronium causâ cecidisse pronuntiarent; quod præstitum est. Et quamuis ipse post paulò sisteret se, & in arenam descendere vellet, Comitum procerumque sententiâ ex equo deturbatus, nudatus armis, vinctusque Gerardo traditus est. Qui eum mox velut seruum suum in carcerem abduxit, nec antè dimisit, quàm ipse Domino suo seruitutem seruire paratus, in eius verba solenniter publiceque iuraret. Hæc de singulari certamine. mox iustis vtrique Balduino copijs certandum, non spectandum fuit.


CAPVT

CAPVT IV.

Namurcense bellum. Balduinus Constantinopolitanus eques creatur. Cruciata.

Gilbert. Gauf. Chron. M. S. Meier. Gramai. VVassebarg. Rosier. Quercet. in Luxemb.

§. I. Namurcensis ditio Hannoniis Com. cedit.



HEnrico Luxemburgensium & Namurcensium Comiti fuerunt sorores ternæ: ex Agnete verò coniuge Geldriæ Comitis sorore proles nulla. Aleidis sororum natu maior Balduino Ædificatori Hannoniæ Comiti; Agnes Simoni Friderici Patruo Lotharingiæ superioris Duci nupserant; tertiam Beatricem Manasses Retelij, seu Retestæ Comes habuit in Matrimonio. Supra eam affinitatem, varijs Henricus cum Ædificatori, tum Animoso Hannoniæ Principibus officijs obstrictus: huic vtrumque Comitatum Luxemburgensem, & Namurcensem, quà donationis, quà venditionis titulo, si Cæsar annueret, addixit; vtendi duntaxat fruendique sibi iure reseruato. Non de nihilo autem est quod venditionem donationi annexui, propter sententiarum hac de re diuersitatem. Fortassis quia ictæ, ruptæ, renouatæ toties, & modò hâc, modò illâ, subinde etiam vtrâque formâ conceptæ fuerint huius pacti leges & tabulæ. Sunt qui asserant iam olim cum Ædificatore ipso Henricum eâ lege conuenisse: vt Namurcensem ille Prouinciam varijs hypothecis, quibus erat obnoxia, liberaret, atque sororibus dotem daret de suo. Henricus ille de quo cœpi dicere, dextri oculi iam pridem acie emortuâ luscus fuerat: postea catarrhi profluuio etiam alterius pupulæ vsum amisit, cæcusque & factus, & dictus est. Adhæc Agnetem vxorem, quam post Laurentiæ Elsatiæ prioris coniugis obitum, domum duxerat: ob adulterium suspectam à se amouit; tenuitque annos totos quindecim eiusmodi diuortium. Post

ANN. 1188. verò Henrico Brabantiæ Duce, & Coloniensi Archiepiscopo conciliantibus, recepta vxor marito Ermesindem filiam procreauit, rixarum & contentionum seminarium. Eam etenim infantulam etiamnum in cunis vagientem Henricus Campanus, Iolantâ, Animosi filiâ, cui fidem dederat, obiectâ: sub annum septimum & octogesimum huius sæculi desponsat: & à Namurcensis Prouinciæ ordinibus Cæci heres, terræque Dominus salutatur. Subinde tamen, Cæsaris auctoritate, Campanus in pacis fœdera concessit, Rupis (arcis nomen est) possessione contentus; Henricus verò etiam Balduinum iuni Namurcensibus dicundo præfecit. Quod ipse minus quia rigidiùs, quàm plerique vellent, præstabat: ab inferioribus Iudicibus & Præfectis, quorum ille segnitiem aut iniquitatem exemplo verbisque castigabat, apud Henricum variè insimulatus, quasi non iam vicariam, sed supremam potestatem exerceret; vrbe ab eo, omnique eâ in terrâ imperio deinceps abstinere iussus est, eiusque in locum præcipiti sanè consilio reuocatus Campanus.)

§. 2. Dissidium inter Namurc. & Hann.

Et discessit quidem tantisper dum deferueret Principis Cæci ira Hannonius; at vt obfirmatum vidit, conscripto exercitu in eius ditionem regreditur: quod rationibus nequiuerat, ferro ignique oculos Cæco se apperturum minatus. Nec multum in vicis minoribusue oppidis immoratus, rectâ Namurcum copias adducit, hostis caput petiturus. Maturè in vrbem milites suos Campanus præmiserat. Frustra fuit. Admotæ machinæ, oppidum ruinis patefactum, indicta oppugnatio. Balduinus iunior fere primus munimenta subire, atque in vrbem euadere operosè tentabat. Parens eius ardorem animi, iusto, vt ea fert ætas, feruidiorem moderari, & cohibere laborabat. Quod ni fecisset dubio procul in apertam perniciem temerè effusus iuuenis caput suũ Byzantino diademati intempestiuè subtraxisset. Oppidani & milites diu fortiterque Hannonum impetum sustinuere. cessere tandem, & desperatâ vrbis tutelâ in arcem concessere. Et illa quidem situ atque opere sic

re sic munita est: vt nisi fame in deditionem redigi nequaquam posse videatur. Nam in editæ abruptæque rupis iugo ædificata est; cuius radices Sabis, præaltus amnis alterâ saltem ripâ alluit: ab aliâ parte voragines eluuiesque præruptæ sunt, quæ repleri vix queant. Sed nihil tam alte natura constituit, quo virtus non possit eniti. Tandem & ipsa partim frequenti missilium, ignitorum inprimis eiaculatione, partim militum in fastigium rupis euadere noctu atque interdiu laborantium, oppugnatione fatigati: ad hæc aquæ penuriâ ad extrema adacti arcis præsidiarij atque oppidani sese Balduino dediderunt, & ipse Henricus mox in pacem fœdusque consensit. ANN. 1188. Namurc. vrbs capitur.

At nec illa diuturna fuit, Campano turbante. Arma ergo rursum Balduinus vterque expedit. Theodorici castrum hostibus ereptum, cum subiecto agro Guilielmo Hannoni, Animosi fratris beneficio cessit. Bouinæ oppidum, Veteris-villæ arx, Bieuerensis, Floreffia, aliaque loca in Balduini potestatem venere. Et passim totâ eâ expeditione iunioris Balduini, & Ioannis Cornuti Hannonis supra cæteros virtus enituit. Quo in ea re commendando multus est Guisius; qui vnum de multis dignum hîc recenseri Cornuti facinus narrat. Ioannes Cornutus è Bouinensi obsidione, Namurcum reuertens, dum ad ripam Mosæ fluminis obequitat: ecce tibi quadraginta è Namurcensi exercitu milites probè armati traijciunt, & in eum septem omnino comitatum satellitibus inuadunt. Pugnatum acriter, & à Cornuto stetit victoria. Qui aliquot hostium cæsis, reliquos in nauem compulit. In eorum tamen tergis hærebat, & fugientes modico secutus interuallo, impedire haud potuit quin ij conscenderent, ac soluerent. Hic ille rem ausus est incredibilem, & fortasse magis ad famam temeritatis, quàm gloriæ insignem. In scapham passibus aliquot à ripâ expulsam, Cornutus equum concitat, & eum subito hocce pondere oppressam aquis, simul & hostes immergit. Nec hoc contentus pauculos enatantes persequitur, vnum interficit, alterum capillis arreptum §. 3. Cornuti facinus.

ANN. 1189. ad ripam, & inde in custodiam abducit. Plerique alij aut impetu amnis ablati, aut vorticibus impliciti periere. Cæterum non modò Comitatus Namurcensis possessionem ab Romanorum Rege Henrico accepit Balduinus: verùm etiam noui tituli accessione cohonestatus, & Marchio dictus est: eodemque Henrico Rege annitente, Verdæ sub annum Christi CIƆCLXXXIX. Henrico Brabantiæ seu Lotharingiæ Duci, qui Hasbaniæ Namurcensis partem sibi asserebat; ex pacto Thenas, Lernutumque cum septingentis argenti marcis, concessit.

Balduinus Const. apud Imp. educatur.

Henrico Regi Verdæ Hannoniæ Comes Balduinum filium in aulâ eius tantisper atque obsequio educandum, dum linguam Teuthonicam calleret, obtulit; precatus vt tamdiu viueret, donec vtilis Regi esset. Quem ille humanissimè exceptum in propiorem amicitiæ locum admouit. At dum ibi versatur Balduinus, eius soror Isabella ad plures abijt.

§. 4. Isabellæ mors.

Nimia fæcunditas Isabellæ exitio fuit. Geminos enim altero, & vt solet cruciabili partu enixa est quidem: sed matri lethiferos, atq; ipsos non diu superstites. Obijt igitur Gillem. Bellefor. P. Matth. in . ud. & Tillet.

2. sanctissima Regina Martio mense anni * CIƆCLXXXIX. atque elata non Regis, quàm totius populi maiori luctu, ac in Deiparę principe Parisijs æde tumulata. Quam acerbè eam mortem Balduinus vterque tulerit; haud ægrè intelliget, quisquis reputabit non modò vni filiam, alteri sororem: sed vtrique maximum regij amoris vinculum pignusque perijsse. Bimulum illa Philippo reliquit infantem quem septimo Idus Septembris anni CIƆCLXXXVII,

3. die Lunę prima ante meridiem horâ enixa erat. Is * Ludouicus octauus dictus est: nec vitijs quidem, nec virtutibus apud Scriptores nobilis; quanquam id temporis potiùs, quo regnauit, breuitati: quàm animi paruitati tribuas licet. Nam vel ex eo quòd Angli suis eum popularibus prælatum, regio Britanniæ diademate honorarunt, non temerè colligo eum eximiâ indole fuisse præditum: quem externi, atque adeò quasi hostes Gallis nati, Regem sibi

sibi optauerint & crearint. Vno sanè citra controuersiam nomine beatus: quod eum Ludouicum cui viuo triumphi, mortuo templa dicata sunt: & per eum Borboniam familiam Galliæ, atque orbis totius bono procrearit. ANN. 1189.

Gilbert. Guis. Chron. M.S. Sacræ Pentecostes, eiusdem anni ferijs, Balduinum iuniorem Henricus Romanorum, non verò Philippus Gallorum Rex (quod aiunt aliqui) pro more baltheo cinxit, equitemque creauit. §. 5. Balduinus Comes eques creatur.

4. Equestris ordo.

Magnum eâ tempestate momentum ponebant à viro vel principe, vel forti militiæque claro equestrem in ordinem adsciscí, baltheoque donari. Quam laudabilem consuetudinem ad Patrum nostrorum tempora vel ex eo viguisse constat: quòd à Baiardo Franciscus primus, à Marescallo de Biés Henricus secundus Gallorum Reges creari equites voluerunt. A Carolo magno parente suo eam dignitatem Ingelhemij accepisse Ludouicum Pium tradit Aimoinus: nullo tamen alio ritu: quam quòd filio Carolus in frequentissimo Nobilium virorum cœtu gladium præcinxerit. Paulatim vt fit aliæ inuentæ solennitates et cerimoniæ, quæ tum augustiorem hancce dignitatem facerent: tum verò ipsum Equitem officij sui admonerent. Quas in Guilielmo Romanorum Rege alijsque eiusmodi obseruatas esse narrant Scriptores. Hæc iam vsurpare piget: ita solis in auorum imaginibus apud plerosque constat Nobilitas, scenica nimirum & vmbratilis. 5.

Montluc. Com. — Aimoin. — Becan. Tract. — Vide notas ad hunc §.

Mox vt inauguratus est, hastis Balduinus varijsque armorum generibus, certamina belli speciem offerentia Eques nouellus edidit: in quibus nunquam non laudem, palmam crebrò, Regis principumque gratiam adeptus est semper, & purpuratorum omnium oculos in se conuertit: animos verò largitionibus sanè regijs deuinxit. Adeò autem Regi ipsi charum extitisse Gilbertus affirmat, vt à se vix tantillum abesse sustineret.

Gilbert. Guis. Interim leuioribus quibusdam cum suis, tum amicorum eius parens distinebatur negotijs. Nam & pro * Lossensi Comite contra Brabantum ferrum strinxit: dein Campa- Animosi negotiis 6.

no

ANN. 1189. no inducias, Brabanto pacem dedit. Grauioribus aliæ malis conflictabantur terræ.

§. 7. Ierosolyma.

Saladinus Palestinam adhuc nutantem suo stabiliebat imperio, dum inter se Galli Angliq́ue digladiabantur, & Raimundi Tholosatium Comitis occasione, in nouos fluctus Galliam ferè totam, Normanniam potissimum conie-ctum ibant.

Guil. Brito. Rigord. Auct. Aq. Matth. Paris.

Portentum.

Atque id præsignasse potuit ostentum, quod Februario, huius anni octogesimi noni mense, pluribus, & sibi inprimis, visum esse narrat Rigordus huius æui scriptor. Ait is lunam, Ecclesiæ typum, quæ tum pleno erat orbe, aperto cœlo, paulò ante Auroram speciem cadentis in terram obtulisse; indeq́; post aliquam moram, de integro resumptis velut viribus assurrexisse, seque in cœlum, locumque suum restituisse.

§. 8. Cruciata.

Et Clemente quidem tertio Pontifice adhortante plurima ex Europâ nobilitas Palestinæ esse auxilio maturauit: quorum Principes Margaritus Siculæ, Conradus Montisserratensis Græcanicæ, Iacobus Auesnensis Flandricæ classium Ductores: dein Henricus Campanus, & Andreas Briennius cum Gallis Acconem obsedere. Quos in eâdem expeditione secuti sunt, Fredericus Imperator, Philippus Galliæ, Ricardus Angliæ Reges, cum Philippo Flandriæ Comite, & hic ad Acconem vitâ functus: Flandriæ, vti mox dicam, Principatum ad Hannones transmisit.

CAPVT



CAPVT V.

Philippus Elsatius in Palæstina moritur. Flandria ad Hannonios Principes redit.

Roger. Supp. Sigeb. Arnol. Lubec. App. Radev. Nicetas. Tageno.

§. 1. Cruciata quarta.



VI de sacris in Palæstinam expeditionibus scribunt, quarto eam reponunt loco, in quâ Fridericus Imperator primò, tum Philippus Flandriæ Comes, vitam posuere. Et ille quidem, quæ hactenus in Romanum Pontificem iniquè tulerat, in Saracenos arma conuertit. Octogesimo octauo huius sæculi anno Cruce sumptâ copias in Thraciam effudit, & transmisso Hellesponto Iconiensis Sultani agmina profligauit, Iconium expugnauit: cumque ad tanti viri famam tota nutaret Asiâ, ipso Barnabæ Apostoli peruigilio, anni CIↃCXC. ad Seleuciam, * castris positis, in torrente amne Calycadno, quo æstus leuandi gratiâ descenderat, in ipsis totius prope exercitus oculis, medioque victoriæ cursu potentissimus Imperator * submersus est. 1. 2.

Andr. Marc. Auct. Aqu. Arnol. Lub. Rog. Hon. Alber.

§. 2. Philippi Flandriæ Comitis obitus.

Philippus Flandriæ Comes ditione suâ Mathildis vxoris tutelæ commissâ, Septembri * mense eiusdem anni cum Rogerio Cameracensi Episcopo, Simone Laudensi Abbate, alijsque plurimis vtriusque ordinis viris viæ se dedit, & Germaniam, Italiamque emensus classi se Regis Galliæ Februario mense, dein reliquo exercitui copias suas ad Ptolemaida, * seu Acconem applicuit. Et hęc quidem quarto Idus Iulias nostris reddita est: verùm ipsis Calendis Iunij anni CIↃCXCI. pridie Pentecostes Philippus Elsatius ante hominem exuit, quàm vrbs caperetur. Pestifera eum lues & idem morbi genus quinquaginta omnino quà Duces Comitesue, quà Episcopos, (ita plerique memorant) in Acconensi obsidione absumpsit. Philippi cadauer in 3. 4.

ANN. 1191. publico primùm D. Nicolai ad Ptolemaïdis vrbis muros cœmeterio, ſubinde Mathildis viduæ iuſſu Claræuallis in Burgundia conditum fuit. Ille verò Flandriam, quam viginti quatuor annos proſperâ vt plurimum vſus fortunâ, gubernarat, ſorori Margaretæ, atque adeò eius filio primogenito Balduino, naturæ lege debitam reliquit ille quidem; armis tamen aduerſus iniuriam potentium, hæredi adeundam: quod vtrumque ſigillatim ediſſeram, & primum omnium Balduini noſtri ſtirpem recenſebo.

§. 3. Flandrica Balduini ſtirps.

Balduinus, cui ab animi, corporiſque robore Brachij ferrei cognomen inditum, Flandricæ ſi non ſtirpis, certè gloriæ, & dignitatis auctor habendus eſt. Hic nempe poſteaquam Iuditham Caroli Calui Auguſti filiam, inſciente, adeoque renitente eius Patre duxerat: eoque nomine ſoceri potentiſſimi Iram, totiuſque Galliæ arma in ſe concitata victor ſemper eluſerat; id tandem ex Caluo præter pacem, atque amicitiam impetrauit: vt foreſterij, hoc eſt Regijs terris Præfecti, nomine: quod hactenus à Maioribus ſuis acceptum geſtarat, abrogato: Flandriæ deinceps Dominus, & Marchio diceretur. Huius Principis memoria tantum apud poſteros, ſiue auctoritate, ſiue gratiâ valuit, vt eorum plerique Balduini dicerentur. *Meier. Iper. & c. omnes.*

Ad hunc Balduinum ferreum, Balduinus, qui Pius vel Inſulenſis dictus eſt, longâ quidem, ſed rectâ ſeriè originem referebat; cui cum filij duo Balduinus, & Robertus ex Aleide Francorum Regis filiâ nati eſſent: hic quidem Gertrudem Saxonicam Florentij Hollandiæ Comitis filiam domum duxit, & à Friſijs graui prælio ſuperatis Friſius eſt appellatus: Balduinus verò natu maior Richildem Raginarij quarti Hannoniæ Comitis filiam & hęredem, Hermani Thuringi viduam ſibi vxorem adſciuit: eoque Montenſis nuncupatus eſt. Ex illâ porrò liberos duos Arnoldum Simplicem, ſeu Infortunatum, & Balduinum ſuſtulit. Et illi quidem parenti ſuperſtites vtramque erant hęreditatem adituri, niſi eam patruus præripuiſſet. Robertus ſiquidem Friſius, non tam Richildis, ferocis alioqui mulieris *Gualt. Teruan. Guilbert. Guiſ. Iper. Meier. Chron Flan. Marchant.*

mulieris asperioribus offensus moribus; quàm propriâ cupiditate accensus, matri filijsque bellum intulit; in speciem quod nepotibus ex fratris testamento datus tutor, à Richilde non admitteretur: reuera autem quia mulierem, & pueros facilè oppressum iri ratus, quam iampridem spe deuorarat, hereditatem paternam captaret. Et verò eâ potitus est. Pluribus enim Flandriæ optimatibus, vrbibusque in eius partes concedentibus, nequidquam reclamanti, & omnem mouenti lapidem Richildi, eiusque liberis Flandriam totam eripuit, suoque subiecit imperio, Arnoldum prælio ad Calletum peremit: deinde alterum ad pacem iniquissimam compulit, coactum Flandriâ se abdicare, & solâ contentum esse Hannoniâ. Robertus ergo Frisius Princeps cætera magnus, & eam dignitatem meliori iure possidere dignissimus Flandriam accepit, atque ad posteros transmisit. Non diu tamen eius progenies masculina parta tenuit; quin Balduino Securiculâ Frisij ex filio nepote sine liberis extincto: ad Carolum Danum primùm, tum Guillelmum Nortmannum, demum ad Theodoricum Elsatium, eiusque ex interuallo filium Philippum Flandriæ Comitatus abijt. Et huic tandem etiam hoc anno sine sobole extincto, Margareta soror, Balduini nostri, & Henrici Imperatorum mater successit: atque Balduino animoso viro suo, vero autem legitimoque hæredi, vtpote Balduini Montensis abnepoti, non tam dotem attulit, quàm patrimonium restituit. Ann. 1191.

Meier. Oudegh. Fontan. Suppl Sigb. Auct Aqu. Chron. M.S. Gilbert. Bellefor.

§. 4. Fratrum Philippi Comitis Fland. mors.

Etenim è Theodorici Elsatij liberis, extra hanc Margaretam, nulli supererant. Matthæus quippe, & Petrus, nullâ prole relictâ antea obierant. Et Matthæus quidem post abiectam priorem coniugem Mariam Boloniensem, quam è Monasterio eduxerat, & ex ea binam fœminam procreârat; alteram duxit Eleonoram Veromandensem, de fratris Philipp. consilio: vt saltem ex eâ susceptis liberis Veromandiam Flandriæ copularet, at sine prole paulò post ad Dringurtium sagittâ ictus occubuit anno Christi CIↃ CLXXIII. Petrus verò abhinc annos sex Cameracensibus

Ann. 1191. Præsul datus: mox post fratris mortem abdicatâ haccce Præfecturâ (nec enim vllâ cælibatus lege tenebatur) Petri Niuernensis Comitis filiam vxorem duxit nullo successu bono. Quatuor enim pòst annis, veneno, vti ferebat fama, extinctus est. Sibilla, vnica eius proles, non multum tempus, si Meiero credimus, Patri superfuit; alij Roberto Vaurinio cui Venantij fanum & Lillerium in dotem attulerit: nonnulli Hugoni de Montemiralio nuptam affirmant. Tribus igitur Elsatijs, fratribus suis, qua diximus, morte sublatis, Margareta in eorum bona, eiusque deinceps filius Balduinus successit.

§. 5. Galli attentant Flandriam.

At vixdum Philippus Comes efflarat animam: cum Flandriæ inuadendæ maior, quam Palæstinæ cupiditas Galliæ Regem incessit: atque vnà præsentis belli tædium, quod tamen vix pugnare ingresso non poterat non indecorum iudicari. Ergo interim dum ipse reditum adornat Robertum Vaurinium, ac Petrum du Mesnil Belgas sibi deuotos in Galliam amandat, Præfectisque suis edicit: vti ante copias in Flandriam effundant, eamque occupare enitantur suo ac Ludouici filij nomine, quàm de Elsatij obitu quidquam Belgæ inaudierint. At quo iure, inquies, Gallus eam sibi hæreditatem asserebat? Specioso sanè, si veritate niteretur. Aiebat quippe Elizabetham vxorem quondam suam, Philippi auunculi testamento hæredem ex asse institutam. Verùm commodè accidit, vt in eo Italiæ vico, cui à S. Donino nomen est, Gilbertus ab Hannone, cui erat à secretis, ad Henricum Imperatorem pro Cameracensi Episcopatu, Legatus Gallis occurreret: à quibus Elsatij mortem edoctus, mox Balduinum vtrumque eius rei certiores fecit. Agebat iunior Valentianis, senior in Eburonibus: sed ij confestim iuncti, militem scribunt, & Flandriam occupare festinant. Et valuit quidem non parum ista festinatio: plurimorum tamen animos tum iure sanguinis, tum potentioris Principis auctoritate, Vaurinius, Mesniliusque labefactarunt. Balduinus haudquaquam territus, quod medici solent, leuioribus quosdam, & Auct. Aquic. Gilbert. Guis. Meier. T. Aemdi.

melle

ANN. 1191.

melle medicatis potionibus, alios amaro succo sanare aggreditur; ferrum demum ignemque adhibiturus, si malum obduret. Potiora capita, Principesque familiarum viros auro, promissisque: cæteros argumentis, & minis in suas partes trahit. Et quoniam auctoritate Galliæ potissimum Regis tota res nitebatur: huic Imperatoris si non copias, nomen certè, & auctoritatem opponere molitur.

Balduinus Cons. ad Imp. proficiscitur.

Balduinum filium ad Henricum Imperatorem, cui gratiosissimus erat, cum Renero de Trith, Gerardo de la Hamaide, Ghisleno Bellimontis Castellano, Reginaldo de Strepy, Gossuino de Heriepont, alijsque pluribus è Belgicâ nobilitate amandat. Cæsarem ex Apuliâ reducem, vbi contra Tancredum Rogerij IV. Siciliæ Regis nothum, regno incubantem paterno, bellum gesserat, Vormatiæ Balduinus iunior conuenit, & à Parente sibi iniuncto munere feliciter functus est. Atque Alostum quidem, ceterasque Flandriæ, quæ Cæsarei iuris est, vrbes Imperatoris beneficio accepit, eique hoc nomine sacramentum dixit. Tum aduersus Gallum, aliosue quoslibet hostes, qui in adeundâ Flandriâ Balduino obstarent, auxiliares copias impetrauit. Præter hæc in Leodiensem sedem, * Radulfi Zaringij morte vacuam, Albertum Reteliensem euehere conatus: repulsam tulit à Cæsare, in Lotharium Horstadium propensiore. Sed vtrique palmam eripuit Albertus Brabantinus: qui quas iure meritissimo à Pontifice acceperat infulas, fuso pro tuendâ Iustitiâ sanguine purpurauit, Martyrij lauream anno CIↃCXCII. consecutus. 5.

Chron. Fland. Gu. Neubrig. And. Marcb. Pap. Mapon. Rog. Hou. Chron. Ang. God. Mon.

§. 6. Rex Galliæ è Palestina reuertitur.

Interim è Palæstinâ, parte copiarum Hugoni * (Eudonem perperam nominant) Burgundiæ Duci relictâ: excessit Gallus; binas afferens reditus sui caussas: quas non omnibus probauit; aëris primùm intemperiem, quâ valetudo eius periculosè tentata erat: dein comparatas sibi à Ricardo Rege Anglorum insidias. Quem aiebat iam caput suum esse licitatum, empto ex eâ gente, quam * Assassinorum vocant percussore. Angli nihilominus callidè ista commentum esse Philippum credidêre, vt in absentis Ri- 6. 7.

ANN. 1192. cardi terras impunè grassaretur; Flandri verò sibi hanc Fabam cudi censuerunt. nec falsi sunt opinione suâ.

Iam annus appetierat secundus supra nonagesimum eius sæculi, & Galliæ Rex Lutetiæ Parisiorum Christi natali celebrato substiterat. Ad eum igitur Balduinus festior excurrit pro Flandriâ sacramentum dicturus; sed insidiarum quas ei Rex struxerat, ab amicis admonitus silentio se subduxit, Belgiumque repetijt: certus alioquin ius suum tueri, Gallisque ostendere brachium sibi, non secus ac alteri Balduino proauo suo, ferreum esse, vt caussam meliorem defendat. Gilbert. Guis. Iper. Auct. Aqu. Meier.

Arthesia vltro manus dabat, rogabatque vt Elizabethæ iniquam dotem Balduinus rescinderet. Amplius volebat Margareta vxor, virilis animi fæmina: & Mathildis itidem dotem supra ius æquumque prolatam, accidi. Neutris assensus est Balduinus: ne cui vllam iustæ inimicitiæ occasionem rebus suis nondum firmatis obijceret. Philippum ergo Regem Arthesij mox excepêre, & in eius atque Ludouici filij verba iurauêre. Cæterùm quanquam propius conspecta Flandria sitim Regis accenderet: at vt ea tamen abstineret hinc periculi magnitudo, iam perspecta oculis: illinc facilior captu præda suadebat.

Arthesia Gallis cedit.

§. 7. Ricardus quippe Angliæ Rex e Palæstinâ redux, atque naufragio in littus eiectus, cum in Austriam mentito habitu pergeret, haud procul Viennâ ab Leopoldo Austriæ Duce, cuius ille nuper ad Acconem insignia in cloacam proiecerat, captus atque ad Henricum Imperatorem transmissus, biennium totum in carcere delituit. Ergo in Aquitaniam, qua Galliæ iungitur, Ricardi destitutam præsidio, Philippus Rex arma conuertit; atque adeò cum Balduino pacem vltro ea conditione percutit: vt Arthesiâ suâ contentus, non modò Flandriam ei cederet: sed & Mathildis dotem non parum accidi pateretur; cui & illa non grauatè subscripsit. Continuò Balduinus nouo se sacramento Regi obstrinxit, & Comes Flandriæ, regnique Gallici XII-Vir commisso more pronuntiatus, sigillum, nominisque

Rex Angliæ capitur. Reg. Hou. Otto S. Blas. Pap. Masson. Neubrig. &c

Balduinus Flandriæ Comes.

nominisque appellationem mutauit. Nam & veteribus Hannoniæ tigellis, Flandriæ Leonem præposuit,& in clypei vmbone Namurcensis ditionis notas collocauit, atque Flandriæ, & Hanноniæ Comes, ac Namurcensis Marchio dici cœpit. Et ille quidem paulò post cum filio Philippi Regis partes secutus Normanniam grauiter terram afflixit. ANN. 1193.

Gilbert. Meier. Tillet Guis. Chron. M.S. Inter tympana, & tubas admixtæ tibiæ. Iolendis siue Iola Balduini Animosi filia de Patris, fratrisque voluntate Petro Cortenayo vxor data est, quem Gilbertus Melodunensem, alij Altissiodorensem, nonnulli etiam Tonnerrensem Comitem nuncupant. Petro ille Ludouici Crassi Galliæ Regis filio, & Isabellâ Cortenay, & Montargisi herede natus erat: cuius vti nomen, sic & gentilitia insignia & parens & filius eorumque posteri sibi sumpsêre, familiamque Corteniam, cum ob varias possessiones, tum ob Byzantinum, quo potiti sunt, Imperium, inclytam fundauêre. §. 8. Iolenta eius filia nubit.

Verùm & hoc gaudium purum Balduino non fluxit, Rogerio primum * Warconiensi: qui Tornacensis Castellanus cum esset, nescio quid iuris in Flandriâ reposcebat: tum Theodorico Beuerensi, seu Dixmudano interturbantibus. Atque hic nimirum * Alostanum Comitatum ab Flandriæ Comitibus iniustè sibi eripi clamitabat. Et Brabanti armis confisi, interim dum ille Hannoniam populatur, in Wasiam ipsi hostiliter, atque Alostanum agrum effusi hostiles iras exercebant. Balduinus, Iuuenum lectissimâ manu filio commissâ, ad Niuellensis vrbis mænia copias adducit, in hosticum agmen belli vim detorquere conatus. Engiâ, Feluiâ, Arkennâ captis, Niuellas coronâ cingit. At ecce tibi ea nocte, quæ diem oppugnationi generali indictum præcessit, tam copiosus de cœlo imber decidit: vt ægrè homines & equi consisterent. Quodque hoc admirabilius fuit, postridie mane plerique omnes milites, occultâ atque ignotâ abducti vi, castra deseruere: prorsus vt ex Flandris, Hannonibus, & Gallis §. 9. A Brabanto bellum. 8. 9. D. Gertrudis Niuellas tuetur.


ANN. 1193. Gallis conflato exercitu, vix septimus quisque remaneret. Perculit dubio procul Hannonios Principes tam insolens spectaculum: quod passim Diuæ Gertrudis, quæ loci Tutelaris habetur, meritis tributum est; eosque ad sequestram pacem pellexit. Induciæ ad Pascha primùm valuêre: sed Henrico Cæsare adlaboranti, qui Sonegias Hannoniæ oppidum, pacem per ea tempora moliturus, aduenerat, ad Iunium anni insequentis mensem prorogatæ sunt.

CAPVT VI.

In Namurcensi agro prælium. Mors Margaretæ.

§. I. Brabanti Socij.

Meier. Gilbert. Chron. Fland. Gusf. Dinant.



AGEBATVR quartus & nonagesimus supra millesimum & centesimum Christi annus: & inducijs præscriptum tempus vix effluxerat, quando vtrimque Brabanti Flandrique in armis erant. Parum habuit Henricus Brabantiæ Dux Beuerensem, Cortracensem (seu Warconiensem vt alij nominant) & Guillelmum Sckinkium à Balduini imperio, cui eos natura subiecerat, auertere: ni etiam Henricum Namurcensem Comitē in eum armaret. Insuper Fridericum Viennensem, Gerardum Iuliacensem, Valerandum eiusq; filios, Valerandū alterum, atque Henricum Limburgenses, Albertum d'Alborch, seu Mohanum Comites, & cum his Simonem Leodiensem Episcopū, in belli aduersus Flandrum societatem, traxit. Et omnes sparsis copijs hi Alostanam, illi Namurcensibus vicinas Balduini regiones ingressi; in ijs cædes, incendia, aliaque belli facinora exercebant. Nec his contenti etiam discordiarum facem Gandauum iniecêre; vt non in se ipsi tantùm, sed in Comitem

Gandaui discordiæ.

tem etiam Principemque suum, ciues plerique ferrum expedirent; quo sic in ipsa viscera sæuiente malo, difficiliùs externum propulsaret. At momento pæne temporis ciuiles illos motus Balduini præsentia compescuit. Inde comparato in Flandriâ exercitu: Balduino filio, qui alteram manum ex Nobilitatis, & iuuentutis flore collectam, vnà cum Roberto Vaurinio Flandriæ Seneſcallo, eius Legato eduxerat, se coniunxit. ANN. 1194.

Gilbert. Guis. M.S. lea.

§. 2. Henricus Const. eques creatur.

Henricus filiorum Animosi tertius, & in Byzantino Imperio olim fratri futurus successor, operam suam in hoc bello desiderari minimè patiebatur. Parentem proinde rogare atq; obsecrare, vt se in equestrem ordinem cooptaret, institit: ne tam honestum tirocinium militiæ suæ ponendi opportunitatem opprimeret. Pater contra teneriorem, præ quàm hoc bellum exposceret, ætatem viresque arguere: in aliud tempus differre: eius animum cæteroquin magnopere extollere. At neutiquam ijs rationibus iuuenis cessit: qui sciret militares artes, quippe difficillimas, nonnisi longo, atque adeò à teneris prope petito vsu ei addiscendas esse, qui per eas ad gloriam grassari velit. Ergo Boloniam ad Reginaldum Comitem excurrit: & clam patre ab eo equestri baltheo præcinctus Iulio mense, tempori in Flandriam reuertit. Ita Gilbertus, Guisius, alijque vetustiores tradunt historici. Meierus perperam pro Henrico Balduinum scripsit: quem constat iam pridem ab Henrico Cæsare equitem Spiræ creatum varijs prælijs interfuisse. Profectò sine hac dignitate militiam diu exercere tam * insolens tum temporis viris principibus erat, quàm illâ ad annum vigesimum tertium, quem modò excesserat Balduinus, carere. I.

Auctores S.

§. 3. Ad Nouam-villam acies constituunt Brabanti & Flandri.

In Namurcensem agrum, quò copias omnes suas Brabantus conuerterat, etiam Flander mouit; & vterque non procul à Nouâ-villâ in Hasbaniæ limite consedit. Nobiles supra quadringentos, totidemque inferioris ordinis Equites, & viginti omnino peditum millia Brabanti sub signis habebant. Balduino non plus centum sexaginta hastatis

 Nobilibus,

ANN. 1194. Nobilibus, ducentisque alijs eius equitatus: decem verò millibus militum peditatus constabat. Nempe id erat, quod illis animos ingentes conflabat: vt non tam prælium, quàm victoriam vrgere viderentur; rati vel Flandris & Hannonibus animum, vt tam iniquè confligerent: vel fortunam, vt vincerent, deesse. In vtroque longissimè fallebantur. Non numero sed virtute bella geri Balduinus ipso sæpius didicerat experimento; & vt hæc abesset scientia: cadere nobiliter, quàm ingloriè pugnam detrectare, caussæ suæ diffisus malebat. Huius enimuero æquitas, tum suorum comperta virtus ad prælium seniorem Balduinum, iuniorem proprius ardor animabat.

Balduinus Const. Patris in eo bello Legatus.

Huic vicariam totius exercitus præfecturam, extra iuuenum Nobilium, de quo iam memorabam, agmen, quod ipse per se ductabat, parens commiserat. Omnes quidem Animosi cùm milites; tum duces pugnam deposcere: sed Balduinus iunior in eam præceps esse, sibique ne illa, magis quàm victoria elaberetur, timere. In militum animos oculis, ore, totoque corpore ardorem afflare, Nobilitatem vniuersam gaudio compleri cerneres. Et erat sanè cur gauderent eum sibi Principem & Ducem datum esse, cuius præcoces palmas indoles parturiret: qui neminem è suis in hostes præmitteret, sed ductaret, nec sibi alium è suâ dignatione aut officio fructum proponere, quàm vt ad labores & pericula præiret, victoriamque; non iam partam deuorare, quod faciunt non pauci, sed sudore & sanguine suo comparare velle videretur. Hæc illi quidem voluebant: suumque si quis esset, huius exemplo torporem executiebant. Nam quid animi parenti fuisse dicam? Certè qui solet principibus merito suo viris: quique in liberis non tam oris paterni speciem, aut opes, quàm virtutem maiorum desiderant. Ergo vel ob id, vt filium bellantem cerneret, in prælium inclinauit.

§. 4. Prælium.

Postea quàm velitationibus aliquantum temporis, de more datum erat: pro se quisque Duces aciem componere, idque maximè eniti, vti ventum solemque in oculos hostium

hostium auerterent. Verùm tantâ sollicitudine, & solertiâ vtrimque certatum est: vt neque auersi, neque aduersi sed à latere vtrique agmini esset: quo illustrior victori palma, atque à virtute solâ quæsita cederet. ANN. 1194.

Vt primum tympana, tubæque concrepuêre, Balduinus iunior, qui fronti præerat, cum suis, potissimè verò cum nobili illo æqualium suorum agmine, eos prout tempus tulerat, breui oratione adhortatus, toto impetu in hostem irruit. Brabantus præstantissimi Ducis, Limburgensis Henricus iunior fortissimi militis nomen iam pridem sibi compararant; de eâ gloriâ ne tantillum amitterent, cauebant. Balduinus senior non modò pro gloriâ, quæ semper in bellis valuit plurimum, sed & pro præclarâ prouinciâ conseruandâ decernebat. Ignauo nemini esse licebat. Minùs strenui præcedentes vrgebant, vt ad hostes sibi aditum aperirent. Atque ideo Hannones extra ordines effusi, non iam mediam aciem, sed lęuum cornu toto prope exercitu vnâ serie explicato, obtinebant. Balduinus iunior fortè sagittâ leuiter perstrictus vulnere, & sanguine fuso incaluerat, & vtrumque vlturus, hostes acriùs premebat. Igitur perrupit: & primam Brabantorum aciem fusam fugatamque in medios, Flandris permixti Hannones adegerunt: vt turbatis prorsus ordinibus, quicquid Henricus Dux strenuè quà Imperatoris, quà militis officio functus, ageret: victoria penes Balduinos steterit, paucique hostium manus Brabanti milites euasêre. Henricus Limburgensis cum filio eiusdem nominis, & plus octodecim supra centum primæ Nobilitatis viris in victorum potestatem viui cecidêre: atq; alij quindecim non inferioris longè notæ inter fugiendum, vel stagni vt Guisius, vel Sabis, vt Meierus, ait, vndis hausti perierunt. Viennensis porrò, & Mohanus Comites, atque adeò ipse Henricus Dux ægrè admodum fugâ sibi consuluêre. Ipsis Calendis Augusti mensis, anni nonagesimi quarti huius sæculi hæc memorabilis pugna edita est; in quâ primas, omnium iudicio, Balduinum iuniorem retulisse Gilbertus, Meierus asserunt;

Bald. Constant. lęditur.

Primas in eo prælio retulit hinc Balduinus iunior, illinc Henricus Limburgensis.

Gilbert. Meier.

ANN. 1194. asserunt; Secundas Nicolao Rumignio Hannoni, tertias Roberto Waurinio Flandro adiudicatas. Ex alterâ verò parte Henricum Limburgensis Ducis filium supra suos omnes excelluisse ijdem memorant. Et hic quidem in arcem Haimo-Quercetanam (Quercetanam hodie simpliciter dicimus) eius verò parens Athum abducti sunt. Verùm non diuturna tamen ijs fuit captiuitas. Nempe victoriam modestè exercere, non crudeliter Balduinus nouerat; & humanitate quàm armis hostes vincere illustrius multò arbitrabatur, & verò vtilius. Bello quippe victori corpora, comitate ipsi hostium animi subijciuntur. Eâ re omnes prorsum, sine lytro vllo, captiuos, libertate post paulò donauit; & ipse in virtutis suæ prœmium pacem æquiorem impetrauit.

§. 4. Pax icitur Hallis.

Eodem ipso Augusto mense Hallis, oppido Hannoniæ, quò etiam Cæsar legatum miserat, vtrosque inter Principes pax renouata, & sancita est; vetera quà cum Namurcensi, quà cum Brabanto icta fœdera eodem exemplo confirmata; inque ea pacta de more Limburgensis, Mohanus seu Albochius, Viennensis, alijque Comites iêre, & Balduini amicos porrò se futuros iurauêre. Ab ijs tamen Theodoricus Beuernensis seu Dixmudanus totiùs belli auctor exclusus, Balduini potestati & legibus obnoxius remansit; quem ille exilio, bonorumque publicatione mulctauit. Vix tamen miser ille culpam deprecatus est, quin illico supra spem omnem suam, veniam à benigno Principe impetrauit; & suis possessionibus, honoribusque redditus est. Rogerius, socium, quem in errore præiuerat, feliciùs pœnitentem secutus, cum Comite etiam ipse in gratiam redijt, non item Sckinkius, quem, cùm idipsum tentaret, in Hallensis Deiparæ ædis propylęo nescio quis, quo cum inimicitias gerebat, peremit. — Authores Ss.

Dixmudanus ea excluditur.

Veniam & ipse recipit.

§. 6. Mors Margaretæ.

Huiùs victoriæ pacisque dulcedinem Margareta Flandriæ Comes delibauit tantùm, & viri filijque palmis, cupressos inseruit. Maio certè illa huius anni mense, grauissimo cum morbo conflictata tantùm non animam egerat. — Gilbert. Guis. Meier. Marchant. Oudegh.

Conua-

Conualuisse tamen videbatur; ægritudinem veriùs protraxerat; non alio operæpretio, quàm vt viri filijque felicitatem stabilitam cerneret, eoque suauiùs fato fungeretur. In Nouembrem mensem durauit languor, & decimo septimo Calendas Decembris Winendaliæ, seu, vt alij, Malanâ Flandriæ, quam liberam vocant, in arce placidissimè animam Deo reddidit. Eius corpus incredibili omnium luctu, & dolore vtriusque Balduini; regiâ prorsus pompâ in D. Donatiani Brugis tumulatum, pro arâ Principe ad annum vsque CIↃCCCLII. iacuit. Eo verò anno 4. Cal Quinctileis: quò Ludouico Flandriæ Comiti Cressiaci interempto, locum faceret; ad læuam eius ossa translata sunt: atque in laminâ plumbeâ, ad capulum appensâ, elogium repertum; quod tum insculptum esse, cùm ei primo iusta soluerentur inde liquet: quod solius Elizabethæ filiæ meminerit: sic autem se habet: *Hæc fuit Margareta vxor Balduini Comitis Flandriæ & Hannoniæ, primi Marchionis de Namur, mater Elizabeth sanctissima Francorum Reginæ: filia Theodorici, & soror Philippi Comitum Flandriæ. Hæc fuit plurimorum meritorum, præcellens in omni opere bono cunctas mulieres viuentes tempore suo.* Magnum profectò insolensque virtutis testimonium. Sed enim ab amore forsitan cæco profectum; nihil minùs censeo. Sanctissimæ namque Reginæ mater, non modò sancta quoque, sed vitæ sanctimoniâ cunctis ætatis suæ mulieribus præstantior ab ijs palam deprædicatur, quos, si mortuæ adularentur, mendacij quiuis è Belgio, qui eam nosset (& qui non nosset?) poterat arguere. Nec à suis dumtaxat, sed & ab alienis vtriusque ordinis & sexus hominibus laudem id genus consecuta est; ab egenis maximè qui turmatim ad eius funus effusi, se nutrice, se matre orbatos interruptâ lachrymis & suspirijs voce clamitabant.

ANN. 1194.

Eius Epitaphium.

§. 7.

Eius Eleemosynæ.

Tribus Sacerdotijs Sancti Donatiani Collegium Canonicorum ornauit: Hospitalem Bossuti domum; leprotrophium Querceti, & Parthenonem Vrsini-Vallis si non instituit prima, certè vectigalibus liberaliter auxit. Sex

ANN. 1194. Eius proles.

liberorum mater extitit: Balduini, quem Flandriæ,& Hannoniæ Comitem, pòst & Orientis Imperatorem dabimus; Philippi, cui Namurcensis Marchionatus obtigit; Henrici Angræ in Hannoniâ primùm Toparchæ, dein in Byzantino Imperio Balduini successoris. Filias verò dedit: Isabellam Philippi Augusti vxorem, Ludouici octaui Galliæ Regis matrem, Iolantidem Petro Courtenayo, qui Altissiodorensis Comes, tum etiam Constantinopolitanus Imperator fuit, nuptam; & Sibillam Gerardi Luxemburgensis Ligniaci Comitis coniugem: quamuis antiquus Chronologus, Wiberto de Beaúieu nuptam velit. sunt qui Ioannem addunt, eumque Namurci Comitem ante Philippum fratrem; sed non minùs ipsi, quàm qui Henrico Philippum, in eodem Marchionatu, successisse faciunt, eius ętatis Scriptoribus apertè repugnant; iuxta quos haud plures tribus Margaretæ filij eo quo recensui, ordine enumerantur. Cæterùm Corneliam Gracchorum matrem vti virtute, ita & felici fæcunditate superauit; vt enim liberorum pietatem taceam, sanctumque vitæ exitum, quo omnis humana fælicitas vel coronatur, vel comparatur: tres omnino proles Imperio, alteram regno, procreauit.

CAPVT VI.

Balduinus Constantinopolitanus Flandriæ Comes renunciatur. Virgo Deipara Atrebati miram rem patrat. Balduini Animosi obitus.

§. I. Balduinus iunior Comes Flandriæ. Eius mores.



STatim ab obitu Margaretæ, Balduinus Augustus maternam hæreditatem adijt, Comesque Flandriæ communi Ordinum eius terræ consensu, iuxta & lætitiâ dictus, & inauguratus: eam ipse imperio regere, aggressus est. Erat tum in ipso ætatis

Gilbert. Meier. Auct. Aq. Gudegh.

ætatis vere, quartum & vigesimum agens annum: nec minùs opibus, & armis, quàm affinitate florens. Quippe qui Philippum Regem haberet sororium; & vxori suæ Mariæ Campanæ auunculum. Suis æquè charus, atque externis: hostibus quibuslibet formidabilis; qui norant (inquit Gilbertus) quàm is bellicâ virtute polleret, virisque, non sanguine magis, quam fortitudine, & fide erga Principem inclytis abundaret. Primam verò apud omnes laudem ab ea virtute, quam sacræ litteræ Spiritum Principalem, seu Principe dignum appellant, sibi Balduinus comparauit. Vt enim dem risu dignissimos fuisse Persarum Reges, qui Deos quidem alios sibi, alios populo colendos proponerent (cùm vnus idemque sit mortalium omnium & plastes & Dominus, qui sine discrimine ex eodem luto effictos, diuersas sanè vitæ vias, & circuitus, non alium vero exitum sortiri voluit:) tamen fatendum est præter eas, quæ de plebe homines priuatosùe decent, virtutes, aliquas viris Principibus assignari debere, quibus subditos sibi populos non regant modò, sed etiam antecellant; eoque propiùs morum integritate, atque animi magnitudine ad Deum, quà fas est mortalibus, accedant; quò vitæ conditione, & Imperij dignitate à reliquis longiùs abscedunt. Et verò tam ijs qui regnarent, quàm qui regerent, consilio ac pietate subditis sibi populis prodessent, Regis nomen conuenire sapientissimę orbis * nationes putauerunt.

ANN. 1194.

Principis virtutes.

Ps. 50.

I.

§. 2. Pietatem & Iustitiam Balduinus, vt qui maximè, coluit, & illâ quidem Deum, hâc homines sibi demereri studuit. Iustitiæ tamen clementiam vti sociaret, faciebat inprimis à naturâ ipsâ facilis ad parcendum animus; tum verò eam confirmauit Atrebati Flandriæ nuper metropoli, visum sub huius anni finem prodigium. Iuuenis quidam, eiusdemque soror homicidij rei in Balduini monte (Baudemontem nunc dicunt) rogo impositi sunt. Et ille quidem subitò flammis correptus interijt: hæc verò religiosè, quæ eius sexus propria est virtus, fidenterque, vbi ignem admoueri sibi sensit, Deiparæ opem inclamare, non antè destitit,

Aut. Aq.

Ope D. Virginis mulier rogo subducitur.

ANN. 1195. destitit, quàm ipsa conspicuam illi se dedit, eamque illæsam, & flammis intactam, è rogo eduxit; stupente populo vniuerso, à quo illa ocyus ad eiusdem Deiparæ ædem Principem, gratias actura, & coram Petro Episcopo miraculum confirmatura, elata veriùs humeris multitudinis, quàm adducta est.

§. 3. Balduini ad Imp. proficiscuntur.

Argentinam Germaniæ vrbem, quò tum temporis Henricus Imperator diuerterat: Balduinus vterque, à bello iam vacuus vnà cum Brabantorum Duce Henrico, & Adolfo Coloniensium Antistite, siue inter se nescio quid ipsi dissidentes: seu, quod vero propius est, seorsim quisque pro se suisque rebus cum Cæsare acturi, profecti sunt. Et Flander quidem, pro Alostanâ regione in fide se Cæsaris esse iuratus affirmauit; id tamen Oudegherstius Metis factum asserit; Flandrique Comites hosce enumerat: Gerardum Brugarum Præfectum, & Flandriæ Cancellarium, Ioannem eiusdem vrbis Castellanum, Theodoricum Beuerensem Dixmudæ Castellanum, Balduinum Cominæum, Eustachium Lensensem, Gerardum Oudembourchium, Balduinum vander Meersch, Halsyniæ familiæ parentem, aliosque eiusdem notæ complures. Cæterùm cùm id temporis Argentina ciuitas pestilentiâ, æstu insolito conceptâ, conflagraret, atque eâ re & ipsi ciues in vicinos montes, purioris auræ captandæ gratiâ, dilapsi essent; breuem in ea moram ipsi fecêre. Quantulacunque tamen ea fuit, Balduini Patris corpus, iam senio, laboribusque fatigatum, sic affecit: vt tabescere inde occœperit, sensimque viribus & vitâ ipsâ defici.

§. 4. Balduinus iunior à Galliæ Rege cōtra Anglum cum copijs accersitur.

Vix bene eorum quisque in suam terram reuerterat, quando à Rege Philippo euocatum Balduinum iuniorem, in Gallias excurrere oportuit. Is enim ruptis inducijs, tametsi pacem vrgeret Romanus Pontifex, infesta Ricardi Regis, admodum nuper ad suos reducis, arma sentiebat. *Meier. Rob Abb. Guil. Neubrig. Guil. Brit.*

Philippus Animosi filius eques à Rege Galliæ creatur.

Iam antè ad illum aduolarat Philippus Animosi filius, eique fidelem iuxta & vtilem hoc toto in bello nauarat *Gilbert. Guis. Meier.*

operam;

operam; maximè vbi ab eodem Rege sororio suo sacra Pentecostes die eques creatus est: nec enim quoad fieri poterat, eiusmodi dignitas conferebatur alio quàm insigni aliquo, eximioque die: quem Reges, recepto iam inde ab antiquis more, cùm habitu cultuq; regio: tum ludis & conuiuijs, quibus Nobilitatem fermè totius regni excipiebant, festum agere consueuerant. Porrò Balduinus Flandriæ Comes auxilia Regi Galliæ parauerat, iamque copias Cameracum adduxerat; cum ibi morbi Argentinæ contracti, & viæ laboribus exasperati tentationes rursum aliquas expertus, tantisper subsistere habuit, dum fatigatum corpus quiete recrearet, atque itineri habile idoneumque redderet. At ecce à Parente reuocatur. Igitur exercitu interim in Galliam præire iusso, ipse citatis equis Montes contendit: vbi post paulò prorsus conualuit; patre interim ad mortis metas sensim properante: à quo testamentum huiusmodi conditum est. Ann. 1195.

Balduinus à Parente moribundo reuocatur.

Primùm quidem Philippo filiorum alteri Namurcensem Comitatum attribuit, quem ipse fratris Hannoniæ Comitis beneficio, hic Cæsaris possideret, ab Hannoniâ nunquam porrò diuellendum. Sibillæ filiæ magnam auri vim, vt erant tempora, bina scilicet argenti marcarum millia, siue, ad Lipsij calculum, Philippicùm X. millia, assignauit; alia alijs. Supellectilem omnem suam distrahi, pretiumque egenis erogari voluit; prædia varia, agrosque Valentianensibus Canonicis, Lobiensi, Altimontano, reliquisque ferè omnibus Hannoniæ Monasterijs legauit. Rieuium agri Cameracensis vicum Gerardo à Sancto Auberto concessit, quo ius, quodcunque is in Ostreuandiâ vindicabat, pensaret. Nimirum à matre id iuris eum necesse fuit ducere; quæ cum Godefridi Valentianensis siue Buccieniensis soror fuisset, quem Ostreuandiam Hannoni vendidisse docuimus, paternæ illa hæreditatis partem reposcebat.

Animosi Testamentum.

Testamenti porrò sui curatores Animosus Cambronensem, & Guislenianum Abbates, cum Guillelmo fratre, &

ANN. 1195 Nicolao Barbansonio consanguineo suo, esse voluit. Demùm quòd meminisset contra ius & æquum ab Hannoniæ Comitibus Vrsis, alijsúe feris alendis agrestes homines, canum verò gregibus innumeris monasteria prægrauari solita esse: vtrisque testamento cautum esse voluit, eaque deinceps seruitute omnes liberauit. multaque alia non minùs laude digna sancíuit. Quæ omnia volens lubens Balduinus filius rata habuit, & iuramento firmauit; insuper etiam fratrum, suprà quàm Parens statuisset, hæreditatem auxit, atque Henrico quidem mille terræ iugera donauit: Godefrido autem fratri notho Deiparæ Brugensis Præposituram, variasque aliàs dignitates vel contulit, vel ab alijs Alberto inprimis Cuyckio Leodiensium Episcopo impetrauit.

§. 6. Balduinus iunior rursus it in Galliam.

Secundùm hæc quia Balduinus senior respirare ex morbo, & quasi cum morte inducias pacisci videbatur; cum eius bonâ veniâ Flandriæ Comes in viam se reddidit: & quàm celerrimè copijs suis ac Philippo Regi coniunxit. At cum ijs Anglum vix adoriri cœperat, cùm iter remetiendum, & Hannonia continuò repetenda fuit; si parenti morituro vltima officia à se vellet exhibita. Reditum maturauit ille quidem, & eam celeritatem, quæ potest esse maxima: maiorem tamen mors adhibuit, & Balduinum paulò ante extinxit, quàm filius appelleret. * Obijt ille XV. Cal. Ianuarias anni CIↃCXCV. Comitatum Hannoniæ tenuit annos XXIV. hebdomadas quinque, Marchionatum Namurcensem annos septem, Flandriam tres. Iusta ei à filijs Balduino, Philippo, Henrico persoluta magnificè; eiusque cadauer in S. Waldetrudis æde, è regione aræ D. Iacobi conditum, quod ei vix viuenti tantillum concessum fuerat, acquiescit. Affecit plurimùm ea mors Hannones vniuersos, Balduinum verò Augustum vel maximè; & illi quidem noui notique Principis indole iacturam suam solabantur: hic verò contra quàm fieri assolet, amplæ successionis intuitu, ne quidquam dolorem suum leniebat; & veris lachrymis, quibus plerique amissas dumtaxat

Gilbert. Auct. Aqu. Guis.

2. Animosus extinguitur Anno 1195.

taxat

taxat deflent opes, ipse præceps vtriusque parentis fatum, ANN. 1195.
& suam orbitatem deplorabat. At, quem minùs ratio potuit, dolorem tempus, negotijs maximè, curisque alijs implicatum, sensim vt fit, exturbauit. Et hîc scribendi finem Gilbertus fecit: non viuendi. Is enim ad annum* vigesimum primum sequentis sæculi vitam prorogasse reperitur.


*3.

CAPVT VIII.

Bellum in Hollandos. Fames. Balduini pietas. Angli Gallos bello petunt.

§. 1. Hollando arma infert Bald.

Ioa. Beka. Chron. Holl. Mag. Chron. Belg. Meier. rudegh.



Nno superiore, qui fuit Christi nonagesimus quintus post millesimum & centesimum, Theodoricus florentij in Palęstinâ defuncti filius Hollandiæ Comes, ab Henrico Imperatore facultatem impetrarat vigesimam earum rerum, quæ ad Gerardi portum (vulgo Gheersvliet) vel appellerent, vel præterueherentur: à quolibet mercatore exigendi. Vectigalium huiusmodi nouitas vicinis: vt quemque eorum damno afficit: iniusta plerumque, semper grauis visa: hęc verò abnormis prorsus cuiuis iudicabatur. At nec his contenti, vel Theodoricus, vel certè portorio præfecti: vt sunt eiusmodi hominum ingenia: Flandros institores, sic miserè diuexabant: vt persæpe ab ijs alterum tantum portorij nomine extorquerent. Iure vt cum Plinio, spoliarium ciuium, cruentarumque prædarum receptaculum eiusmodi portus dici posset. Suorum querelis, & rei indignitate permotus Balduinus, Hollandum per legatos ab eo consilio auctori fædo, vicinis detrimentoso auocare conatus: vbi id non procedebat; paruam & subitaneam manum in Valachriam, quam ipsius fide Hollandus possidebat,

Plin. Paneg.

ANN. 1196. debat, immisit. Ad id temporis Guillelmus Theodorici frater è Syriâ reuersus, quod iniquiùs in paternâ hęreditate diuidendâ habitus esset, ab eo animum auerterat; & ad Drechtenses Frisones se receperat; quorum ope fretus Hollandiam populabatur. Theodoricus à gemino hoste impetitus, exercitum bifariam diuidit; & hoc quidem Adelæ, seu Aliciæ Desiderij Cliuensis Comitis filiæ, vxori suæ, virilis animi fæminæ commissos, Frisonibus: cæteros ipse Flandris opponit. Enimuero Adela, Egmondâ Alcmariam profecta, strenuè rem gessit; & Guillelmum primo congressu, à Vinckeliensibus, & Neudorpijs, auro corruptis, fædè desertum, fudit fugauitque. Post paulò Balduini Traiectensis Episcopi, & Ottonis Benthemij Comitis operâ inter eos fratres hoc pacto pax coaluit: vt Guillelmo, præter Frisiam, quæ tota ei relinquebatur, insuper, ex Gheers-Vlitano portorio trecentæ in annos singulos libræ penderentur. Et huic quidem bellum istud bene vertit: pax autem illa Balduino quam importunà sanè accidit; in quem, altero hoste non modò liber, sed eius copijs factus auctior Hollandus continuò irruit, eumque Zelandiâ, dum melior se fortuna offerret, abscedere coëgit.

Contra eundem Guilielmus eius etiam frater insurgit.

Guillelmus à suis deseritur.

Pax inter fratres.

Balduinus re infecta se recipit.

§. 2. Non multò post Compendium ad Gallorum Regem se Balduinus contulit, cui denuo, coram Guillelmo Archiepiscopo Rhemensi, & Mariâ Campaniæ Comite, plurimisque Proceribus nouo se Sacramento obstrinxit: haud æquis Flandris; qui à pactis abire, atque Arthesiam eum repetere volebant. In eam tamen sententiam ire Balduinus non sustinuit; siue quod tam molesto periculosoque bello, nondum stabilitâ cum amicis, Vicinisque Principibus societate, imperium suum auspicari temerarium credebat: seu quod Ludouici, ex Isabellâ sorore, nepotis vitam nutare cernebat: quem si mori contingeret, sine ferro, rem suam ex pacto recepturus erat. Certè Philippus nihil honoris & beneuolentiæ prætermisit, quò eum sibi deuinciret; ad hoc Mortaniæ feudum, vt vocant, ei permisit; vel,

Ad Gallię Regem proficiscitur.

Meier. Rigord. Guil.

vel, certe, eius possessionem, iam ante Flandro adiudicatam, confirmauit. ANN. 1196.

Auct. Aq. Meier Ferr. Locr. Hic * annus ab intemperie nobilis est: quippe sexto circiter Idus Octobris Eurus vehemens incredibiles strages edidit. parum enim habuit, turres, domosque totas strauisse: sed & arbores ipsas, supra fidem ingentes, radicitus euulsas terræ afflixit, & plurimos mortales ædium ruinâ oppressit. Semestre primum fœdis imbribus infame, fruges vel non dedit, vel corrupit; eoque horrendam Germaniæ, Galliæ, Belgioque famem peperit; quâ innumeri mortalium absumpti, vel vltimam ad egestatem, ex mediocri fortunâ redacti; miserum diuitibus, tametsi vtile, præbuêre spectaculum. Id enim tritici vas, quod aliàs quinque assibus venire consuêrat, iam quinquaginta, eoque amplius vendebatur: ex quo multi solum vertere, plures locupletum domos obire mendicando coacti sunt. Suis profecto partibus haud defuit Balduinus, sed * Carolum Danum, cognomento Bonum, Flandriæ Comitem imitatus, & eius memor quod in Isaia audiuerat Principis esse & medicamenta, & panem, & vestimenta populo sufficere; primò magistratibus omnibus ditionis suæ edixit: publicas priuatasque cellas aperirent; eorum frumentum, qui comprimere deprehenderentur, committerent: per se, suosue ipsi certo fixoque prætio, annonam in ciues partirentur: ne, quod vsu nimium crebrò venit, vel monopolia exercerentur, vel certè immoderata diuitum auaritia haud secus ac ipsa fames, egentioribus exitio foret. Tum verò innumeram mendiculorum vim, cocto in eum vsum domi pane, quotidie aluit, quoad hæc calamitas desæuijt. At ea quatuor totos annos durauit, nec sola; sed vt ex limo lœmos Græcis facilè fit; ita & ex fame luem oriri procliue est. Nempe miseri mortales melioris pabuli defectu, noxijs & venenatis herbis ventrem impleuêre; eoque varios morbos, & ipsam pestem contraxêre, quæ facilè vulgata est. Lupos ipsos id mali vehementer perculit, & fames prope in rabiem egit; vt ad Alpes tur-

Isa. 3.

§. 3. Anni intemperies 1196. 1.

Fames.

Balduini pietas in egenos. 2.

Fames quadriennalis. Et ex eâ pestis.

 matim

ANN. 1197. matim grassari, & viatoribus insidias parare visi sint. Et ne quid ad malum deesset, bellum, tertium scilicet irati numinis flagellum, recruduit.

§. 4. Gallos inter Anglosq; bellum resumitur.

Pax medio Anni CIↃCXCVII. Ianuario Gallos inter Anglosque sancita: & edicta vix mensem totum tenuit. Ante enim quàm hyems veri cederet, pacem, si eo nomine vocanda venit menstruum iustitium, bella mox excepêre. Digladiantur inter se vtriusque partis Historici, & in hostem quisque suum caussam conferre satagunt. Neuter fortasse culpæ immunis Regum fuit, quibus inuidia, suspicioque facilè bilem ciebant; at in eâ epistolâ, quam ad Bellouacensem ab Anglo captum scripsit, acriter Philippum Regem rupti fœderis, & turbatæ pacis Cælestinus Papa insectatur. Ab vtroque Rege in societatem belli rogatus Balduinus, vtrumque amicum retinere studuit. Et Anglo quidem, quoad necessitudo non vrgeret, apertè fauere, haud tutum ratus, bona verba satis habuit dare: Philippo autem, Flandros in Angli partes propensos caussatus, in eâ terrâ, in quâ absente se, res ipsi facilè nouas molirentur, cum suis copijs manere, Regi vtilius fore significauit: quàm si Anglo non tam pugnaret in Galliâ, quam ad eam aditum per Belgium aperiret. Nobiles tamen, & non paucos alios è suis ditionibus voluntarios milites, qui otium non ferebant, Gallica * sequi castra passus est. Cum his Philippus in Normanniam inuectus Albemarlium castrum diruit, Ebroicum, & Norencortem ad deditionem compulit; Ricardo nihilo segniùs Galliam populante. Et verò parum abfuit quin ipsum Regem Philippum ad Gisortium caperet, ni Guillelmus de Barres, vel certè Alanus de Roussy, Horatij Coclitis contra Porsennam factum imitatus, pontem, dum alij fugerent, obseruasset.

Chron. Fland. Chron. Fran. Neubrig. Auct. Aqu. Roger. Houed. Meier.

Calest. PP. in Epist.

A neutro stat Balduinus.

E suis ad Galli partes tuendas abire sinit.

3.

CAPVT

CAPVT IX.

Henrici Campani obitus. Balduinus suorum hortatu Gallis bellum indicit.

Auct. Aqu. Vrsperg. Tribens Hist. Cypria. Tillet. Quercet. Montmorenc.

§. I. Res Christianæ in Syria.



Ix quidquam in Syriâ Christianis reliquum erat: pauculæ dumtaxat vrbes ad mare, quę Turcarum rabiem euaserant; tamen non pauci honoris, vel vmbrę veriùs quàm rei auidi Regis Ierosolymitani titulum ambiebant. Henricus Campanus, Marię Flandriæ Comitis frater, vxorio iure eiusmodi sibi nomen, & Regni Ierosolymitani tabulas velut in naufragio exceperat: Ptolemaïde, quam Acconem vel Acram id temporis dici memorabamus, regiâ constitutâ. Et, en Regum, regnorumque constantiam! Hic sexto regni anno; vt manè cubitu surrexerat, è cubiculi fenestrâ, quam incautus aperuerat, præceps in plateam decidit, & collisis miserè eâ ex ruinâ artubus animam exhalauit; relictâ prole geminâ, quam ex Isabellâ Cypri, & Ierosolymorum Reginâ, Conradi Marchionis Montisferratensis viduâ sustulerat; vtrâque fæminâ. Et Aleidis quidem grandior natu Regnum Cyprium sortita est: Philippa verò (quam malè Conradi filiam Cypri historia recentior facit) subinde Exardo Briennio Andreæ filio, & Ioannis Briennij Ierosolymorum Regis consobrino nuptum elocata est. Vtraque paternâ in Gallis hæreditate immeritò, per Theobaldum patruum exclusa. Siquidem, tametsi multum obnitente Balduino eiusque vxore, & hanc nepti iniuriam deprecante: Philippi Regis fauore Campaniam, & Briam Theobaldus ereptum ijt: Huius tamen Theobaldi filium Patri cognominem postea Aleidis altera, Cypriæ Reginæ filia, in ius abduxit. Atque ideo is tandem, quo pactis

Henrici Campani casus.

Eius filiæ duæ: Paternâ in Gallis hereditate pulsæ.

Quomodo Campania ad Regem Galliæ deuenerit.

ANN. 1197. pactis cum eâ initis staret, Blesensem, Carnotensem, Sancerrensem, & Castrodunensem Comitatus S. Ludouico vendidit. Cuius abnepos Philippus Pulcher ductâ in vxorem Ioannâ Comitis Theobaldi (cui post aui materni obitum Nauarræ regnum obtigerat) ex Henrico filio nepte Campaniam æternùm Galliæ copulauit. Ita scilicet quas Regni Gallici partes iam inde à Caroli Magni stirpe, Regum vel imprudentia, vel infirmitas distraxerat, Capetij haud sapientiùs, quàm feliciùs has matrimonio, illas ære redemptas, reliquo corpori restituerunt; Flandriæ cui nunquam non imminebant, idem facere frustra moliti. Quin porrò, vt ad institutam narrationem redeam, aduersus vim huiusmodi præter iustissimas querelas, & minas Balduinus aliud adhiberet: recens, quod contra Gallum susceperat: & in cuius societatem, partesque suas Theobaldum trahere sperabat, bellum intercessit. Cuius belli exortum, seriemque scribere aggredior.

§. 2. Anglus Balduinum contra Gallum sollicitat.

Balduinus, vt erat non minùs pacis cum Christianis, quàm belli cum Infidelibus studiosissimus: quia vnum sine altero non poterat; totus adhuc fuerat in excolendâ conseruandaque Principum vicinorum amicitiâ; maximeque id cauere in animum induxerat, ne qua Gallo, Angloue in suspicionem veniret propensioris in alterutrum studij. Verum enimuero cœpit ipse suo experimento addiscere, idipsum studium, quod Neutralitatem dicimus, neque amicos parare, neque inimicos tollere. Medium esse fortiori licere dumtaxat, vel à fortiori stare consultum. Ægrè Principes belli sui spectatores è viciniâ admittunt; & quam in Palæstrâ olim legem præscriptam aduentantibus esse legimus: Aut abire, aut exui: ita illi, quia medios huiusmodi aduersario quisque suo fauere arbitrantur, maluntque apertos, quàm clancularios hostes experiri, arma vel pro se, vel contra expedire iubent. Id adeò Ricardus Angliæ Rex; per nuntium, quem in Flandriam allegarat ab Comite extorquere summâ ope nitebatur. Pollicitationibus addebat minas. Verbo socium

Neutralitatis incommoda.

Rigord. Phil. Brito. Chron. Fland. Reg. Houed. Neubrig. Meier. Guis.

sociu vel hostem Balduinum volebat; quorum alterutrum vt sine morâ declararet, Legatus vrgebat. Contrà Galliæ Rex, quem huiuscemodi molitio latere haud sanè poterat: Flandri fidem naturâ & voluntate sæpè iam sæpius obstrictam implorabat. Videret perfidusné Domino & impius, esse, metu mediocris rei familiaris iacturæ, quam facilè suâ ipsemet industriâ, Rex verò liberalitate sarcire valeat: quàm honestum incerto vtili præferre malit. Ann. 1197.

§. 3. His difficultatibus circumuentus Comes rem ad senatum cùm Flandriæ, tum Hannoniæ retulit, fixum in animo habens, id sequi quod ipsi potius satiusúe iudicarent. Pauci admodum, ijque vel Philippo re aut spe obnoxij: vel rigidè ex æqui legumque trutinâ negotij momenta pensantes pro Gallo sententiam dixere. Cæteri contrà statuerunt, non vtile modò, sed honestum, sed necessarium cum Philippo bellum: cum Ricardo belli societatem esse. Haud aliam antehac oblatam esse opportunitatem repetendi ferro Arthesiam; quam nobilissimæ Prouinciæ partem æternùm à reliquo corpore diuelli, tametsi ipse Comes non ægrè ferret, Flandros certè eam patriæ suæ labem minimè esse passuros: neque commissuros vt Gallicam amicitiam, repudiatâ Angli societate, tanto redimant. Ab Anglicanâ classe, si ea infesta futura sit, maritimæ oræ vastitatem; ab eius gentis inimicitiâ pauperiem toti huic terræ fieri necesse esse: quando * commercio, Belgicæ nimirum spiritu intercluso, ouium illi suarum lanas huc commeare edicto vetuerint: atque adeò pannariam, quâ fortassis septimus quisque hîc victitat, interire iusserint. Alia omnia si amici esse porrò pergant; eorum quippe mercimonijs opulentiam, armis Flandriæ integritatem accessuram esse, Gallo Arthesiam restituere coacto: quam ille nullo iure bono adhuc retineat; non Elsatij dono, qui per hæredum iniuriam munificus scilicet: quod in liberos, quibus carebat, erogare non potuit, non tam nepti datum, quam sorori, sororioque ereptum voluit: veriùs eo pacto, veluti alienâ pecuniâ, Veromandiæ

Ad Senatum Balduinus de re totâ refert.

Contra Gallum decernunt.

Angli cum Belgis commercij vtilitas.

I.

 diæ

ANN. 1197. diæ vsum fructum iniquè sibi comparauit; quam alioqui
2. terram Flandriæ etiam illam, cum vrbibus * Somonæ adiacentibus, iam olim refixam, sibi vindicare, & ad posteros transmittere debuerat. Et vt Balduinus vterq; eam donationem ratam habuisse dicatur; præterquam quòd per vim, & metum grauioris mali ijs tabulis subscribere compulsi fuerint, certè tam luculentâ patrimonij sui portione, sine ordinum consensu, eos sese abdicare æquum non erat. Hi autem tantùm abest vt in ea aliquando pacta consenserint, vt nemo in ijs sit, qui non hactenus reclamarit: atque etiamnum gloriosum sibi putet pro eius terræ recuperatione vitam ipsam profundere.

Ex Theologis Bald de hoc bello quærit.

Altiùs quàm quisque ratus erat, hæc verba in pectus Balduini descenderunt; ne quam tamen temeritatis, vel violatæ religionis notam incurreret, non antè pronuntiauit, quàm à diuini Iuris peritioribus, bellúmne istud licitum sibi foret, exquisisset. Rectè illud. Etenim belli exitū quærere, non caussas impiorum est. Caussa velut Caput Bonę spei est (liceat huc alludere) quod ducat ad triumphales illas terras. Theologi annuerunt: si Philippus Rex, vel oblata restituere, vel certè arbitris litem permittere detrectaret, posse litem decerni ferrō. Parisijs namque, & à Gallico senatu, quò eiusmodi negotia referri mos erat, aliam quàm pro Rege sententiam expectare, ridiculum fortassis, certè temerarium esse. In suorum ergo sententiam & ipse tandem concessit Balduinus. Proin bellum aggressurus, de more tum recepto, feciales, quos Heraldos dicimus, ad Philippum Galliæ Regem legauit: qui Regi, si Arthesiam porrò detinere pergeret, Balduini, eiusque sociorum nomine bellum indicerent.

Sen. Hero. Lips. Polit.

Decernitur bellum pro Arthesiâ recuperandâ.

Balduini in eo bello socij.

In belli autem societatem cum Flandro ierat Reginaldus Alberti Dommartinensis Comitis filius, & iure vxoris Idæ, Matthæi Elsatij filiæ, Boloniensis Comes; qui recèns ob alapam sibi probrosè ab Hugone à Campo-auenæ Sancti Pauli Comite infractam, quo eam iniuriam manu vindicaret, à Gallo discesserat.

Ipp. Rigord.

Roge-

Rog. Houed. Rogerius Houdeuenius, horum tẽporũ æqualis, Campaniæ, & Britanniæ Aremoricæ Comites eodem fœdere coijsse, auctor est; fœdusq; sacramento & datis obsidibus cum Ricardo & Balduino sanxisse; idque nominatim cauisse: ne cui eorum, sine fidei violatione cum Gallo pacem induciasue, socijs vel inscijs, vel obnuntiantibus agitare liceret. Ad hoc tradit à Ricardo quinq; marcarũ argenti millia in belli incępti sumptus Balduino erogata; quod postremũ quàm vero sit simile, vel ex eo conijciẽdũ venit; quòd ipsemet Rogerius, cęteriq; eius tẽporis Scriptores referunt Angliæ regnum, lytro Regis vsq; adeo exhaustum fuisse, vt ne sacris ipsis templorum vasis temperatum fuerit. Iam verò satis erat virium Flandriæ, quò militem scribere, & Galliam varijs hostibus circumseptam, atque ea propter copias dispalare coactam, etiam ipsa per se posset inuadere. Id adeo Guillelmus Brito, Scriptor alioquin Gallus, in suâ Philippide, & eo maius aliquid de Balduino prædicat: quẽ iure Palatini honoris clarum, proauis superbum, Henaudij, Flandrięque Archi-Comitem nominat: eum videlicet Galliæ Primates plerosque donis sibi conciliasse; dum ait:

ANN. 1197. §. 4.

Sumptus belli nõ à Ricardo accepit Balduinus.

Guil. Brito. l. 4. Philipp.

Qui magnos sibi quosque viros in amore ligabat
Cordaq; Francigenûm sibi venabatur auara,
Muneribus crebris promissorumq; lepore.
Argentum dum largus eis dispergit, & aurum,
Ornamenta, cibos, exenia, prædia, villas.

Vides non modò non indigum æris alieni Balduinum, sed etiam supra Comitis fortunam, regiè munificum?

§. 5. Anglus Galliam vastat.

Vbi feciales præter aspẽtas à Rege minas, & exprobrationes Comiti retulerunt nihil; arma expediri cœpta. Anglus cum magnâ manu in oras Galliæ effusus, S. Valerici oppidum ad Oceanum Britannicum expugnat, monachos fugat, Sancti, eius vrbis tutelæ, corpus in Normanniam asportat; sed antè in eo portu naues aliquot frumento, cæteroque commeatu oneratas diripit, & annonâ suis descriptâ, nautisque in crucem actis, incendit. Inde castrum Dangutum deditione capit, eoque præsidijs firmato in

ANN. 1197. Aruerniam excurrit; cuius dum decem aut duodecim quà arces, quà vrbes suam in potestatem redigit, Philippus Rex Dangutum coronâ cinctum, tandem recipit.

§. 6. Balduinus Galliam populatur. Cæterùm Balduinus cum lectissimo Flandrorum & Hannonum exercitu, Iulio mense, in Galliam ingressus, eam Compendium vsque, sine impedimento vastare; Peronam, & Royam oppugnare, quæ breui sese dederunt; Rex Philippus animo angi; cui potiùs obuius procedat, incertus: cum ecce ei Philippum Bellouacensem Episcopum, regiæ stirpis virum, Roberti Drocarum Comitis fratrem, captum esse renuntiatur. Castrum quoddam (Miliacum vocat Neubrigensis) obsidebat Ricardus. Hîc Antistes gladium quàm pedum exercere doctior, & totus Martem spirans, ex eo castro, in quod compulsus fuerat, erupit, & copias suas in hostem strenuè eduxit; sed indigna nimirum sacris manibus arma auersatus Deus, eius conatus elusit, atq; in Ricardi manus viuũ cadere permisit; vnà cum multis alijs è primâ Gallorum nobilitate; quos omnes, hunc inprimis, fœdiorem fortasse, quàm eius dignitatem deceret, in carcerem compegit; sed eam ipse turpiùs defædarat. Iam verò idem Robertus Ricardi antea, cum is in custodiâ Germanicâ nuper attinebatur, non modò plurimùm dimissioni, & libertati obstiterat: verùm etiam vincula illi compedesque curarat. Nunc lege talionis miser plectebatur. Et tametsi ipse Philippus Cælestini Papæ auctoritatem, auxiliumque supplicibus litteris imploraret, nihil admodum procedebat. Rescripsit scilicet Cælestinus: se eum in Antistitum numero non habere, quem non orantem, aut docentem, sed bellantem, non pedum, sed gladium stringentem, hostis reperisset. Dimissus tamen est postea à Ioanne Angliæ Rege, duobus marcarum argenti millibus redemptionem sibi pactus, adiectâ conditione vt ne de cætero aduersus Principem vllum Christiani nominis arma gestaret; quam is haud religiosè obseruauit.

Auct. Aquicin. Meier. &c.

Philippus Bellouacensis Episcopus à Ricardo capitur.

A Cælestino PP. increpatur.

§. 7. Balduinus Arthesiam inuadit. Interea temporis quo Ricardi armis Philippus Rex in

Normanniâ

Normanniâ implicabatur, res suas Comes Balduinus in Arthesiâ potissimùm promouebat; maximè vbi Reginaldus Boloniæ Comes cum suis copijs, Balduinus item Guisnensis Comes cum Arnoldo filio, & Guillelmo Bethuniensi, sese Balduino adiunxêre. Et Reginaldus quidem paulò antè Falkembergam, Guillelmi à Sancto Audomaro arcem, incenderat; ex quo liquet hunc Galli partibus tum temporis adhæsisse. ANN. 1197.

Guill. à S. Audomaro.

CAPVT X.

Balduinus Arthesiam sibi subijcit. Philippus Rex in Belgium venit. Henrici Imp. mors. Innocentius PP. ad Balduinum scribit. Pro Imperio certatur. In Arthesiâ bellum.

Auctores qui 8.



VÆ in Tornacensi & Cameracensi ditione Regi parebant, Balduini impetum sustinere nequiuerunt; sed pleræque arces & oppidula eius in potestatem mox concesserunt. Inde, si Neubrigensi fides, Duacum oppugnatum, & deditione captum est. At Arthesiæ potiora munitioraque loca pro Rege adhuc stabant. Eò igitur potissimùm Comes animum,& suorum arma conuertit: quam verò priùs omnium vrbem oppugnaret, quia pendebat animi, de eo ad bellicum senatum retulit. Erant qui minora sensim carpenda censerent oppida: quorum & expugnatio facilior esset, & non parum ad terrorem Atrebato incutiendum valeret; tum propugnacula circumquaque erigenda: quibus ipsa ciuitas, non quidem properantiùs: fortiùs, securiusque fortassis obsideretur, & lento quasi igne torreretur. Eam §. 1.

Duacum à Bald. capitur.

In Arthesiam itum.

Atrebatum aggredi quæ dissuaderent.

 verò

ANN. 1197. verò Prouinciæ metropolim præsidijs, & munimentis magnopere firmatam aggredi, quid aliud esse, quàm animis militum victoriâ accensis aquam affundere, & longâ difficilique obsidione ardorem extinguere? Hyemem iam esse in ianuis, importunam obsidionis laboribus tempestatem; cuius frigora apud Belgas, in ipsis vrbibus ciues, nedum in castris milites, ægrè tolerent. Sanum illud erat consilium; Balduino tamen, alijsque non perinde probabatur. Quibus, quod iam tota nutaret Arthesia, occupandos incolarum animos, & maius aliquod facinus aggrediendum videbatur. Pauli Æmilij Roman. Imperatoris exemplo caput petendum; nullum esse membris capite truncatis præsidium: Atrebato expugnatâ, certa erat de reliquis victoria. Illa verò non ita difficilis expugnatu videbatur: cum ciues prope omnes Belgam quàm Gallum mallent. Placuit igitur Atrebatum coronâ cingere. Ad orientem potior Flandrorum vis incubuit; at altero posteaquam ij machinas aptauerant die, Philippus Rex in Balduini terram cum maximo exercitu sese intulisse perhibetur. Ei igitur obuiam ire, atque adeo obsidionem tantisper differre, Flandri omnes decreuerunt.

Impugnatur tamen.

Aduentu Galli soluitur obsidio.

§. 2. Ipso Assumptæ in Cælum Virginis diei peruigilio, Gallorum Rex ad Duacensem vrbem castra subitò collocauit; sed præter oppidanorum spem omnem, eodem ipso die, versus Arthesiam mouit. Inde Legiâ vel Lisâ amne traiecto Flandriam hostili animo inuadit. At secus ei etiam expeditio ista successit, multisque cum incommodis, præcipuè inopiâ, est conflictatus: quia Comes infrà supraque pontibus disiectis, Gallicum exercitum conclusum, vt ait Rogerius, habebat; vt nec commeatum accipere, nec pedem retro efferre possent. Tot enim flumina Flandriæ, quà muniendæ, quà ditandæ natura dispescuit: quasi si areolas hortulanus canalibus: aut arcem miles fossâ multiplice circumcingat. Et vt cæteras eius partes tacitas prætermittam; vt Philippus Rex in eius terræ penitiora euasit: quòd amicos clientesúe nec ante se vllos reperiebat,

Gallus frustra est.

Auct. Aqu. Rog. Houed.

Flandria quàm inaccessa.

bat, nec ponè reliquerat, qui ei, si quâ opus foret, exitum aperirent, hosti seipse proculdubio volens nolens permisisse credebatur. Infrà quippe Lisa amnis, ab ipsis Morinis, longâ circuitione, Flandriam intersecans, Gandauum vsque seipso semper in progressu, vt fit, minorum accessu fluuiorum factus auctior, excurrit. Suprà verò quà propiùs Flandriæ imminet mare, Aa flumen: quà longius Peneus, varijque in eundem alueum illapsi fluuioli Dixmudam abeunt. Nec minor ei, etiam Lisâ superato, ad retrocedendum labor exhauriendus erat: cui Deulla, Scarpusq; traijciendi supererant. Qui vt vado frequentes sint, nihilo faciliorem transitum præbent; tot hinc & illinc siue pratorum herbida, siue agrorum palustria occurrunt; virgultis quæque densis, aut arboretis, plæraque etiam fossis circumsepta: vt haud alibi vspiam certior equitibus, quibus maximè id temporis agmina constabant, pernicies appareat. ANN. 1197.

Balduinum igitur Rex ad colloquium inuitat; quod prope Ipras Flandriæ vrbem habitum est. Hîc enimuero Gallus Flandrum rogare, obtestari ne Gallico nomini iniurius porrò esse pergeret; meminisset se & clientem, & Duodecim-virum eius regni esse, quod ipse armis vltro, suamque iuxta famam fædaret. Addidit se quidem haud alio fine in Flandriam irrupisse, quàm vt eum ad bonam mentem reuocaret. Ad hæc Comes ea respondit, quæ vsui erant: sanctè confirmans, se maximo pacem opere exoptare; arma sibi contra Regem suum, non suâ libidine, sed subiectorum consilio, & necessitate ipsâ inductum sumpsisse; tum vt ne Anglorum armis pessum iret Flandria: tùm vt hæreditatem suam iniustè ereptam recuperaret. Eam Rex continuò restituere pollicitus est, si fœdus cum Anglis initum Comes rescinderet. Id verò, ni periurus esse velit, inscio Ricardo cæterisque socijs, quibus fidem suam spopondit, præstare posse se Balduinus negat; daturum tamen operam, vt fœdus cum Philippo, pacemque ij ferire secum non abnuant, Assensus est his conditionibus Philippus. Cum Balduino colloquitur.

Ann. 1197. lippus, indictumque in diem qui exaltationi Sanctæ Crucis sacer est, inter Gaillonem, & Andeliacum, vtrosque inter Principes colloquium. Ergo Gallicis copijs liber transitus est concessus, & Rex in Regnum suum se recepit: Flandris eum tantum non exsibilantibus, inquit Aquiscintinus; qui satis mirari non poterant adeo infectâ re tam potentem Regem recessisse. Nec minùs ille turpiter à pactis, verbo tenus initis recessit: nihil de Arthesiæ restitutione deinceps audire sustinens. Interea loci, vti pax inter Principes illos coiret, magnopere per Legatos suos Romanus Pontifex elaborauit: quam vt confieri posse desperabant, inducias in annum solidum impetrauere.

§. 4. Baudeloo inchoatur. Hoc anno Baudeloënsi Asceterio in Wasianâ regione initium fecit Balduinus de Boclâ Blandiniensis cœnobij alumnus: stipendia verò Monachis attribuit Balduinus noster: quanquam, & alij in partem eius operis venerint. Curtracense quoque Canonicorum Collegium Balduinum Auctorem habet. Meier. Marchant. Miræus.

§. 5. Henrici Imp. mors. Induciæ porrò quas Gallos inter, & Anglos Flandrosque pactas esse memorauimus, quietis aliquid Christiano orbi pollicebantur: ni eas qui Henrici Imperatoris mortem consecuti sunt motus, haud parum interturbassent. Henricum, Friderici Ænobarbi filium, Guillelmi Siculi & plurium optimatum sanguine fædatum, anno CIↃCXCVII. vxor Constantia, vt plerisque: vel nobiles viri, quorum amicos & consanguineos in suspicionem perduellionis adductos necarat, vt alijs opinio est: veneno sustulerunt III. Cal. Octob. Eius mors in Palæstinam vulgata, res vtcunque restitutas iterum penè pessum dedit: ita Germanorum plerique, qui Henrico hortatore, Crucem sumpserant, ad sua redire properarunt. Maiorem successoris Electio in Europâ commotionem exciuit: vti mox referam. Vrsperg. Collenus. Sigon. Auct. Aq. Godef. Mon. Ritius. Baron. Summonte.

§. 6. Ann. 1198. Innocentius PP. ad Bald. scribit. Anno nonagesimo octauo eius sæculi ineunte, sexto Idus Ianuarias, Cælestino Papa cœlestibus addito, summam Reip. Christianæ Præfecturam Innocentius eius nominis tertius, omnium Purpuratorum Patrum suffragijs, populique. Genebr. Platina. Pap. Masson.

lique totius, atque adeo Superûm conspirantibus votis excepit. Ad Balduinum ille XV. Cal. Maias huius anni, plenissimas amoris & beneuolentiæ litteras dedit; in quibus ob singulare ab Comite ac maioribus eius cum Apostolicæ Sedi, tum ipsi Innocentio exhibitum cultus ac venerationis argumentum: affirmat sibi certum decretumq; esse, in eum coniugemque eius, liberos, ac ditiones præcipuâ curâ, ac sollicitudine incumbere, eorumque tutelam esse. Dein alijs litteris ad Rhemorum, & Senonum Antistites datis præcipit, vt ij Niuernensem (siue Antissiodorensem) Comitem vrgere non remittant: quoad satis Balduino fiat. Is enim iustè querebatur, cum nuper Balduinus Animosus Niuernensi suam, & hic vicissim Philippo Balduini filio suam item filiam in matrimonium elocare pacti essent; Balduinus quidem promissis steterat: alter verò secus. At Pontificis præcepto, & Balduini petitioni, vel Niuernensis, vel ipsius Philippi sponsi voluntas transuersum acta intercessit. Hic enim priori sponsaliorum vinculo rescisso, Philippi Galliæ Regis filiam sibi desponsauit.

ANN. 1198.

Litt. Innoc. 3.

§. 7. Pro Imperio certatur.

Vrsperg. Cuspin. Naucler. Auentin. Onufr. Lequ. Meier. Auct. Aqu.

Inter hæc de Imperio certabatur. filio suo Friderico secundo admodum puero Henricus anno præcedente diadema vbi adoleuisset ab Germanis Principibus impetrarat. Philippus Tusciæ Dux Friderici nepotis tutor, fiduciariam quasi hæreditatem, & vicariam Imperij administrationem, Henrici tertij exemplo, rogabat. Huic enimuerò petitioni permulti alij, & ipse imprimis Innocentius vehementer aduersatus est. Bertholdum ergo Zaringiæ Ducem: quo respuente. Ottonem Saxonicum, Coloniensis, & Treuirensis Archiepiscopi: Philippum autem, Bernardus Saxoniæ, Primislaus Bohemiæ Duces, Albertus Misniæ Marchio, cum Argentinensi & Magdeburgensi Episcopis, Regem Romanorum creauerunt. Ab Philippo Gallorum Rex, ab Ottone Ricardus Angliæ Rex, & Balduinus Flandriæ Comes stetere. Et hic cum eiusdem factionis Episcopis atque Lantgrauio Turingiæ; Lotharin-

ANN. 1198. giæque Duce Aquisgranum, quò Valerandum Henrici Limburgensium Ducis filium cum præsidio Philippus immiserat, obsidione cinxit, castrum deditione accepit, & demum aduersarijs partim fugâ, partim internecione sublatis, Coloniensis Archiepiscopi manu, Otto, prior altero, solenni pompâ diademate redimitus est. Quapropter properauit & ipse Philippus Wormatiæ ferijs Paschalibus coronari. Dein Primislaum, quo sibi arctius adstringeret, Bopardiæ vt quidam, Maguntiæ vt alij, Ducis titulo abrogato, Regem Bohemiæ creauit. Scilicet quo illustrior in eo fortunę ludus, & Numinis potentia cerneretur. Hunc siquidem Dubrauius ex Bohemiæ Principatu in exilium antea actum, fabro murario operam Ratisponæ elocasse refert: dein Henrici Cæsaris compertâ morte in patriam reuersum non magis populi, & optimatum fidem, quam Vladislai fratris pietatem expertum esse. Hic enim contrà quàm Principes solent, maius Iustitiæ, quàm dominationis pretium ratus, solio, ad quod pulso fratre, euectus fuerat, eidem vltro cessit, Morauiâ terrâ contentus. Et nunc ille Primislaus Regis dignitatem adeptus est. Balduinus Comes Gandauensibus, clypei sui, per hæc tempora immutationem gratificatus est. Eoque factum, vt Hannoniæ signis, quæ hactenus Flandricis admista gestauerat, abiectis; leonem solum retinuerit; eâque parmâ conspicuus in Arthesiam mouit.

Fortunæ ludus in Duce Bohemiæ.

Dubrau. Bohem. l. 14.

Meier. Guis.

§. 8.

In Normannia Ricardus & Philippus bellum ineunt.

Dilapso quippe induciarum tempore, inter vtrumque Regem, eorumque socios bellum recruduit; atque in Normanniâ vtrimque acies constitêre. A Gallorum partibus sub id tempus Brabantiæ Ducem, è Palęstinâ scilicet recèns reuersum, defecisse, atque Angli signa secutum esse tradit Rogerius, idem Briennensem, Perticensem, Ægidianum, Blesensem, & Britanniæ Aremoricæ dynastas alij factitasse asserunt; quamquam de postremo non parua est dubitandi occasio; quem ætate iuniorem, quàm vt arma inferret, in Philippi Regis domo educatum fuisse id temporis pleriq; alij affirmant. Sub æstatis finem, vel autumni

Rigord. Rog. Houed. Chron. Franc

initium

initium, Gamegiam inter & Vernonium Galli cum Anglis conflixerunt improsperè; atque eò his se pleraque oppida dedidere. Indè Ricardus Courceliam obsidet. Philippus Rex huc cum copijs aduolat; at non ita repetè, quin de eius aduentu Anglus certior factus, insidijs occurreret, eũ igitur rursum ille fundit, fugatque; & Gisortium vsque persequitur. In cuius oppidi vel castri pontem, vt se Galli, hostem tergo hærentem trepidantes, turmatim effuderant: eo fracto cum plurimis Philippus quoque Rex corruit; & plus nimio epotâ aquâ nihil abfuit quin extingueretur. Ricardus certè potiorem huius victoriæ laudem reportasse: & eâdem hastâ Matthæum Montmorencium, Alanum Roussium, & Fulconem de Gilerual ex equo deturbasse ab Rogerio traditur. Rigordus verò eam cladem Philippi malis facinoribus acceptam refert; potissimùm quod Iudæos, piè fortiterque ab se ante annos sexdecim è Galliâ pulsos, postliminio in eam reuocasset. ANN. 1198. Galli ceduntur ab Anglis. Philippus Rex pene submergitur. Quod Iudæos in Gallias reuocasset.

S. Iper. Meier. Marchant. Pap. Masson. §. 9. Balduinus haud segniùs in Arthesiâ curabat, Rege in Normanniâ distento. Audomarum ergo obsidere placuit. Balduinus Guisnensis Comes, ad Boloniensem portam suos milites statuerat, qui egregiè rem gerebant; atque ex editâ turri, quam eo, in loco, quem postea Dominicani Patres sibi delegerunt, extruxerat: vrbem totam despiciens, eius incolas grauissimè diuexabat. Balduinus verò suburbanam in Colosio arcem expugnauit; ciuesque vbi se fortissimè defensarant eò perpulit, vt à Rege Galliæ per nuntium furtim emissum, suppetias peterent: se ad paucos dies hostium impetus famemque imprimis sustinere posse. Quæ vt frustra esse cernebant, post sex hebdomadarum obsidionem in potestate Comitis Octobri mense fuere; eiusque exemplo Aria, Lilleria, Malanoyum, aliaq; loca eidem se suaque permisere. Cumque his occursuris malis Philippus Rex, & in Arthesiam copias missurus esse crederetur: Marcadeum, eius turmæ, Ducem, quam modò * Rutam, modò Brabantiones Rogerius nominat, in Flandriam Ricardus legauit; qui Gallos vel arceret, Balduinus Audomarum coronâ cingit. Et capit. Item Aeriam, Lilleriam, aliaq; oppida. 1.

ANN. 1198. vel implicaret. Hic verò nihil vſpiam copiarum hoſtilium conſpicatus, nundinas ad Abbatis-Villam in Picardiâ turbauit; merces omnes diripuit, mercatores in captiuitatem abduxit. Dein pro libitu, atque affatim eam regionem populatus, in Normanniam pedem cum ſuis præda grauior retulit; ſeſeque Ricardo adiunxit. Cum his Angli in Galliam audaciùs longiuſque hoſtiliter prouecti, fortunæ vices experti ſunt, & ad Andeliacum ad tria millia, eoq; ampliùs cæſi, victoriam illam duplicem verſurâ Gallis ſoluerunt.

Marcadeus Galliam populatur.

Angli cæduntur à Gallis.

§. 10.

Prodigia Varia.

Varijs prodigijs hunc annum celebrem fuiſſe memorant Galliæ Hiſtorici: quibus fidem, nec do, nec tollo. Et in Veromandiâ quidem equitem reuixiſſe, futura prædixiſſe, & vitam diu abſque vllo potu ciboue traduxiſſe; Roſaci in Brienſi agro Euchariſticum panem, & vinum in carnem ſanguinemque conuerſum, eâque figurâ conſpicuum cunctis apparuiſſe aiunt. Lapidibus in Laudunenſi agro pluiſſe, Caluum montem oppidum, fulmine conflagraſſe: Carnutum magnam partem etiam incendio perijſſe. In Bellouacorum finibus prunas teſtis impoſitas roſtro huc & illuc deferri à coruis viſas eſſe, & in ædes immitti. Alibi ipſo Diui Ioannis Baptiſtæ natalis peruigilio rorem melleum è cælo fluxiſſe referunt. Iulio ita Cælum turbatum eſſe, grandineque aërem inhorruiſſe, vt non modò vites, & arbores, nedum ſegetes, ſed & ipſa domorum tecta & culmina concuſſa corruerint, pecora in agris confecta, atque enecta ſint; & quod è frugibus reliquum fuerat; incredibili fluuiorum alluuione continuiſque imbribus perijſſe. Quæ omnia famem annis ſuperioribus exortam non tantùm fouerunt, verùm etiam auxerunt vehementer.

Gilles. Belleforeſt. P. Æmil.

CAPVT

CAPVT XI.

Res Palæstinæ malè se habent. Philippus Namurcensis Comes à Gallis capitur. Ricardus Rex moritur. Philippus Rex Flandriam hostiliter denuo impetit. Pax cum Gallo-Flandris & Anglis. Tragicus casus.

Blond. Meier.

§. I. Res Palæstinæ quo loco.



Raco ille rufus, qui Adami domum vix adolescentem infami cœde funestauit, & Virginem adhuc terram fraterno cruore polluit: nihil hodieque antiquius habet, quàm vt Christi familiam perpetuis dissidijs dilaceret, quò Christianorum Principum arma, ciuilis bellis implexa, ab infidelium finibus auertat. Innocentium Pontificem rebus Palæstinæ proximè depositis opitulari cupidum, mirùm quàm horum Regum, in quibus totam eius auxilij spem collocarat, dissidia excruciabant. Simon Montisfortis Comes ad Ioppen cum Saracenis conflixerat, & victor quidem, si cæsorum numerum attendas, euaserat: maiorine tamen hostium, an nostrorum dispendio, incertum: quippe quam victoriam Saxoniæ, & Austriæ Ducum mors reddiderat luctuosam. Ex quo Germaniæ Primates, Henrici iam morte fracti, cuius auspicijs potissimùm id bellum susceperant, haud vllis precibus diutius in Syriâ retineri potuere, quominus in patriam reuerterentur reliquis animum despondentibus; & Simone coacto cum Saracenis decem annorum inducias pacisci; maximo Christianorum detrimento; penes quos Tyrus, & Accon, siue Ptolemaïs, dumtaxat remanebant. Ergo Legatos, quo his mederetur malis: in Gallias sub annum CIƆCXCIX. ineuntem Innocentius è

Saxoniæ & Austriæ Duces cæsi.

Meier. Rigord. Gui. Brito. Tr. Brito. Rog. Houed. Auct. Aqu. Iper. Masson.

Cardinales duo in Gallias Legati.

 Purpu-

Ann. 1199. Purpuratis Patribus Binos: quorum vtrique Petro nomen erat, illum Capuanum tituli Sanctæ Mariæ in viâ latâ, hunc Duacensem origine & familia tituli Sancti Petri ad vincula, Cardinales, allegat: ijsque in mandatis dat, vt ad pacem Reges Principesque hortentur: Philippum verò Regem suo nomine vxorem Ingeburgam, quam ab se abiecerat, recipere iubeant. Porrò Petrus Cardinalis Duacensis in Flandriam, Socio in Galliâ relicto, profectus; atque cum Balduino pacis negotium tractare aggressus est. Eo autem intercedēte in Cameracensem Præsulem, cooptatus; hoc nomine apud Regem Galliæ propensioris, quàm arbitros pacis Legatos deceat, in Balduinum animi, suspicionem, quam ipsi natales fecerant non parum auxit, & pacem interturbauit. Sanè qui à Patre Christianorum communi ad Principes veniunt Legati, non modò eum animum, quem parentem decet, erga eos omnes æqualiter habere conuenit, sed & præferre; vt nihil obsit quominùs arbitrentur se ij, non cum hoste, aut socio: sed cum arbitro, & Iudice pacis negotium agitare. Similis porrò suspicio, de quâ memoro, Bessarioni postea Cardinali exitio fuit. Nam cùm is paci Regem inter Galliæ Ludouicum, eius nominis vndecimum, & Carolum Audacem Burgundiæ Ducem conficiendæ à Pontifice destinatus esset administer: priùs ad Carolum quàm ad Ludouicum abijt: cumque eo familiarius egisse dictus est. Vnde vt in Galliæ Regis conspectum venit: ille molliter Legati barbam, quam prolixam gestabat, demulcens, hunc ex Grammaticâ suâ versum recitauit; *Barbara Græca genus retinent, quod habere solebant.* Innuens illum vt originis, sic & Græcæ fidei esse; tum eum à se non satis honorificè amisit. Miser Bessarion ex mœrore pòst paulò dicitur obijsse.

Legati Pontificij medij sint oportet.

Bessarionis obitus.

T. Matth. Vita Lud. XI.

§. 2.

Philippus Namurcensis cum Cardinali Duacensi capitur.

Cæterùm rebus in Belgio ex animi sententiâ confectis comitem se Petrus Cardinalis Philippo dedit Namurcensi: quem frater cum bonâ militum turmâ in Arthesiam mittebat. Sed is in manus Gallorum incidit. Robertus enimuero Blesensis, vel Belleyensis (Lutosanum Meierus

&

& Guisius nominant) cum Eustachio à Noua-villâ, & Hugone d'Hamelencourt insidias ei parauerat: in quas Philippus incautè cùm incidisset: fortiter quidem & generosè pugnauit: at numero bellatorum, & loci iniquitate victus, vnà cum duodecim circiter equitibus, & ipso Cardinali, eiusque fratre viro domi nobili, armisque imprimis strenuo, captus, & in Normanniam ad Regem abductus est. Qui postea quidem Cardinalem, paulo ante pacem conuentam, libertati restituit, cæteris in custodiâ reseruatis. Hæc prope Lendium Arthesiæ, cum quibusdam: quam iuxta Lutosam Hannoniæ vrbem contigisse malim. Nec enim in Prouinciam hostilem penetrare, in eâque cum exercitu se abdere Gallis licuisset. Hæc clades Balduinum vt par est affecit, & ad eam pensandam hostium iacturâ, & calamitate acrius solito commouit. Illico arma conclamari imperat, Cortracum primis castris, inde in Morinos mouet. Hic Ardeam, aliasque minores arces qua vi, qua conditione in potestatem redigit; sed importunus maiora meditanti Ricardi Regis obitus, arma de manibus propemodum excussit.

ANN. 1199.

Ardea à Balduino capta.

Auctores §.

§. 3.

Legati sequestram pacem, cùm aliam non possent, in annos quinque ex Regibus impetrarunt; non confirmatam quidem illam obsidibus datis & acceptis, atque ideo parum valituram. Interea verò temporis Aicadrus quidam vir in Lemouicensi terrâ nobilis, ingentem Thesaurum effoderat; qui, si Rigordo hac in parte fides sit, constabat Regis cum vxore & liberis ad mensam assidentis statuis: iisque, ait Nicolaus Gillius (vt erant auorum nostrorum credulæ mentes) ad iustam hominis magnitudinem, ex auro puro solidoque effictis. Eius Thesauri partem, ex legum præscripto, ad Ricardum Regem, Lemouicensis agri superiore iure Dominum, Aicadrus transmiserat; sed is auro inhians, ni totum tradat, bellum expectare eum iussit. Ille apud Vidomarum Lemouicensem Vice-Comitem perfugium reperit. Hic siquidem vbi rationibus, supplicijsque Regem delinire nequijt, nec id saltem impetrauit,

Rigord.
Nic. Gill.

Thesaurus repertus.

Ricardus totum vult.

uit,

ANN. 1199 uit, vt ad Parisiensem Senatum eâ de re referri sineret, vel certè in Pascha inducias concederet; Aicadro Castellum cui nomen Chaluzium Capreolij permisit; quo se reciperet. Huc illico Ricardus, irâ non magis quàm auri cupidine ardens; cum magnis copijs aduolat; machinasque aduersus arcem, quam sex tantummodo equites, nouemque milites, quos satellites dicebant, præsidiarij tutabantur, instruit. Ij, vitam si paciscatur, arcem vltro Regi demisseque offerunt; sed eorum sanguinem Ricardus vitamque sitiebat, ignarus fore suâ ipsius vt illam empturus esset. Bertrandus quidam Gurdonius fortè tum per arcis pinnas prospectabat, quum in eum Rex ipse Balistâ minori sagittam eiaculatus, aberrauit; alter verò eam ipsam è muro, in quem impacta erat, euulsam in Regem tam certo destinauit ictu, vt eius humero infigeret. Et tametsi vulnus per se haud lethale esset; quia tamen nec in medicorum potestate esse, nec venere quam maximè ij vetabant, abstinere voluit: * octauo idus Aprileis Anni CIↃ CXCIX. è viuis abijt. Narrat autem Rogerius castrum pòst paulò expugnatum, militesque patibulo addictos esse omnes; præter hunc Bertrandum; ex quo cum quæreret Ricardus cur sibi lethale vulnus inflixisset? constanter illum nihilque formidantem respondisse: Quia verò tuâ ipse manu Patrem, Fratresque binos mihi trucidasse parum habuisti, ni & me sagittâ ad necem peteres. Quod superest in tuâ sum potestate; non magis cruciatus refugio, quàm facti pænitet. Ricardus contrà gloriosum sibi Christiano; & morti proximo arbitratus ex clementiâ laudem vltimam quærere; vitâ ei & pecuniâ aliquâ condonatâ, impunè hominem abire iussit, at inscio Rege Marcadeus clam retentum, & per impietatem, æquè ac crudelitatem summam cute nudatum; in Crucem egit: cuius ipse sceleris anno proximè sequente pænas dedit, à Brandino quodam Burdegalæ ex insidijs interfectus. Ricardi corpus ad Fontem-Ebraldi delatum, atque ad pedes Henrici Parentis, quasi veniæ petendæ gratiâ sepultum; cor Rhotomagi, viscera

Chaluzium obsidet.

Sagitta feritur.

1. E vitâ decedit.

Roger. Hou.

Ricardi victus.

Vbi sepultus Ricardus.

viſcera Pictauis recondita fuêre: vnde neſcio qui aduerſariæ factionis, hoc ei elogium adſcripſit. ANN. 1199.

Sic loca per trina ſe ſparſit tanta ruina:
Nec fuit hoc funus, cui ſufficiat locus vnus.

Arturum ex fratre Godefrido nepotem, Britanniæ Ducem, Ricardus moriens ſibi in regno hæredem ſcripſerat; at eum Ioannes patruus, quem ſine terrâ dixêre, expunxit, atque Angliam Normanniamque ſibi prior ſubijcere occupauit: ijſque congruenter rebus, ſexto Calendas Iunias, diademate coronatus eſt: Arturo quod reliquum erat Regis Philippi auxilium haud fruſtra implorante.

Ei Ioannes frater Arthuro expuncto, ſuccedit.

Suppl. Sigeb. Ld.

Meier. Roger.

§. 4. Philippus Rex in Flandriam it.

In Flandriam ſecundùm hæc Galliæ Regem deſcendiſſe, ſpe Comitem ab Anglicano præſidio nudum obrui poſſe; & recuperatis ijs locis quos in Veromanduis Flander interceperat, Liſâ amne traiecto, ad montem quem Ipræ ſiue Acutum vocant, eius vrbis obſidendæ gratiâ acceſſiſſe auctor eſt Meierus; quem non aliud quàm quæ ſuperiore anno memorauimus, recitare ſuſpicio eſt. Pergit porrò, aitque eum, vt vidit ſuis frumentatum excurrentibus, aut annonarijs ad caſtra adeuntibus, à Flandris; atque adeò toti exercitui, à fame perniciem imminere; colloquendi cum Balduino copiam ſibi fieri ad Belliolum impetraſſe; reſque eò adduxiſſe, vt pax icta eſſe videretur: niſi Regem Comes malè agere, ſibique pedicas ſtruere intellexiſſet. Ocyus ergo is, vt Galliam Philippus repetijt, in Angliam ipſe tranſmittere, cum Ioanne Rege fœdus percutere, atque ab eo non pollicitationibus modò, ſed & auxilijs acceptis, cum Barri, Boloniæ, & Guiſnæ Comitibus, quibuſcum Anglus conuenerat, Galliam terram ferro igneque populari aggreſſus eſt. Narrat Rogerius dum Rhotomagi Ioannes Rex ageret, ipſo regni initio, ad eum à Balduino Philippum Namurcenſem Marchionem miſſum ijſſe, qui fædus fortaſſe hoc vel inchoaret, vel confirmaret, biduoq; ante Aſſumptæ in Cælum Deiparæ feſtũ diem Philippum tertis quibuſdam, eius verò fratrem nothum Godefridum lauto in Eboracenſi æde Sacerdotio donatos ab Rege eſſe.

Cum Ioanne R. Balduinus fædus percutit.

Roger.

ANN. 1199.
§. 5.
Maria Campana Balduini vxor pacem meditatur.

Auct. Aqu. Meur.

Cæterùm id genus cum affine, Dominoque bella, parum quidem pluribus alijs, Mariæ certè Balduini vxori minimè gentium arridebant; eâque re, viro annuente, Parisios ad Regem auunculum suum contendit: à quo cùm honorificè, tum beneuolè accepta, Regem non minus quietis, quam ea esset cupientem, ad pacis conditiones adduxit.

Philippus Rex ob repudium vxori datum anathemate percussus.

Nangis. Ann. Fran. Chron. Foxiens. Bellefor. Æmil. Masson.

Enimuero præter Regem Angliæ, eiusque è Gallicâ nobilitate socios, Innocentium Pontificem hostem habere Philippus cœperat. Hunc enim ille per Legatos suos, quod ante sæculum integrum Philippo alteri factum fuerat, quòd Isemburgem vel Ingeburgam Danam vxorem, abiectâ pellice Mariâ Morauiæ Comitis filiâ, recipere nollet, anathemate ferijt; eiusque Regno sacris interdixit: quæ res optimates potiorem partem ab Rege auertit. Atque idcirco plerique publicis chartis, diem quo eæ scriptæ essent adnotaturi, Regnante, non Philippo, quòd antea consueuerant, sed Christo inscribebant. At tantò acrius Philippus in cœptis pergere, Isamburgem custodiâ claudere, Episcopos, qui eius anathematis feriundi auctores, conscijue erant, in exlium pellere, Nobilitati hactenus à vectigalibus eximiæ, tertiam bonorum eripere, reliquis grauis & atrox esse perseuerabat. Et ecce (exclamat Belleforestius, vir cęteroqui Gallus, & Regum plus ęquo auctoritatem amplificans) quàm malum est Ecclesiæ morem non gerere! vel ex eo palam est: quod bonus hicce Princeps, antè moribus suauissimis, cunctisque acceptissimus, quàm vxorem dimitteret, & Pontificis decreta sperneret: nunc suis non parcit; & alia omnia quàm ipsum Adeodati, quod aliàs acceperat, nomen portendebat, in sui regni cladem perpetrare non veretur.

Bellefor. Ann.

Idem in Hispaniâ malum.

Hist. Hisp.

Haud dispari morbo id temporis Hispania laborabat; & sacris abstenta, Alfonsi Legionensis Regis insanam libidinem detestabatur. Is enim parum habuit à Calixto Papâ damnatas cum Lusitanâ consanguineâ nuptias celebrasse; ni & eâ mortuâ peius aliquid moliretur: Castellanam Berengariam abneptem suam vxorem ducendo.

Et

Et tametsi obstinatus sana Philippus suorum consilia respuebat; eorum tamen abalienatos ea propter animos non parum reformidabat: ideoque Balduinum Comitem sibi demereri studuit, nec grauatè in pacem cum eo consensit.

Meier. Contin. Aud. Aquic. Anon. Aquic. — **ANN. 1200.**

Februario igitur mense anni sæcularis millesimi ducentesimi Philippus Rex, & Balduinus Comes vnà cum multis vtrimque Principibus viris, quà amicis, quà belli adhuc socijs, Peronæ Picardiæ vrbe concilium de pace habuere; & bonum factum, eam hisce conditionibus oppidò quàm Comiti vtilibus sanxêre: Balduinus Comes Audomarum, Ariam, Guisnense feudum, Ardeam, Lillerriam, Ricqueburgum, Gorgam & quidquid fuerat Aduocatiæ, vt aiunt, Bethuniensis cis fossam, siue canalem nouum, cum Mortaniâ terrâ & arce, sibi suisque porrò retineto. Ludouicus Princeps, Philippi Regis filius, Atrebatum, Bapalmas, Lendium, Hesdinium, cum feudis Sancti Pauli, & Boloniæ eo pacto possideto; vt si non susceperit prolem: ea omnia in vnum Flandriæ corpus rursum æternumque coguntor. Ratum vt id pacti haberet Ludouicus: recepit Parens; neque antè Atrebatum filio concessurum esse, quàm is in pacis huius verba iuraret. Balduinus verò ex Hannoniâ viginti, totidemque daturum se pollicitus est ex dotalitiâ Mathildis terrâ, quos ille delegerit, Regi obsides: iuratos eidem se sistere, quandocumque Comes à pactis recesserit; litterisque ad complures suæ ditionis Episcopos datis potestatem facturum, vt ij diris se deuoueant, si fidem fallat; quæ omnia Innocentius Pontifex suâ auctoritate, litterisque confirmauit. Cum Balduino autem ei paci Gerardus Præpositus Brugensis & Flandriæ Cancellarius, Sigerus Gandensis, Ioannes Insulensis, Theodoricus Dixmudensis Castellani, Gerardus Belliolanus, Gerardus Grimberganus, Balduinus Cominius, Hugo Hauderghemius, alijque subscripsêre. Rursum ergo Flandriæ Comitatum cum ijs vrbibus locisque, quæ eius pacis lege obtinuerat, beneficij seu feudi nomine à Rege Balduinus accepit. Et hoc operæ suæ, bellique

§. 6. Anno 1200. — *Pax ista Balduino commoda.* — *Litt. Innoc.* — *Qui subscripserint.*

 pretium

ANN. 1200. pretium præter laudem; secus quàm multi opinabantur, reportauit. Reliquam Arthesiam Ludouicus Augusti filius retinuit, quam nonnulli hoc tempore, alij in ipsis Isabellæ nuptijs * Comitatus titulo decoratam esse tradunt. At seriùs non paulò eiusmodi titulorum solemnis concessio fieri cœpit. Atrebatensis Comitatus nomen antiquissimum quidem; verùm eo primùm vsus est Robertus Ludouici Sancti frater: non ex fratris aut Patris auctoritate, sed ipsâ consuetudine suffragante. Qui enim Regiâ de stirpe erant, Comites Ducesúe eius loci, quem quisque nanciscebatur, dici solebant. Et verò in eo diplomate quo Roberto fratri Arthesiam terram S. Ludouicus concedit, aut confirmat, Comitatus, Comitisúe mentio omnino nulla fieri cernitur.

Auct. Aquiper.

2. Arthesiæ Comitatus.

§. 7. Cum Anglo etiã pax.

Tametsi in eius pacis fœdera Ioannes Angliæ Rex nominatim non ierit, eo tamen annuente illa icta est; & ipse pòst paulò cum Gallo collocutus iuxta Andeliacum, tandem consensit: quo se ab Arthuro nepote tutaretur: cui, si Gallus suppetias ferret, impar erat; adeóque aliquot in Galliâ locis terrisque Philippo, quàm toto Angliæ regno nepoti cedere maluit. Et vt eò fortius fœdus esset, Alfonsi, octaui eius nominis Castellæ Regis, sororij sui filiam Ludouico, vt Philippus acciperet vxorem, pactus est Ioannes; * Blancę expressum nomen volunt plerique omnes: vnus nescio qui alterúe duarum puellarum optionem Gallis relictam asserunt; cumque Vrraca, quod picam sonat, pulchrior & natu prior esset: Blancam tamen, hoc est candidam, nominis augurio non magis, quàm eius prudentiâ moribusque delectati, maluerunt. Nuptiæ regio more magnoque Principum concursu, in quibus & ipse Balduinus, sponsi auunculus, celebratę sunt; ex eoq; matrimonio, vti aliàs memorauimus, S. Ludouicus prodijt.

Rigord. Ann. Franc. Chron. Flan. Matth. Paris Matt. VVestmon. Roger. Hou.

Blancæ cum Ludouico Principe Galliæ matrimonium.

3. Piper.

§. 8. Tragicum facinus

Hoc bello absolutus, opibusque auctus Balduinus, animum ad Palestinam totum applicuit, hocque anno cum alijs plurimis cruce in eum finem signari voluit; vti paulò pòst dicemus. Antè autem tragicum facinus dabo, tam nouum, quàm funestum, quod occasione ludicri certaminis,

nis, cui recentiores hastiludij nomen fecerunt, hoc anno vel summùm primo, & non altero huius sæculi patratum est, si modò ei ludo Balduinus, quod vult Leodiensis Historicus, interfuit: quem constat sequenti è Belgio discessisse. Quia verò in hoc libro sępius hastiludij nomen occurrit, de eo paucis præfabor. Ludi hi quos Torneamenta, & Iuxtas Galli dicebant, non à Troia, vt quibusdam placuit, nomen sumpsêre; nam in ijs quos à Virgilio, Tacitoque descriptos legimus: equorum cursu tantummodo certabatur: sed quod in orbem, vel suis quisque vicibus, primò in versatilem statuam, humi defixam; tum inter se iuxtaque positi hastis obuijs equites concurrerent, Iuxtæ, & Tornea dicti sunt. Hos porrò ludos primum Magdeburgi Saxoniæ vrbe, sub annum CIↃXXXVI. esse datos tradit Munsterus. Et quamquam eæ hastæ non erant ferro exacuto vulnificæ, sed quasi præpilatæ, vel pixide præferratæ; tamen plerique ex ijs qui minùs corpore, vel industriâ, aut certè equis valebant: pars spiritu interclusi, pars equorum vngulis obtriti non rarò enecabantur; alij luxatum mutilumue membro aliquo corpus referebant; idque nullo conditionis, vel dignitatis discrimine. Testis Robertus Clarimontis Comes Borboniorum parens, qui ex eiusmodi ludo sic malè affectus redijt, vt reliquam ætatem languens miserè traxerit. Henricus & Ioannes Brabantiæ Duces, Guillelmus Dampetræus ex Margaretâ filiâ, Balduini nostri nepos, Ludouicus Ludouici Comitis Palatini filius, Florentius eius nominis quartus Hollandiæ Comes, sexcentique alij primæ notæ dynastæ infelicem crudelibus eiusmodi ludis mortem vltro sibi accersiuêre. Et Patrum nostrorum memoriâ Henricus eo nomine secundus Galliarum Rex anno CIↃIↃLIX. nuptias Elisabethæ filię cum Philippo Hispaniarum Rege non tam ludis illis honestauit, quàm morte suâ funestauit. Quod tale antea mortis genus Simoni de Thouars Drocensium Comiti obuenerat, ipso nuptiarum die. Nihil his tamen funeribus Nobilium animi refrigescebant; sed in ipsâ prope decrepitâ

Margin notes: Ann. 1200. — De Hastiludijs. — Fauchet. Munster. — Virgil. 5. Æn. — Tacit. l. 11. Ann. — Munster. l. 3. Geogr. — In Hastiludio Principes interfecti.

ANN. 1200. pitâ senectute talia insanire perseuerabant. Quin anno huius, de quo scribere aggressi sumus, sæculi septuagesimo

Centenarius hastis concurrit.

octauo Ottonem de Hallowe, quem Ministerialem Austriæ nominant, annos centum totos natum, cum Hugone pronepote suo Viennæ strenuè hunc lusum lusisse eius Prouinciæ perhibent Annales. Nec eam insaniam Pontificum decreta sanctionesque, quibus ob frequens vitæ periculum damnabatur, temperabant, non plus quàm singularia hac tempestate certamina; quanquam id inter vtrumq; discriminis erat; quod illa haud per se mala, Principibus probarentur; hæc & rationis, & Magistratuum cuiuscunque modi legibus seuerissimè vetita, solis improbis, & odio, atque irâ furentibus non displicent. Hist. Austr.

§. 9. Hastiludium Andennæ.

A bello per pacem nuperrimè ictam otiosi Principes Belgæ Hastiludium Andennæ, Namurcensis terræ ad Mosam oppido, Canonicarum Virginum Collegio nobili, ad pridie Idus Martias indixerant. Huc Balduinus Flandriæ Comes, Henricus Brabantiæ Dux, * Albertus eius vel patruus vel auunculus, Alborchi & Mohæ Comes, Philippus Namurcensis Marchio, Hugo Florinensis perpluresque alij conuenêre. Vitramus. Brussem.

4.

Albertus Mohæ Comes.

Albertus porrò Mohæ Comes binos filios, Henricum & Guillelmum, ludos spectatum in foris, non in catadromo pugnatum, quod ætas ijs immatura non concedebat, secum adduxit, & domum pòst reduxit: monitos sæpe sæpius cùm in reditu, tum inter cænandum domi, vt præclaram equitum eorum virtutem, quos ferociùs procurrere, palmamque alijs præripere viderant, æmularentur aliquando. Interea tamen dum adolescerent, pueriliter citraque periculum, sese in eo ludo exercerent. Et illi quidem, quorum prior decimum vix & quartum ætatis annum exegerat, alter vno minor, auidiùs quàm oportuit hæc animis infixêre; eique consilio incautè nimis obsecuti sunt. Nam die Dominicâ proximè appetente, Parentibus ad Mohanum templum cum frequente familiâ egressis, misselli pueri alijs se subducere, furtimque arreptis quisq; è supellectili culinariâ verubus, in hortum areamue ab reliquis

liquis ædibus discretam descendere: tum in se inuicem obuijs nimiumque infestis armis procurrere cœperunt: tamque dexterè sinister casus eas hastas direxit; vt ijs transfixi eodem pæne momento temporis ambo fratres expirarint. Etiamnum, inquit Leodiensis historicus, extat Mohæ, primo ab Huiensi vrbe lapide, in ædis sacræ altaris abaculo hocce facinus coloribus effictum: at, nisi Timanthis velo, Parentum luctus exprimi haud potuit.

Ann. 1200.

Mohani Comitis filij se verubus inuicem transfigunt.

Ægid. cont. V. Renier. S. Iacobi.

§. 10.

Obierat ipsis Calendis Februarij Albertus de Cuyck Ecclesiæ Leodiensis Episcopus, laboribus iuxta ac vitijs, simoniâ maximè, nobili vitâ functus. Ei Hugo de Petraponte Manassis Reteliensis Comitis, ex Clementiâ Agathâ filiâ nepos, Balduinique consanguineus, eius potissimùm ope suffectus est; atque ab Ottone Rege, qui fortè id temporis Leodij erat, regalia ex formulâ accepit iura. Huic tamen electioni, quia plerique Canonici, & nominatim Henricus Archidiaconus, vir nobilis,* alijque refragabantur, atque Pontificem appellarant; etiam ipse ei se sistere cum aduersarijs opus habuit. Balduinum igitur Hugo pro amicitiæ, sanguinis, & clientelæ iure rogauit, vt se absente Rempublicam illam auctoritate suâ tantisper, præsentiâ quoque, quando res cunque exigeret, absq; sua fraude, aduersariorumue commodo moderaretur. Quod prolixè præstitit; & Hugo, sententiâ pro se à Pontifice obtentâ, Leodium postea Balduino Augusto Comite & adiutore de more ingressus, cum plausu exceptus est.

Hugo de Petraponte Leodiensium Episcopus.

Romam proficiscitur.

§.

Balduinus pro eo Leodiensem terram curat.

Finis Libri Primi.

CONSTAN-

ANN. 1200.

CONSTANTINOPOLIS BELGICA.

LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

De Cruciatis & Ierosolymitano regno. Cruciatam prædicat Fulco de Nuilly, amplexantur plurimi.



Es ipsa hortari videtur, quoniam de Balduini in Syriam profectione tempus admonuit: suprà repetere, & sacras eiusmodi expeditiones strictim lectori exhibere.

§. I.

1. Ierosolymæ, & Palęstinæ clades. Vrbem Ierosolymam à Vespasiano olim Imp. euersam, ab Helenâ Constantini * matre Deo sibique restitutam, Heraclio imperante, Rex Persarum Chosroas anno Christi IↃCXVIII. expugnauit, ac diripuit. Omarus Agarenorum seu Saracenorum Dux, Mahometi Baron.

2. successor, * eiusdem sæculi anno trigesimo sexto Palęstinam terram, eiusque caput Ierosolymam, tot prodigijs inclytam, ipsisque Seruatoris cunis, vestigijs, & cruore nobilem, Christianis ereptum ijt. atque ad posteros ille suos, qui eam annos circiter quadringentos & septuaginta tenuerunt, transmisit. Vrbano secundo Pontifice, sub annum Christi CIↃXCV. Claromonte in Aruerniâ coacto Concilio, Petro Eremita adhortante, tota propè sese Europa ad eas regiones in libertatem asserendas, commouit, & Crucis notâ sub humeros insigniri cœpti (qui ritus eiusmodi

Cedren. Auctores Histor. Ieros.

Cruciata prima

modi expeditionibus Cruciatæ nomen fecit) eo se bello ex omni ordine, & conditione homines deuouêre. Principem in ijs locum tenuêre Hugo Magnus Veromandiæ Comes, Aimarus Podiensis Episcopus, * Godefridus Bullonius Boloniæ Comitis filius, & Lotharingiæ Dux cum fratribus Eustachio, & Balduino, Robertus Frisonis filius, Comes Flandriæ (quem à spectatâ virtute militari, Diui Georgij pullum Christiani iuxta & Saraceni vocauêre) Balduinus Montensis seu Hannoniæ Comes, & plurima cum ijs Belgarum nobilium manus. Expugnatæ Idibus Iulij anni millesimi nonagesimi noni Ierosolymæ, totiusq; subiectæ regionis Godefridus Bullonius Rex primus eligitur; eique xv. Cal. Aug. anno insequente ad superos translato, frater Balduinus suffectus octodecim annos regnauit. Hunc excepit Balduinus alter Reteliensis, cui à Burgo cognomentum, nonnunquam & Aculeo inditum. Et illi sanè priores tres Reges præclarè regiam dignitatem sustinuere. At vbi ad fæminam Melisendam, & Balduinum puerum ex eâ prognatum res redijt: turbari eâ in regione omnia, & Saracenis Noradino primùm, tum etiã Saladino Ducibus ad eam aditus aperiri cœptus est. Saladinus Ægypti Califâ Domino suo impiè trucidato, ereptâ Noradini filio Damasco, ac * Mussulâ; Alepo & Edessâ occupatis, Ierosolymitanum regnum cœpit arrodere. Abierant scilicet in Cœlum antiqui bellatores, qui Edessam, * Tripolim, * Antiochiam, cæteraque Palęstinæ loca superatis, fugatisq; Barbaris sibi subiecerant. Almericum Balduini tertij fratrem, & in regno successorem aptissimi honestabãt mores: at in medio cursu mors occupauit anno CIↃCLXXIII. Balduino quarto filio & puero & leproso regni hærede relicto. Pro cuius tutelâ inter Guidonem Lusignanum Regis sororium, & Tripolitanum Comitem infeliciter disceptatum. Interea loci anno CIↃCLXXXV. Balduinus quartus, & anno insequente Balduinus itidem quintus eius filius mortê obiêre. Ex tutore Rex creatus Lusignanus, Tripolitani proditione, in manus Saladini venit, & ipsa paulò pòst

Ann. 1200.

3. 4. 5. 6.

ANN. 1200. Ierosolyma Christianis erepta est anno CIↃCLXXXVIII.

§. II. Multæ quidem institutæ per ea tempora à Christianis in Palæstinam expeditiones: at certè omnes Ducum vel interitu, vel discordiâ parum omnino valuere. Secundæ Cruciatæ anno CIↃCI. auctor fuit Paschalis alter Romanus Pontifex, Henrico tertio Imperante; Ductores verò Blesensium, & Burgundionum: tum Niuernensium Comites, demum etiam Pictonum, & Boiorum Duces, cum infinitâ armatorum multitudine. Quos omnes Alexij Græcorum Imperatoris fraus perdidit. Tertiam Conradus Imperator, & Ludouicus Gallorum Rex anno CIↃCXLVI. honestauêre; fœdauit Emmanuel Græcorum Imp. Alexij decessoris sui perfidiam æmulatus. In quartam expeditionem magna prorsus nomina adlecta sunt, haud maiore operæ pretio. Nam, vti superius retuli, Fridericum Aenobarbum Imperatorem in aquis præfocatum, amisimus: Flandriæ Comitem, * pluresque alios pestilentia: * Iacobum Auesnensem, alterum Machabæum, hostium gladius exhausit: Galliæ & Angliæ Reges in tanto impetu cursuque rerum reuocauit inuidia; vt in totâ Syriâ, præter Acconem & Tyrum, paucula cum Ioppe secundùm mare oppida in Christianorum modò essent potestate, Saladino cum Mamalucis, * & Saracenis longè lateque in reliqua dominantibus.

Crucıata II. — III. — IV. — 7. — 8. — 9.

Gesta Dei per Francos. Vita Petri Eremitæ cum appendice de Cruciatis.

10. V. * Saladini certè obitus, atque orta inter eius successores de regno discordia, præclaram bene rei gerendæ ansam nostris obtulit: at eam non minora, quæ Europam lacerabant, euertere dissidia: Gallos hinc atque Anglos inter & Flandros, ardentibus bellis: illinc Germaniæ Principibus de Romano diademate digladiantibus. Vt Europæum tandem Cœlum vtcunque sudum serenumque oculis patuit, quinta in Palæstinam, quo descripturus sum pacto, suscepta, est expeditio. Quomodo aliàs Petrum Eremitam diuino euocatum oraculo in expeditionem belli sacri primam incubuisse memorabamus; ita huius, de qua mens est dicere, administrum voluit Deus * Fulconem quendam

Fulco de Nuilly ad virtutem cunctos hortatur.

11.

Gaufredus Villehardujnus.

è Galliâ

è Galliâ arcessere. Hic vir Godefridi Villehardüinij Campaniæ Marescalli (cuius auctoritate scriptisque plurimum, in eâ quam descripturi imus historiâ, vtemur) aliorumq; eius temporis historicorum testimonio, sanctitate & vitæ innocentiâ, prodigijsque patratis celeberrimus. Nuillij vici, qui Lutetiam inter Parisiorum, & Lagniacum ad Matronam situs est, Curionem agebat; quando ad idmuneris Apostolici, sub annum CIↃCXCVIII. cælitus est euocatus. Relicto igitur eo vico; Gallias concionabundus oberrare, & classicum canere: singulos ad bellum aduersus vitia primùm: tum contra Saracenos hortari, Principes pariter ac de plebe viros sui muneris admonere instituit; Deus verò ipsius ad populum orationes, vitæque sanctimoniam miraculis non infrequenter confirmare. Id vnum, quod non ob successum tantùm, sed & modum magnam ad omnes admirationem habuit, recensebo. Muto ad se eâ propter adducto linguæ vsum redditurus, in eius os sacras preces adflauit; vt verò id frustra fuit: leuem alapam ei incussit, quasi per vim Spiritus Sancti verbum (ait Otto) ab eo extorquens: & illico in verba mutus erupit. Ad Ricardum Regem nonnunquam accessisse ferunt; eique libero ore contempti numinis pœnas intentasse, nisi tres pessimas, quas habebat, filias in matrimonium elocaret. Cachinno cauilloque ab Rege exceptus, insanique ad ea verba vicem habitus: qui tres ei filias tribueret, qui nullam omnino prolem suscepisset: Et, subiecit Fulco, hoc ipsum scio; sed superbiam habes, & cupiditatem alienorum, & fædam voluptatem; queis nisi breui te expedis, infortunium sanè graue tibi creabunt. Quin igitur, subiunxit Rex in risum solutus (& hæc est scilicet non minima Principum labes, vt sanas monitiones in iocum ludumque vertant) superbiam Templarijs, cupidinem Monachis istis, quos indicabat, ego nominare parco; voluptatem Præsulibus lubens, & volens do cedoque. Et fortasse minùs prudenter quàm verè, vt erant ea tempora, sic ludebat Ricardus; quem tamen neglecti eius consilij

Ann. 1200.

Otto à S. Blasio.

Mutum sanat.

Roger. Hou.

Ricardum arguit.

Ioco eius orationem Rex excipit.

ANN. 1200. consilij pòst paulò, vti referebam, pænituit. Cæterùm huius talis viri famâ Romæ vulgatâ, Cruciatæ præconem sacrum, eum Innocentius tertius Pontifex esse iussit. Isque socijs sibi additis Petro de Roussy, Roberto Erluino Monacho Dionysiani Cœnobij, Eustachio Flayensi Abbate haud minoris multò sanctitatis viris, Gallorum, Belgarum, Anglorum vim incredibilem ad eam expeditionem vel suscipiendam, vel numis iuuandam compulit. Nec in Germaniâ secus à Martino Lintzio, Parisiensis in Alsatiâ Cœnobij Cisterciensis instituti, Abbate factitatum.

Cruciatam prædicandi munus ei à PP. imponitur. Eius socij.

Martinus Lintsius.

§. 4. Ad hoc Innocentius ad omnes Galliæ Angliæque Antistites, litteras rationum momentis æquè, ac eloquentiâ graues dedit, hoc argumento. Ab Almerico Ierosolymorum, Leone Armeniæ Regibus, & Patriarchâ Antiocheno per certos nuntios edoctum se: quanto versetur in periculo, atque in ruinam prona sit Christianorum isthic res hoc tempore; quo tamen exigua militum manus maius operæ suæ pretium, quam iusti olim exercitus relatura videatur. Nec enim Saladinum esse superstitem: quem agmina nostra formident; nec difficile adeo esse modò in eius terras intestinis bellis laborantes, peruadere, easque quantæ quantæ sunt, nedum Palæstinam, Barbaris ereptum ire. Ea propter, tametsi Ecclesiam Romanam insolens penuria premat; ne tamen Mercurijs istis in triuio positis, qui viatoribus iter indice monstrare contenti, ne pedem efferunt: similis esse videatur: primum omnium se symbolum conferre, decimasque earum omnium rerum, quæ vbiuis terrarum Romanæ Ecclesiæ debeantur, in eius expeditionis commodum addicere. Insuper Stephanum S. Praxedis Presbyterum, & Petrum S. Mariæ in via lata Diaconum, (quem Gaufredus Magistrum Petrum de Capis nominat) Cardinales eam Cruciatam, & piaculorum veniam nuntiatum destinare. Episcopis verò Cœnobiorumque Præfectis bonorum suorum, deducto quocunque ære, si quo grauentur, alieno, quadragesimam eundem in finem indicere. A quâ lege eximios haberi vult Cistercienses Monachos, Præmon-

Innocentius litteras eâ de re dat ad Principes.

Innoc. in Epist. l. 1. ep. 336. & seqq.

Decimas Ecclesiæ debitas in eam rem confert.

Legatos mittit.

Præmonstratenses Canonicos, Grandimontanos Anachoretas, & Cantuarienses. Cæteros omnes rogat, obtestatur: vt tam sancto operi se suáue liberaliter consecrent; qui huiusmodi Cruce sese signauerint, ijs omnium noxiarum veniam elargitur; eorumque corporum, & bonorum, quoad in Palęstinâ hæserint, tutelam se suosque porrò successores futuros esse pollicetur. Principibus Regibusque edicit, vt Iudęis cuiuscunque modi fænus à Christianis debitum pro summâ suâ in vtrosque potestate rescindant, atque extorqueri vetent. Eos autem omnes qui sacram Crucem induerint ab omni vectigali immunes reddant. Regem verò Gallorum præcipuè hortatur, vt Ierosolymorum Regi Almerico, aduersus Byzantinum Imperatorem, Cypri regnum inuadere meditantem, suppetias eat. Ad varios Christiani orbis magnates, vti cuiusque res & conditio ferebant, alias atque alias dedit: Comiti Folcaqueriensi, in pœnam scelerum suorum, de quibus eum acriter arguit, bello isti sacro, vti se deuoueat, iniungit. Et quia sacris Galliæ regno ob Regis Philippi obstinatam in adulterio mentem interdixerat; ab eâ lege omnes qui Crucem suscipercnt, exemit. Et hæ fere Decembri huius anni, qui Innocentij Pontificatus alter fuit, datæ sunt.

Ann. 1200.

Cruciatos in suâ tutelam recipit.

Reg. Hon.

Comiti Folcaqueriensi Crucem iniungit.

§. 5.

Reg. Hou. Villebard.

Haud segniùs suos Hospitalariorum Equitum Præceptor vrgebat; & in ijs quidem quas ad Angliæ Priorem, vt vocant, eique subiectos scribit, hæc ait: Se quidem ad eos superiore anno Acconensem Episcopum, aliosque è suis primæ notæ equites auxilia petitum misisse; at eâ naui ad Tripolitanam oram, atque è regione Biblij procellis quassatâ, miserè eos omnes cum nautis vectores perijsse. Saphadinum iuratum Christiani nominis hostem, Damasci Soldanum, etiam Babylonis regno, nepotibus suis octo Saladini fratris liberis, impiè trucidatis, potitum esse: Contra eum tamen ex ijs Saladini liberis vnum superstitem Noradinum Alepiensem Soldanum, ferociter obniti: Saphadinum cunctis inuisum, à ciuibus æquè ac hostibus sibi metuere; neque loco, neque mortali cuiquam aut tem-

Hospitalariorum Præceptor suos ad idem officium vrget.

Saphadinus.

Noradinus.

Ann. 1200. pori satis credere; Babylone vix pedem efferre ausum. Babyloniam terram eiusque confinia, ipsam etiam Ægyptum cum fame conflictari. Paucis ab hinc mensibus è Saracenis nescio quem ætate iuuenem, Mahometo eiurato non modò Christo nomen dedisse; sed & eius scita legesque tanto animi ardore passim ciuibus suis prædicare aggressum, vt bina eoque amplius infidelium millia ad veri Numinis cultum traduxerit. Dein multis tenuitatem suam, & exhaustum adeo ærarium affirmare nititur, vt nisi opportunè auxilia adueniant, paucula, quæ adhuc ægrè in Palęstinâ retinet, Saracenis cedere cogendus sit.

§. 6.

Campani primi Crucem accipiũt.

Et hæc sanè in omnis ordinis viris magnum animorum motum concitauerunt. Sub finem anni CIↃCXCIX. plurimam, quæ ad castellum Campaniæ nomine Ecris, hastis aduersis concursura conuenerat, nobilium virorum manum Fulco sic accendit, vt Theobaldo Campaniæ, & Ludouico eius patrueli Blesensium Carnutique Comitibus persuaserit: crucem, sacri belli insignia, ijs ferijs, quibus Christi Natalem præuenimus, assumere. Et Theobaldum quidem plurimæ, tum naturæ, tum ingenij dotes commendabant: iuuenem duos & viginti annos natum, Galliæ & Angliæ Regum nepotem, opibus & militiæ artibus instructissimum. His alij duo magni tum nominis viri Simon Montis-Fortis, & Reginaldus de Monte-Mirallio se belli socios addidêre. Villehard. Rog. Hou.

Theobaldus Camp. Comes.

§. 7.

Balduinus eidem bello se deuouet

Balduino Augusto suapte naturâ, & pietate iam olim eius expeditionis cupientissimo, nunc verò bellis omnibus vacuo, diuitijs virisque Marte præstantibus pollenti, hereditati vtrique non confirmato solùm, verùm etiam nouâ aucto accessione, Theobaldi exemplum stimulos addidit. Ergo alterâ ineuntis verni ieiunij die anno sæculari millesimo ducentesimo in D. Donatiani Brugis solemni ritu tesserariam crucem induit, atque ad sacram eiusmodi militiam voto se obstrinxit. Is autem ritus erat huiusmodi: Episcoporum quidam crucem byssinam auro illusam eius vesti secundùm humerum dextrum affigebat; idque Mouss. Villeh.

Crucem sumendi ritus.

Petr. Diac. chron. Cassin. 4 c. 15. Rigord. Roger.

iam

iam inde à primâ per Godefridum Bullonium exercitâ expeditione, recepto more; quasi si crucem, & quæcunque in bellis asperiora simul & difficiliora sunt, Christi exemplo baiulaturi ij equites essent: vt ea loca quæ Cruce suâ & morte nobilitauit Seruator, à Barbarie vindicarent. De quo ritu, & Cruciatis in Petri Eremitæ vitâ nuper à nobis editâ, fusè scripsimus. ANN. 1200.

Fulcb. Carnot. de Peregr. Franc.

§. 8. Prodigio confirmatur.

Enimuero id institutum Deo magnopere placuisse ex eo aliàs palàm fuit; quod anno CIↃXCVII. nauium vnâ, ex eâ classe quæ Cruce signatos vehebat, iuxta Brundusium ad scopulos allisâ, eorum singulis, quorum corpora post mortem enatarunt, Crucis signum profundè in ipsâ cute impressum, eâ parte repertum est, quâ ipsi antè vestibus eam notam adsutam gestauerant. Eo tamen bello, quo contra Albigenses Hæreticos sub annum nonum post mille ducentos ex Pontificum edicto præliatum est; vt eam expeditionem ab alterâ, quæ aduersum Saracenos instituebatur, distinguerent; in pectore Crucem gestare sumpserunt. Paulùm à cæteris dissidet Robertus Monachus, qui Vrbanum inducit monentem primæ expeditionis milites, profecturos quidem ad bellum Crucem in fronte seu pectore præferre; qui verò voto dissoluto inde redirent, inter scapulas retro ponere. In ijs porro omnibus nihil de coloribus decerni placuit; singulis sibi eum qui arrideret iuxta, & ab altero agmine suos secerneret, eligente. Ita Reges cum suis eâ, quam tertiam fuisse dicebamus, in Palæstinam expeditione (alij quartam nominant) Philippum cruce quidem coccineâ, Ricardum candidâ, Flandriæ autem Comitem viridi insignitos esse legimus. Præter eiusmodi Crucem, peram viatoriam, mitellæ appensam ab Episcopo id genus Equites præcingi mos erat; scipionemque non sine sacris precibus solennique ritu accipere: veluti eo ornatu profiterentur se ad sacrum Christi Sepulchrum, aliosq; eius terræ locos venerationis ergò ex voto proficisci. Atq; dein hi omnes Peregrinantes, eorumque multitudo Peregrinantium exercitus dicebatur. Quod vtique nouum non

Pap. Masson. Matth. Paris.

Variæ Cruces.

est.

Ann. 1200. Carolus Magnus. est. Carolum quippe Magnum refert eius vitæ auctor à Pithæo editus, solitum peregrinantis cultu Romam itare: vnde ea pera peregrinalis (sic ille appellat) quam eò portare consueuerat defuncti vestibus Imperialibus, cùm tumulo mandaretur, apposita est. Ne autem iterata eiusdem argumenti narratio Lectori fastidium creet; placuit hoc loco eorum omnium, qui huic se bello deuouerunt, tam ex Belgicâ, quàm Gallicâ nobilitate, quos quidem colligere potui, nomina recensere. A Belgis ordior. Vita Caroli Mag.

Cruce signatorum syllabus.

E Belgis.

§. 9. G. Villeh. Meier. Guis. Du Chesne. Gou ut. Gunther. Bibl. Cluniac. &c.

Balduinus Flandriæ & Hannoniæ Comes.
Henricus, & Eustachius eius fratres.
Theodoricus eius nepos, & Philippi Elsatij filius nothus Ita Villeharduinius, qui consobrinum debuit dicere.
Guillelmus Rufus Bethuniensis Aduocatus, cum Bartholomæo, & Conone fratribus.
Theodoricus Lossensis cum Villano fratre.
Ioannes Nigellanus Brugensis Castellanus.
Leuinus Axellanus.
Winocus Hondeschotanus.
Theodoricus Dixmudanus.
Iodocus Materensis.
Ioannes Oudenhouius Somerghemius Sacerdos.
Ioannes Akerensis, cum fratre Frederico.
Rogerius & Raso, seu Erasmus de Gauerâ fratres.
Henricus Iugellanus.
Henricus d'Orme.
Theodoricus Distensis.
Alardus Maquerellus.
Gualterus, & Petrus Nigellani fratres.
Rogerius Desnitre.
Ægidius de Landas.
Abbas Laudensis iuxta Insulas. Is, opinor, Stephan. fuit, Simonis successor.
Hugo Comes Sancti Pauli.
Reginaldus Comes Boloniensis.
Renerius de Trith cum Renero filio, & Ægidio fratre vel nepote.
Mattheus de Valincourt.
Iacobus Auesnensis.

Ægidius

Ann. 1208.

Ægidius de Trasegnies.
Balduinus, & Heruæus de Beauvoir.
Hugo de Belignies.
Gerardus de Mancicourt.
Guillelmus de Gomegnies.
Droco de Beaurain.
Rogerius de Marche.
Eustachius de Saubruic.
Franciscus de Colemy.
Gualterus de Bousies.
Renerius Montensis.
Gualterus de Stombe.
Bernardus de Soubrenghien.
Carolus de Frasne.
Robertus, & Gualterus du Rosoy fratres.
Iosselo seu Iodocus de Balleham.
Gualterus de Villesis.
Balduinus de Neuf-Ville.
Guillelmus de le Porcrie.
Sigerus de Silly.
Ioannes de Houe.
Robertus de Boussoy.
Gualterus de Velly.
Guido de Houdaing.
Guillelmus d'Aulnoit.
Euerardus de Montigny.
Balduinus de Albigniaco.
Alexander de Villers.
Ioannes Nouiodunensis Balduini Cancellarius.
Petrus Coiseaux.
Nicolaus de Ienlain.
Eustachius de Marquis.
Guillelmus Delgy.
Andreas de Iurbise.
Droco d'Estroen.
Guillelmus de Blauvel.
Federicus de Herres.
Ioannes & Eustachius de Ieumont.
Ioannes, de Choisy.
Gualterus d'Escornaix.
Antonius de Remy.
Iacobus de Bondue.
Carolus de Vercly.
Anselmus de Caieu.
Balduinus de Beaufort.
Et plures alij, quorum nomina vel suppressa, vel in ipso historię decursu nota sunt.

Ex Italis.

Comes Brixiæ.
Bonifacius Marchio Montisferratensis.
Ambrosius Malaspina.
Henricus Dandulus Venetiarum Dux.
Longobardus quidam nomine Crassus, Blandrasij Comes.
Petrus Vens.
Rolandus Pichius.

E Gallis.

Theobaldus Campaniæ Comes.

Ann. 1200. Ludouicus Comes Blesensis.

Godofredus Comes Perticensis, cũ Stephano fratre.

Guignius Foresij Comes.

Simon Comes Montisfortis, cum Guidone fratre.

Robertus de Mauuoisin.

Otto de la Roche.

Bergo de Fransures.

Odo de Ham.

Droco de Cressonesart.

Popinus Aurelianensis.

Bernardus Monstroliensis.

Engerandus de Boue, & Robertus eius frater.

Alfonsus Bayonensis.

Neuelo Episcopus Suessionensis.

Mattheus de Montmorẽcy.

Guido de Cocy eius nepos.

Iuo de Laual.

Anthimerius de Villeroy.

Gaufredus de Beaumont.

Oliuerius de Rochefort.

Otto de Vergy Toparcha in Champlite, quem Campanum passim vocat Villeharduynius.

Guillelmus, & Stephanus de Vergy.

Gualterus Comes de Montbeliard.

Guido, & Aimo de Pesmes.

Odetus, & Reginaldus de Dampierre fratres.

Renerus Episcopus Trecensis.

Gualterus Comes Briennensis.

Gaufredus de Ienuille Senescallus, & Robertus eius frater.

Petrus de Bromons.

Hugo de Chaumont.

Ioannes de Villers.

Henricus de Long-Champ.

Guillelmus Carnuti Vicedominus.

Anselmus de Courcelles.

Balduinus Soriellus.

Petrus Plancius, qui & Braicueil, eiusque frater Heruæus vel Hugo.

Henricus d'Ardilliers, vel Arzilliers.

Vilanus, & Guillelmus de Nuilly.

Gualterus de Fuilinies.

Manasses de Lille.

Macharius de Sancto Maneholdo.

Guido de Chappes, & Clarembaldus eius nepos.

Reginaldus de Montmirail, & Henricus du Chastel eius nepos.

Geruasius du Chastel (Guisius vocat de Chastillon) cum Heruæo filio.

Guillelmus de Sains, vel Saintes.

Gualterus

Gualterus de Gando-Villâ. Non ineptè forsan aliquis hunc esse Gualterum Vilanum de Gandauo opinetur, Isenghemiorum Comitum parentem; at obstat ratio temporis, & hunc etiam Villeharduynius Blesensis Comitis clientem facit, nec nunquam Gandon-Villanum nominat.
Robertus de Froeiule, eiusque frater Petrus.
Robertus du Cartier.
Eustachius de Canteleu.
Petrus, (quem modò equitem, modò Episcopum Ambianensem vocat Auctor) Comitis S. Pauli nepos.
Hugo Hami toparcha.
Bernardus de Moruel.
Henricus d'Araignes,
Gualterus de Sancto Dionysio, & Hugo eius frater.
Simon de Neoffle.
Ioannes de Bliaus.
Gualterus de Gaignoru.
Eustachius de Couëlans, & Guido de Plaissié eius frater.
Ogerus de Sãcto Cherone.
Gaufredus de Villeharduin Campaniæ Marescallus, huius historiæ scriptor, & Gaufredus alter eius ex fratre nepos. ANN. 1200
Milo le Braibans.
Ioannes Foisnon.
Ioannes de Virsin.
Henricus Monstroliensis.
Paganus Aurelianensis (idē fortè cum Popino suprà.)
Ioannes de Friaise.
Hugo de Cormeroy (fortè Cormery) & Gaufredus eius frater.
Oricus de Lille.
N. Augustodunensis Episcopus.
Nicolaus de Mailly.
Abbas de Vaux: Guidonem Abbatem Vallium de Sernay vocat historia Albigensium.
Dalmatius de Serciaco, & Pontius de Busseria.

Ex Anglis.

Nortwici, & Nortamptoni Comites.

Ex Germanis.

Lvitholdus Basileę Episcopus.
N. Alberstadiensis Episcopus.
Albertus Comes Spanheymensis.

Ann. 1200.

Bertholdus Comes Nuemburgi cum filio.
Bertholdus Catzenelbogensis Comes.
Garnerus de Borlande.
Vlricus de Tone.
Martinus Lintzius Abbas Parisiensis in Alsatiâ.
Conradus Swarzembergi Aduocatus.

Henricus Brabantus, & Ludou Sabaudus in ijs nulli.

Meier. Molan.

Hi omnes Crucem sumpsêre; plerique tamen institutum non tenuêre. Henricum Brabantiæ Ducem plurimi, & Ludouicum Sabaudum perperam ijs adiungunt. Nam ad Brabantum quidem extat Comitis Sancti Pauli de eâ expeditione data Byzantio Epistola; & nulla apud Nicetam, Villeharduynium, aliosque auctores eius memoria. Ludouicus verò nullus Sabaudâ tum domo Princeps erat; vt ex eius familiæ stemmatibus compertum est. Et vt fuerit nequaquam ei expeditioni interfuit.

Suessione conueniunt.

Villehard.

Belgarum & Gallorum plerique omnes, saltem Primates voto ritè signato Suessione diem profectioni constitutum, atque de rebus itineri faciundo necessarijs consultum conuenêre. Porrò primo isto concilio nihil admodum statutum; quòd minor ad tantum opus sociorum esse numerus videretur. Ergo tantisper rem differri, aliàsque resumi placuit: nec bimestre vllum hoc anno toto effluxit, quin eiusmodi consilia agitatum coirent.

§. 10.

Quid interim agat Balduinus.

Meier. Gusf. Marchant. Veteres M.SS. Codices varij.

Negotiosus nihilominus Balduinus esse non destitit, suisque prodesse. Gentem suam ordinauit; Gerardi-Montis Flandriæ Imperialis oppidi leges, & instituta à Balduino olim Montensi tradita recognouit, & approbauit. Baudeloënse Monasterium auctoritate reque fouit & auxit: S. Ioannis Valentianensis Cœnobium in suam tutelam assumpsit, eiusque priuilegia confirmauit; varias consuetudines populis minùs commodas antiquauit. Ad id temporis, ab omni hominum prope memoriâ, in patente loco, publicisque actionibus; plerumque sub Hornutensis vici quercetis caussæ maiores in Hannoniâ agi solitæ erant: Iudicibus è primâ nobilitate viris eò conuocatis, ipsoque adeo Principe Curiæ Præsidem agente. Huiusmodi morem

rem minus cum Iustitiæ dignitate, & rerum tractandarum momentis compositum hoc anno Balduinus aboleuit; & in Aulam Montensis Castri, siue arcis curiam transtulit: vbi hodieque eius consessus habentur. Præterea * leges omnes & consuetudines cùm Flandriæ, tum Hannoniæ dispersas, & à memoriâ seniorum, vel caussidicorum fide peti solitas, in codicem quasque suum retulit, easque omnes in conuentu vtriusque Prouinciæ Panegyrico lectas, & ponderatas, singulorum ordinum calculis approbari, & sigillo muniri iussit. His ipse quædam per se sancire instituit: populoque ante quintum Cal. Augusti proposuit: ex quibus duo dumtaxat huc referre placuit. Equitis filius si equestrem in ordinem referri, & baltheo de more præcingi ad annum vsque ætatis quintum & vigesimum per socordiam distulerit, nobilitate exutus in plebeiorum ordinem deijcitor. Alterum est. Cultrum exacutum, & cuspide armatum gestare, præterquam venatoribus, coquis, lanionibus, & id genus hominibus, nemini fas esto. Qui secus faxit sexaginta solidorum pœnâ, vel certè, si soluendo non sit, aurium alterâ mulctator. Extremum inter hæc diem obijt Albertus Comes S. Martini, relictis liberis Reginaldo Comite Boloniæ, ac Hugone Comite Pontiuensi.

Ann. 1200.

12.

Leges patrias in codicem refert.

Equitem creari post annum ætatis 25. vetat.

Comitis S. Martini mors.

Meier.

Annum hunc clausit visum in Anglia sub Christi nascentis ferias prodigium. Quinque Lunas in Cœlo, non modò eo situ, vt verum lunæ corpus in Crucis modum, quatuor eius imagines nubibus impressæ ambirent, à se conspectas esse tradit Rogerius: sed & ipsum astrum stellulis pluribus circumcinctum quasi loco motum in orbem agitari; quod profectò postremum, ludibrium oculorum fuerit; alterum tametsi naturæ ipsius figmentum, & iocus, Christianorum Cruce signatorum expeditionem, gloriamque portendisse nihil vetat.

Rog. Hou.

§. 11.

Prodigium in Cœlo.

Quinque Lunæ.

Anno CIↃIↃCXXX. quo hec scribebamus Romæ totidem soles (Parelia dicunt Philosophi) aperto Cælo, toti populo fuisse conspicui ferebantur; quos, vti cœptam Imperatoris

Quinque Soles.

ANN. 1201. Ferdinandi auspicijs & virtute, fidei orthodoxæ in hæreticos victoriam, & triumphos Deus præsignare iubeat, votum bonorum publicum est.

CAPVT II.

Furnis dissentitur. De Repudio à Rege Galliæ vxori misso Cardinales quærunt. Cruciati quà expeditionem orsuri. Ad Venetos mittunt Legationem.

§. 1. Furnensium discordia.



ANNVS CIƆCCI. Furnensibus Flandriæ propter Blauotinorum atque Isengrinorum seditionem accidit luctuosus. Eam quippe terram miserè vtriusque factionis viri cædibus, rapinis, latrocinijs, ferro & igne deformarunt. Et quia ei incendio restinguendo aquam Comes parauerat: Hebertus quidam de Vulfringhem, Blauotinorum princeps, eò insaniæ prouectus est, vt ad decimum sextum Calend. Decem. Comitis ædem in Furnensi vrbe subiectis facibus cremauerit; cuius sceleris, bonorum omnium proscriptione, & æterno exilio pœnas dedit. *Meier. Iper.*

§. 2. De Repudio Galliæ Regis quæritur.

Galliam grauiores turbelæ, Regisq; intemperies exercitam habebant. Octauianus Ostiensis, & Ioannes de Sancto Paulo Velitrensis Episcopi Cardinales, ab Innocentio Pontifice Legati, quia Philippus Rex suum pellicatum acriter tuebatur, atq; Isemburgam vxorem, non libidine, sed religione tactum à se amouisse dicebat: quòd eã propiùs quàm per leges liceret sanguine sibi iunctam esse agnouerat: Suessione: vel (vt alij) Parisijs, caussam acturi concilium indixere. Qui pro Rege dicerent, multi erant (publicæ mercis nihil tam venale, quàm aduocatorum perfidia: inquit Tacitus;) pro Isamburgâ (quam Botildam perpetuò Rogerius *Auct. Aq. Serres. Rigord. Meier. Roger. Tacit. ann. 11.*

rius vocat) nemo vnus. Iamque disertè magis quam verè à Regis aduocato peroratum erat, & Reginæ caussam qui procuraret caussidicum Iudices frustra inclamabant; atque in procliui erat, vt contra iuuenum illorum sententiam qui apud Darium dissertabant, veritate Rex fortior esse prædicaretur, ipsumque Reginæ damnaretur matrimonium. Instabat Rex vt pro se Iudices Purpurati pronuntiarent; & illi enimuero cunctari, hac & illac circumspicere, veritatis patronum opperiri: cùm ecce tibi è confertissimâ multitudine ignotus erumpit iuuenis; in arenam descendit, tamq; validè aduersariorũ argumenta refellere, & Reginæ cum Rege nuptias propugnare aggressus est: vt coniectis totius populi in Regis vultum oculis, inquietus ille, ore, colore, ac motu corporis, pariter atque animo varius esse, & caussæ suæ diffidere * deprehẽderetur. Vix vltimam syllabã perorarat, quum se in turbã confestim immiscuit; nec, quantàuis curâ dein quæsitus, reperiri potuit. Vnde à plerisque omnibus eius Reginæ Genius bonus, à Deo iusto Iudice, simul & iniquè oppressorum tutore, non maiori Isamburgis, quàm totius Regni bono missus esse creditus est. Rex insolitâ huius orationis, & latentis Numinis vi actus, non expectatâ Iudicum sententiâ: ex aulâ se proripuit; inque conclaue vel custodiam Isamburgis ingressus, hanc in equi, quo ipse vehebatur, tergum sublatam in ædes suas aduexit, toto applaudente populo: mœrente vnicâ Mariâ Morauâ; quæ vbi se loco & dignitate motam, atque eâ notâ infamem esse sensit, vt pro Regina pellex diceretur: mœrore pòst paulò pudoreque contabuit; relictis liberis binis: Philippo ex iure Mathildis vxoris Boloniensi Comite; & Mariâ Philippo primùm Namurcensi Balduini fratri, dein Brabantiæ Duci Henrico nupta.

Interea loci nihil intactum Cruce signati Principes linquebant, quo & properantiùs, feliciùsq; optatam expeditionem molirentur. Et primùm quidem id statim statuendum ab ipsis visum est, terrestri itinere in Asiam non proficisci; quod sanè & longius sit iuxta & periculis laboribusque

Marginalia: Ann. 1201. — 1. Esdr. 3. — Pro veritate è Cœlo prodit Aduocatus. — 13. — Rex vxorem recipit. — §. 3. Nangis. Rigord. Villeh. — Terrestre iter damnant Cruciati.

ANN. 1201. busque scateat; quos superare quidem numeroso fortè exercitui fas sit, mediocri non item; vtriusque verò, vt superentur, dispendio certùm maiori, quàm lucro. Vt enim de commeatu nihil dicam, quem per tot terras, vel vastatas à nostris, vel in hostium potestate adhuc existentes ducere ægrè possis; tot prælijs, quot opus est ad viam sibi ferro aperiendam, paulatim absumi milites copiasque atteri necesse est: nouos autē conscribere in exterâ regione impossibile. Ergo Bullonij, in terrestri itinere tenendo, & Friderici Ænobarbi consilium, vel Numinis voluntate, altioribusque momentis, quod Sanuto placuit, pensandum venit; vel numero copiarum, qui ingens erat, adscribendum. Hoc igitur communi consensione decreto, compendio tutiusque mari duci exercitum: nauibus opus erat, quas eo quidem numero, qui tantis copijs deuehendis par esset: aliunde sanè tum temporis Belgæ petere habuerunt, nondum domito per eam gentem Oceano, viâque ad extremos hominum Indos, eius negotiatoribus patefactâ. vbi enim hæc facta sunt: alienæ opis non modò non indigi esse Belgæ, sed & eâ copiâ omne genus nauigijs abundare cœperunt, vt amicis suppetias, & hostibus terrorem afferre quotidie, vtinam omnes in eâdem bonâque caussâ, cernantur. Cęterum ne ipsi huius consilij & instituti Duces in colloquijs sæpe habendis, frustra essent: opportunum fore visum est, si pro se quisque duos minimùm, & consilio & nobilitate illustres viros, deligerent, quibus ad id bellum iterque necessaria accurandi munus consensu committeretur. Balduinus igitur Cononem Aduocati Betuniensis fratrem, & Alardum Maquerellum pro se esse iussit. Theobaldus Campaniæ Comes Gaufredum Villeharduynium Marescallum, & Milonem le Braibans; Ludouicus verò Blesensis Ioannem de Friaise, & Gualterum de Gandon-Ville legauêre: quibus tres illi Principes suis nominibus sigillisque munitos fiduciarios Codicillos tradidere.

Sanut. Passagium terræ S.

Legati deliguntur.

§. 4. Venetias vadunt. Et hi quod erat in mandatis primùm ad nauigia paranda traijcendo exercitui animum conuertunt; & quia mari,

mari, quod Mediterraneum dicitur, instituenda erat nauigatio: non longè ea petenda auxilia, aut regna varia animo reputāda; statim quippe Veneta & Genuensis Respublicæ, eo non modo mari, sed & vicinis insulis imperitantes mentem subiere. Venetos adire tandem perplacuit, eoq; primâ verni ieiunij hebdomadâ huius anni CIↃCCI. appulsi Reip. istius Principem illico conuenerunt. Erat is tum temporis Henricus Dandulus, qui iam inde ab anno alterius sęculi nonagesimo secundo, Orio vel Laurio Mastropiero Monasticen professo suffectus, mirâ dexteritate, & cōparatâ multarum rerum vsu prudentiâ, eam Prouinciam gubernabat, suamq;, vt aiunt, Spartam exornabat; oculis quidem corporis captus, at mentis acie perspicacissimâ. Is ergo Princeps Legatis eum Senatum dedit, qui sex Senatoribus constat; quorum tres ad dextram Ducis, ea potissimùm quæ continentis, totidem ad læuam quæ Insularum sunt accurant. Horum de consilio, & decreto ita cum Gallis oratoribus conuenêre: vt à Republicâ Venetâ darentur Cruce-signatorum exercitui hippagi quidem, & vectoriæ lato alueo naues eo numero, qui quater mille & quingentis equis, nouemque Scutiferorum, vt dicebant, militum millibus vehendis par esset; tum alia præliaria nauigia, militarem in vsum adornata, quibus quatuor millia & quingenti equites, viginti verò peditum millia, quò libuerit, traijcerentur. Sufficerent insuper eidem classi in nouem omnino menses commeatum: eo pacto, vt in militis cuiusque caput binas; & in equos singulos quatuor argenti marcas Societas Venetæ Reipublicæ perpenderet; hoc est in vniuersum octoginta quinque argenti marcarum; siue (ad Vigenerij & Lipsij supputationem) quadringenta quinquaginta circiter aureorum millia: magnam profectò pecuniæ vim, si eorum temporum penuriam attendas. Huiusmodi autem pacta conuenta ad annum totum erant valitura: ducto eius temporis initio, ab eâ die, quâ è Venetiarum portu solutura classis esset. Porrò vt eadem Respublica toti orbi palam faceret se non tam negotiationis, quam pietatis, &

N Christia-

ANN. 1201.

Vil'ehard. Contaren. Sansouin.

Henricus Dandulus Venetorum Dux.

Naues à Venetis Legati paciscuntur.

Ann. 1201. Christianæ rei promouendę studio nulli nationi concedere, tam laudabile institutum non alienâ magis, quàm suâ re adiuturam: atque adeo sanctæ huic Principum equitumque societati quinquaginta triremes egregiè armis virisque instructas socias additurum seriò pollicebatur, cęteris vbicumque vsus posceret præstò futuras: hâc tamen conditione, vt earum Prouinciarum, vel Insularum, quas ab eiusmodi exercitu, quoad ea societas fædusque constaret, in potestatem redigi contigisset, media pars eidem Reip. cederet Venetorum. Pietatem magnum esse quæstum cum sufficientiâ affirmat Apostolus: hi vtrumque coniungere studebant, pietatem simul & quæstum.

Auxilia de suo offerunt Veneti.

1. Timot. 6. 6.

§. 5. Sed enim eo nostrorum Principum illustrior virtus redditur & fortitudo; qui præter honorem solidum, Deique inprimis gloriam, nihil hisce laboribus, ærisque profusione nundinati, eas conditiones haud grauatè omnes subierunt. Atque ea omnia, quo Socijs Veneti præstarent: de ijs primùm, vti dicebamus, ad sex-virum senatum, tum ad XL. inde ad C. postea ad CC. demum ad mille-virum senatum, postremò ad totam populi confusamque multitudinem in Sancti Marci æde (quam Sacellum Gaufredus nominat) congregatam, tacito quod iam conceptum erat, multiplicis senatus-consulto referri visum est. Hîc verò posteaquam solenniter Spiritui Sancto litatum est, Gaufredus Villeharduynius ad confertissimam concionem (decem minimùm millia hominum erant) verba fecit; exposuitque quàm esset miserè nostris in Palęstinâ, quamque res Christiana ibidem locorum ad ruinam inclinaret; cùm interim vrbs vrbium Ierosolyma, nostræ salutis cunabula, & Dei hominis vestigijs, sudoribus, cruoreque ipso nobilitata fædum horrendumque in modum ab impiâ Saracenorū barbarie non teneretur, sed pollueretur. Dein vbi Flandriæ, Campaniæ, Blesensis Comitum aliorumque Procerum deuotionem, conceptamque sacramento expeditionem explicuit: hæc subiecit ijs ipsis verbis, quæ Latinè reddo: Vestrum est, ô Veneti, tam pio sanctoq; operi manus

De pactis ad senatum, populumque refertur.

Villeharduynij Oratio.

manus admouere: horumq; Principum armis, vestra coniungere. Et hæc quidem vos, cum quibus, siue opes, ditionisque latitudinem: siue maris, quo potissimùm alijs præstatis, imperium: siue incredibilem in rebus gerendis cùm prudentiam, tum felicitatem, nullam vel Rempublicam vel regnum conferre ausint: vos, inquam, auxilia huiusmodi non rogatum modo: sed etiam flagitatum ij Legatos misere; imò etiam, quæ ipsorum est animi demissio, & ardens Palęstinæ liberandæ studium; nobis iniunxere, ne quà hinc, sine eiusmodi auxilijs discedere; sed si vos minùs flecti faciles esse vsu veniret, flexis nos ipsi poplitibus, non tam suo, quàm Christi nomine non antè obtestari desinere, quàm exoremus. Vix hæc dixerat, cùm vna cum quinque alijs oratoribus in genua procidit, omnesque supplici vultu & voce, lachrymisque oppleti, Venetorum corda perculerunt. Et te, amabo, mi Lector, nonne hæc innocens candidaque Principum demissio perculit? Nunquid hanc ætatem reputans animo, eiusque mores cum istis componens dices: aurea fuisse tum sæcula? nostra parum est si ferrea dixeris. Ipsi de infimâ nobilitate, etiam de plebe forsitan adolescentuli, hæccine nunc facere in animum inducerent, quæ Principes, Regibus vix tantillùm inferiores per Legatos, & per se postea, vti suo ordine memorabo, non refugiunt? Non facerent, non si de maiori longè bono ageretur.

ANN. 1201.

Genibus nixi legati Venetos obtestantur.

§. 6.

Auxilia populus Venet. decernit.

Ad hanc tam insignem orationem non ipse Dux tantùm, sed & populus vniuersus vnâ voce, manibusque in Cælum sublatis, responderunt: volumus, iubemus. Tantus mox applausus, tantaque omnium secuta est gratulatio, vt fidem superet. Posteaquam verò eiusmodi acclamationes, & populi murmur conquieuit: ipse Dux non minùs linguâ, quàm manu promptus suggestum conscendere, atque ad concionem dicere orsus est, populumque monere; vt perpenderent quanto honore hoc die eorum Respublica ornaretur, ad quam eius dignitatis & nominis Principes, quibus cæteri omnes, queis coronæ ius non est (ita ille verbatim)

Dandulus ad pop. verba facit.

ANN. 1201. batim) cedant necesse est: eo in bello auxilia sibi paraturi confugerint, quo & Rei Christianæ vtilius, socijsque gloriosius esse nullum possit. Atque vt diutiùs lectorem non morer: pacta fœdera vtrimque rata & sigillo roborata sunt, diesque profectioni dictus Beati Baptistæ anni proximè sequentis natalis. Eo die hinc signatos milites Venetijs, inde nauigia instructa ad soluendum præstò fore.

Legati redeunt. Abitum adornantibus Legatis Venetiarum Dux in genua procumbens, & lachrymabundus, litteras ad Principes dedit, iuratusq; iterum promisit se suamq; Rempublicam sanctè & religiosè, quicquid sancitum esset, seruaturos; quod & Legati vicissim pro suâ parte iurauêre. Multis porrò effusis lachrymis, quà pietatis, quà mæroris gaudio intermixti indicibus in annum proximum vtrique digredientes saluere iussi sunt. Non antè tamen hi abierunt quàm, Duci de more arrhæ nomine bis mille argenti marcas, mutuas ex ciue quodam acceptas (denarium dominicum, seu Deo sacrum vulgò dicimus) traderent; & consensu ad Innocentium Pontificem de re totâ referrent, peterentque vti fœdus, à se ipse ratum & approbatū sacris precibus votisq; prosequeretur. Quod prolixè Religiosissimus Pater, incredibili delibutus gaudio vtrumque prꝑstitit.

CAPVT III.

Briennius Comes vnus è Crucesignatis, aliò abripitur. Campaniæ Comes moritur; in eius locum à Campanis Marchio Monferratensis aduocatur.

§. I. Genuam Legati deflectunt.



Enetijs per Longobardiam in Gallias iter Legati direxêre; & Placentiam appulsis bifariam diuidi placuit: Gaufredus quidem cum Alardo Maquerello rectâ ad suos intendit; ceteri Genuam Ligurum diuerterunt; ab hac Republicâ, Villehard.

quæ

quæ vix certè eâ tempestate, vel ne vix quidem, Venetis, ANN. 1201.
quà classe, quà opibus cedebat, auxiliorum pariter aliquid petituri. At bellóne aliorsum acti, an Venetorum odio; quo, quoad æquales vtcumque vtriusque res erant, inter eos semper prope certabatur, an quâ aliâ iustiore de caussâ parum certi habeo dicere: tametsi penitus non negarunt, nihil tamen opis vel polliciti sunt, vel præstiterunt.

Villehard. Collenut. Summont. Item. Ijs Gualterus Briennius occurrit.

Cæterùm Alardus, & Gaufredus iter incœptum prosecuti, in ipso Monte Cenisio (Cottias Alpes Leander arbitratur) rem specie lætam, ipsi certè expeditioni sacræ oppidò damnosam reperêre. Ijs quippe Gualterus Briennius Comes, Gualterus de Montbelliard, Eustachius de Coüellans, & Robertus de Ioinuille obuij facti sunt. Quos quidem post mutuos amplexus, mutuamque salutem; quî Venetijs itineri necessaria, cæteraq; omnia procurassent edocuere: ipsosque tam fortunatis initijs exhilarauêre. Et verò, inquiebant illi, nos in Italiam quidem proficiscimur, eo lubentiùs, quò viciniores ei loco futuri sumus, in quem toti exercitui condixistis; præludemus interim, & grauiori vtiliorique pugnæ manus aptabimus. Secus verò quàm promiserant res cecidit; at cur Briennius in Italiam cum socijs contenderet, ibique moraretur, hæc fuit occasio.

§. 2. Gualteri Briennij in regnum Neapolitanum ius.

Tancredi Siculorum Regis viduam, vnà cum filio Guillelmo tribusque filiabus ab Imperatore Henrico contra fidem datam, & pacta fœdera in Germaniam abductas, atque in custodiam datas esse tradunt Germanicarum æquè ac Sicularum rerum Scriptores. Et filius quidem in eo diem extremum clausit; mater cum puellis astu è custodiâ elapsa, in Gallias Philippi Regis opem imploratum venit. Rex coacto Meloduni Procerum concilio puellarum natu grandiorem Albiriam nuptui dedit Gualtero Briennio Erardi filio, & Ioannis postea Ierosolymorum, iure vxorio, Regis fratri; viro magis à virtute & famâ rerum gestarum, quàm à natalium splendore, opibusque conspicuo; plurimorum, etiam è regio Galliç sanguine Principum inuidiâ, omnium stupore. Et haud aliò Philippus Rex ho-

ANN. 1201. minem quàm viginti millium librarum Parisiensium viatico à se donatum ad regnum comparandum dimisit. His ille opibus, & sexaginta circiter nobilium, tum quadraginta alterius ordinis equitum turmâ instructus relictâ coniuge prægnante, ad Pontificem Innocentium abijt; eius beneficio Neapolitani regni ius nomenque accepturus: & sacris eiusdem precibus votisque dumtaxat fultus, ni & armis velit, hosti eam terram erepturus. Parum probari visum est Innocentio huiusmodi consilium; vt inermis & prope solus, externusque homo occupandum regnum susciperet amplum & potens. Dissuadere igitur, & Gualterum ab eâ mente auocare contendit, quasi temerario ausu ea aggressum, vnde præter dedecus damnumq; nihil esset reportaturus. Alter his nihil frangi; caussæ æquitati, & Deo, cuius parum interest minorine, an maiori numero victoriam conferat, confidere; & Neapolim pergere instituit: felicissimis initijs; hostem quippe Marcoualdum Friderici copijs Præfectum prælio vicit, non sine ostento victoriæ prænuntio & auctore; nam vt Portuensis Episcopus ab Innocentio Legatus Gualteri copijs bene, aduersarijs malè precatus est: Crux in primâ Briennij acie auro radiare, tantumque hostibus terrorem incutere conspecta est, vt eos in fugam præcipites egerit. Inde Capuam victor ingressus, tum Apuliâ; ipsâ quoque demum Neapoli potitus, regnum fere totum annos aliquot tenuit. Donec Diepoldum quemdam Germanorum ducem in Sarniam arcem compulsum obsedit. Is enim Diepoldus sic obsessus cùm ex necessitate, tum ex præfidente hostium securitate capto consilio, tam feliciter die quâdam de improuisò in hostes erupit, vt ad Regis vsque Augustale, seu tabernaculum delatus, ipsum Gualterum comprehensum, in arcem abduxerit: vbi siccâne an cruentâ morte perierit, disceptatur. Summontanus ait eum sibi ipsi manus violentas, vulnera in prælio accepta aperiendo, & medicinam, cibumque respuendo attulisse. Vel ex hoc liquet quàm incerti exitus pugnarum, & Mars communis: qui

Eius in ea expeditione progressus.

Non sine portento victoriam reportat.

Capitur Briennius.

qui sæpe spoliantem iam & exultantem euertit, & perculit ab abiecto. Decessit Briennius XVII. Iulij CIↃCCV. filio vnico relicto, cui Gualtero itidem nomen fuit Briennensis saltem Comitatus hæredi; subinde etiam Mariæ Cypriæ marito: à quo Briennenses omnes Comites deinceps ad Gualterum Athenarum Ducem, & Equitum Franciæ Magistrum (Connestabilem vocant) orti sunt. Ad Gualterum eiusque socios regredior. Hi ergo eâ occasione quam recensebamus, bello sacro subducti, socios Principes, spe suâ, quam maximam in eorum virtute collocarant, & Palęstinam auxilio frustrati sunt. Et hæc prima huius expeditionis labes. En alteram; sed maiorem aliquantò.

ANN. 1201. Eius mors, & posteri. Quercetan. in Montmor.

§. 3. Theobaldi Campaniæ Comitis mors. Villehard. Roger.

Theobaldum Comitem Campaniæ, eiusdem Marescallus Villeharduynius lecto affixum offendit, atque ex grauissimo morbo laborantem. Ille verò ita Gaufredi reditu, rerumque Venetijs perpetratarum nuntio affectus est, vt, quod pridem per morbum non licuerat, cubitu surgere, & equitare voluerit. At nouissima omniumfuit huiusmodi equitatio: certè quidem importuna; adeo quippe corpusculi iam exausti vires hâc vehementiori exercitatione confici, morbi verò augescere cæperunt; vt statim lectulo reddi, paulò pòst & tumulo debuerit. Hic vnus moribundum angebat dolor, quòd vitam in Palęstinâ, Saracenorum telis non tam confosso, quàm laureato ponere minimè licuisset; sed eam sibi in lectulo ingloriè morbus ereptum iret; at quando ita Superis esset placitum, id vnum modò rogare, vt synceram animi voluntatem, flagransq; voti adimplendi desiderium ratum habere, & eius intuitu delictorum sibi Deus veniam facere dignaretur. Eam dein pecuniæ vim, quam in belli sacri vsum asseruabat, in duas partes descripsit, & illam quidem inter populares, subiectosque sibi Crucigeros ex pacto diuisit: vt datam per Legatos Venetis fidem religiosè seruare sacramento pollicerentur, (sed eam ex illis plerique, Comitisque spem fefellerunt:) alteram eius fœderis Principibus in militum stipendia, tradi iussit. Atque ita pijssimus Princeps sanctè feliciterque diem

Pecunias in expeditionis sacræ vsū legat.

ANN. 1201. diem clausit extremum hoc anno primo post mille ducentos, incredibili Campanorum, imò & Gallorum, sociorum imprimis, maximè autem Balduini sororij luctu, elatusque est digno funere, atque ad Sancti Stephani Trecensis ædem iuxta Parentis conditorium tumulatus. Blanca eius vxor Nauarræ Regis filia, Berangerę Angliæ Reginæ soror, puellæ vnius mater, vterum tum gestabat, quæ suo tempore marem enixa est, cui Patris nomen inditum.

§. 4.

Campani sibi Ducem quęrunt.

Porrò è Campanâ nobilitate cæteri qui sacro se bello deuouerant, alijque nonnulli è viciniâ, quibus Theobaldi signa in eâdem expeditione sequi constitutum erat, duce iam destituti alterum accersendum sibi aliunde putauerunt. Horum principes erant Matthæus de Montmorency, Simon de Monteforti (qui postea Albigensi bello plurimùm inclaruit) Gaufredus de Ioinuilla Campaniæ Senescallus, & Gaufredus Villehardunius eiusdē terræ Marescallus. Ij igitur Odoni Burgundię tertio eius nominis Duci, ab alterâ iam in Palęstinam profectione, gestisque in eo prælijs celebri, id muneris vnà cum fide, & pecunijs à Theobaldo relictis deferunt: at repulsam passi, nihilo feliciùs Theobaldum Barrensem Comitem, Campani defuncti consobrinum, prensauêre. Quando igitur nulli in Galliâ huic præfecturæ idonei Principes sese offerebant, in Italiam oculos intendêre, atque inde Bonifacium Montisferrati Marchionem accersere decreuerunt, virum toti Europæ, ipsique Asiæ notissimum, eique Campanicas copias committere. Hunc ille honorem magno cum animi sensu volens lubensque admisit; & sine morâ in Gallias cum modico comitatu excurrit. Transeuntem Philippus Rex beneuolè complexus est, iuxta & honorificè; eiusque consilio cæterorumque Principum mirè collaudato ab se dimisit. Hunc Suessione principes fœderis sacri expectabant; & cum eo omnes postridie quàm aduenerat, in pomario eius monasterij quod Nostræ Dominæ dicunt, conuocati: vbi quædam in medium prolata sunt, & de Bonifacij mente constitit: cum in ædem sacram

Burgundiæ Dux & Barri Comes id munus detrectant.

Bonifacium Marchionem sibi accersunt.

Is in Gallias venit.

cram

cram omnes adducunt. Hic solenni ac recepto ritu Suessionensium Episcopus cum Fulcone sancto illo Sacerdote, de quo suprà dicebamus, atque Abbatibus binis, quos ille ex Italiâ secum adduxerat, Marchionis humero Crucis tesseram imposuit. Nec diutius apud eos moratus, postridie Italiam, itineri necessaria paraturus repetijt. Ei Fulco Cistertium vsque comitem se dedit; quòd in diem Sanctæ Crucis exaltationi sacrum, qui imminebat, Generalia Cistertiensis familiæ Comitia essent indicta. Et verò hîc non Abbatum modò vim ingentem, sed & virorum nobilium Fulco offendit: ad quos eius festi occasione tam aptam atque efficacem de Palęstinæ rebus, conceptoque Principum voto orationem habuit: vt plerique omnes sacræ nomina dederint militiæ, deque eius manu Crucis notam assumpserint. In ijs fuit Odo de Chamlite Campanus, eiusque frater Guillelmus. Ricardus & Odo Dampetræi fratres, Guido de Pesmes cum Amato eius fratre, Guido de Coüelans, aliàs de Plaissié, plurimique alij è Burgundiâ terrâ. Inde Augustodunensium Pontifex, Guignius Foresij Comes, Hugo de Colemy, N. Aualius è Prouinciâ, Petrus de Bromons: alijque permulti passim.

Ann. 1201.

Crucem sumit.

Cistercij Fulco Crucem prædicat.

§. 5.

Rigord. Guil. Brito. N. Gillius. Meier.

Belli Anglici occasio.

Ita Fulco vtilem huic sancto negotio narrabat operam; contrà Infernus hostis nihil non moliebatur, vt illud euerteret; à libidine arma reperit: quâ florentissima alioquin regna perierunt non pauca. Hugo le Brun siue Niger Comes Marchiæ vxorem duxerat Isabellam Adelmari Engolismensis Comitis filiam; eamque re vxoriâ haud peractâ, quòd viro matura nondum esset, penes se donec adolesceret asseruabat. Eam Ioannes Angliæ Rex per vim nefasque marito extortam, sibi matrimonio iunxit fremente & facinus detestante non Hugone solùm, sed & potiore Pictonum nobilitate; qui omnes ab Anglo defecerunt, secumque in idem bellum volentem Philippum Galliæ Regem traxerunt. His porrò, vt fere fit, Regis exemplum secuti, sese addiderunt non pauci è Gallis proceribus, qui Crucem vel assumpserant, vel meditabantur. Et sanè plu-

Ioannes Rex Comiti Marchię vxorem rapit.

Ann. 1202. rimùm expeditioni Transmarinæ obfuit nouum hocce dissidium.

CAPVT IV.

Balduinus Gandauensibus, Flandriaq́ue plurimum commodat. Guillelmi Perticensis Comitis obitus. Hollandico bello interest Balduinus.

§. 1. Consuetudinem iniquam Balduinus tollit.

Meier. Sander.



MARTIO mense anni reparatæ salutis CIↃCCII. Balduinus Comes nullam de Flandris suis bene merendi occasionem prætermittens, consuetudinem veterem quidem illam: at certè iniquissimam, abrogauit. Quocunque siquidem tempore, & in ipsâ vinariæ annonæ caritate vinum non pluris tribus denarijs œnopolę Comiti vendere cogebantur; quantumuis sæpe, ob incommodam anni tempestatem, pluris ipsi emissent. Imò erat constitutus in eam rem, è Comitis familiâ, perpetuus magistratus, qui si isti consuetudini obnuntiaretur, cellam penuariam perfringeret, & vi quod collibitum esset, efferret: vnde & Cellarum perfractor dicebatur. Huiusmodi ius, per iniuriam quæsitum, Comes eiurauit, & æternùm extinxit. Simul Gandensium res ordinauit.

Cellarum perfractor.

§. 2. Gandæ vrbis pomeria, & priuilegia profert.

Ei vrbi, non situs ipse loci, quantumuis opportunus, magis quàm Balduini munificentia, profuit: & illa, vbi Atrebatum Flandriæ olim Metropolis, cum Arthesiâ terra lilijs conseri cœpta est; in primam eius Prouinciæ vrbem assurrexit. Quaternis tantùm portis id temporis, Turritâ seu Toroltanâ, quę Brugas ducit, Gallicâ quâ Cortracum: Brabantinâ, quà Alostum itur, ac eâ quæ à D. Georgio vel Beuone nomen habet, claudebatur. Intra eas qui

qui habitarent, ciues ab omni vectigalium genere immunes esse fecit; & quò maiorem semper in ciuium, atque mercatorum adduceretur frequentiam; cauit ne qua ciui Gandensi liceret fundum aliquem, aut ædes vltra illas, murorumúe ambitum mercari. Exteris quoque potestas facta intra oppidum ædes fundosúe coëmendi: quæ res supra fidem ciuium numerum, ipsiusq́; vrbis opes adauxit. Ab eodem Comite huic Ciuitati imaginem seu insignia in clypeo, ob rem præclarè in Arthesiâ contra Gallos gestam sub annum CIↃCXCIX. data esse Guisius affirmat. Ea sunt Leo argenteus aureo collari, aureâque coronâ redimitus, atro scuto assurgens. Antea verò argenteam Chirothecam, quam *VVant* antiqui: nunc *Gant* dicimus, à Wandalis accepisse, sunt qui dicant, vel comminiscuntur: postrema autem insignia Philippo quidam Elsatio, alij Balduino Barbato tribuunt; minoris, vt vt sit, momenti ea est disputatio; maius aliquid est quod sequitur.

Ann. 1202.

Ei dat insignia.

Guis.

Lur. Oudegh. Giamay.

§. 3.

Villehard.

Theobaldum Campaniæ Comitem, fato, Gualterum Briennium matrimonio expeditioni sacræ ereptos esse diximus; altero funere priori si non parem: certè magnam iacturam res sociorum fecit. Sub Verni ieiunij tempus anni huius CIↃCCII. vitam cum morte commutauit Godefridus Perticensis Comes; magnum si viueret, huius sacri fæderis, columen. Priùs tamen quam excederet, testamẽto cùm possessionum, tum eius pecuniæ, quam militum Crucesignatorum stipendijs destinarat, (vtinam & virtutis, à quâ non parum aberat) hæredem Stephanum fratrem instituit: eâ conditione vt inceptum opus persequeretur, & copias quantas posset maximas generosè ductaret. Senserunt pró eo ac sanè merebatur, omnes socij inflictum hâc iniquâ commutatione graue expeditioni suæ vulnus; ferendum fuit. Sensim porro tempora labebantur, & dies profectioni constitutus imminebat. Id tamen quantulumcunque fuit temporis spatium, quod rebus Prouinciarum ordinandis, atque viatico, cæterisque eiusmodi comparandis vix satis esset,

Godefridi Perticensis Comitis mors.

amico

Ann. 1202. amico & consanguineo vim patienti denegare Balduinus non valuit.

§. 4. Theodoricus Hollandiæ Comes secundo nonas Nouembreis anni superioris viuere desierat. Eum miserabiliter trucidatum asserit Meierus: Beka verò cæteriq; omnes, morbo extinctum produnt. Adam vnicam, sed legitimam tamen prolem, atque adeo bonorum hæredem reliquerat. Eam mater non expectato Procerum populiue assensu Ludouico Lossensi Comiti nuptum elocat, quem & Hollandiæ Comitem dicit. Guillelmus contra Orientalis Frisiæ Dominus Adæ patruus, & Theodorici frater nuptias, quas omni prope ordini ingratas accidisse sciebat, in inuidiam trahens bellum parat; Hollandos à datâ Lossensi fide, si qui dederant, plerosque omnes ab eius partibus abducit; & magnâ cum militum manu in terram inuadit. Lossensis Limburgensem Ducem, Leodiensium, Traiectensiumque ad Rhenum Antistites socios sibi in hoc bello accersit; Balduinum, vt idem faciat, per amicitiæ & sanguinis iura obtestatur. Hic verò duo caussatus abnuere; iniquissimum enim Gersvliti portorium etiamnum Comiti dolebat; tum parandæ in Syriam expeditioni intentus, aliò mentem auocare vix poterat. Euicit tamen non amici & consanguinei magis, quàm Iustitiæ vindicandæ amor, cui in hoc facto atrox fiebat iniuria, obtentâ priùs Flandris suis ab isto vectigali immunitate, milites cogit, quos in terram Scaldi amne circumfusam, quam vernaculè Beősterscheld, & Scawiam dicunt, Siriczeam obsessum immittit; interim dum Philippus Namurcensis Marchio in Valachriam ingressus: atque aliò Limburgensis Dux, & Rheno-Traiectinus Pontifex digressi Lossensis rem impigrè promouebant. Et hi quidem omnes tam secundâ fortunâ vsi sunt, vt Hollandiam Zelandiamque vniuersam, Guillelmo pulso, in potestatem Ludouici & Adæ redegerint, eisque parere coëgerint. At imprudenter Lossensis Hugonem Voernium Zelandiæ Præfectum dedit: virum eo prorsus munere indignum, immitem, superbum,

[Margin notes:]
Beka. Meier. Chron. Hol. Mag. Chr. Belg.

Ada Hollandiæ Comitis hæres Ludouico Lossensi nupta.

Contra eum Guillelmus Frisius insurgit.

Balduinus Lossensi auxilium præbet, & Victoriam.


perbum, cerebrosum: & qui nihil pensi haberet vel publice rei ruinâ suam superstruere. Cum tamen omnes principatus, noui maximè, populorum fauore, & beneuolentiâ niti debeant. Nullos esse populos aiebat Carolus V. de Belgis agens: (modò paternè habeantur) qui seruitutis nomen magis execrentur, magis patiantur. Voernij diritatem, & inexplebilem, quà dominandi, quà habendi cupidinem Insulani non ferentes parum habuerunt Ludouico rebelles esse, ni in eandem factionem Hollandos, & ad bellum instaurandum Guillelmum Frisium inducerent. Nec diu sibi aurem velli is passus est, qui arma, non spem eius terræ potiundæ nedum desiderium abiecerat. Irruit ergo ille in vtramque ditionem; & infelix Ludouicus intestino externoque hosti multùm impar, cùm iam Limburgensis abesset longiùs, Flander profectioni suæ immineret; geminâ insulâ exclusus, quam natura mari fluuijsq; munitam, extra belli aleam propemodum posuit: pacem tametsi iniquissimam accipere, quàm diutiùs cum certis ærumnis conflictari maluit; ergo decem marcarum argenti millibus acceptis, Hollandiâ Zelandiâque omni sese abdicauit. Hęc Mejerus quidem in annum CIↃCCIII. alijque nonnulli referunt: minus rectè; vt qui non aduerterint anno præcedente Balduinum à Belgio discessisse. Theodoricum sub anni CIↃCCI. finem occidisse necesse est, non secundi; si verùm narrat Beka anno eum regni vndecimo vitâ functum; quem parenti Florentio præcedentis sæculi nonagesimo primo successisse constat.

Ann. 1202.

Bellum recrudescit.

Cedit Guillelmo Lossensis.

O 3 CAPVT



Ann. 1202.

CAPVT V.

Balduinum sequendi potestatem impetrat Maria eius vxor. Comitem subiecti à profectione dehortantur. Venetias appellit: quò alij multi.

§. 1.

Villehard. Meier. Guil. M. S. Ioa.



NTER hæc Balduinus non tam militem cogere, quam deligere pergebat, atque ad profectionem vrgere. Vxorem suam Mariam iam antea omnium primam sui istius consilij fecerat certiorem; nec ægrè ab eâ, vt erat virilis animi, rerumque arduarum cupientissima fœmina, sibi crucis assumendæ veniam impetrarat. Eam porrò ipse Flandriæ Hannoniæque, dum abesset, præficere cum summâ potestate decreuerat. At illa quæ in vltimos proximè dies mentem suam occultarat: postquam vidit vtriusque Prouinciæ comitia indicta, nihilque propius esse quàm vt sibi id muneris honorisque deferretur, & pro viro gubernare iuberetur; Balduinum enixè rogare institit: vt sibi liceret, quod coniugi negari non potest, virum in eâ peregrinatione comitari. Nunquam, nisi summo imperio coactam, passuram esse se, vt in Belgio secura otio indulgeat, dum maritus in remotissimis regionibus inter mille discrimina atque ærumnas perpetuò versabitur. Scire se cum Portiâ quid inter vxorem & concubinam intersit: huic lecti & mensæ tantùm: sed illi præterea bonæ malæque fortunæ cum marito societatem esse debere. Iam inde à primo nuptiarum die in animum induxisse, haud sibi aliam viuendi regulam quàm mariti mores proponere; eâ obstrictam lege, vt alia non sit, quæ est plurima: Crucem amplecti debere, quam vir assumpserit; hanc nisi ipse deponat,

Maria maritum sequi decernit.

vxoris

vxoris consilium improbare non posse. Cæterùm satis animi superesse sibi, vt si non hostibus gladio, certè laboribus patientiâ pugnare valeat; quos longè faciliùs superatura sit mariti intuitu, cuius ipsa & virtutem coram aspiciet, & vulnera obligabit: quàm si longè posita cum perpetuis angoribus vitæ necisúe eius dubia, conflictetur. Non potuit vxoris virtus tanta, simul & in se amor tam luculento probatus argumento, Balduino non plurimùm arridere; idipsum tamen quin annueret remorabatur; ne rem tam charam temerè maris hostiumq; periculis obiectaret. Alterum erat, quod illa vterum gestaret; at illi obiectioni mox obuiam ijt, cum assereret, se partui proximam, non antè discessuram, quàm eniteretur; tum eo onere liberam cum Ioanne Nigellano conscensuram. Demum maritum quò voluit flexit; & abeundi postea quàm peperisset, facultatem obtinuit. Et verò mulieri eiusmodi votum nuncupare, atque adimplere sine mariti concessu per *Pontificum decreta licitum est. — ANN. 1202.

Cap. ex multa. de voto & voti red.

§. 2. *Balduinum ab incepto dehortantur.*

Vtriusque profectionem Flandri Hannonesque, vt par erat, grauiter acceperunt: atque vno pæne ore in generali ordinum conuentu Comitem ab eiusmodi mente abstrahere his potissimùm argumentis conabantur. Animi eius magnitudinem mirari se iuxta, & laudare, qui in eâ ętate atque dignitate constitutus: quando in honesto otio, eoque laureis consito acquiescere deberet, ærumnas, & pericula pro Christo non modò non respueret, sed ambiret ipse vltro, & procul posita requireret. Et verò si de eius tantummodo capite, sibi alioqui charissimo, alea iaceretur, futurum forsan vt præter plausus, & vota nihil eius consilio obijcerent. At quando duarum insuper Prouinciarum caussam agi videant: quas grauibus vixdum perfunctas periculis eo longiùs absente, grauioribus obiectum iri certum est, non posse se in eius sententiam concedere. Pacem cum Gallo non tam sancitam esse, quàm acceptam. Nobilitatem cæterosque patriæ ordines sub eius nominis tutelâ respirare. Regem Galliæ his imminere re-

gionibus.

Ann. 1202. gionibus. Spem in eius animo non tam extinctam, quam sopitam. Facilius nihil esse quàm vt is pastores mercenarios auro, caulam præsidij nudam armis expugnet: quando Comes delibatum nobilitatis florem, roburque militiæ secum abducat. Verosimile non esse vt is Rex religione tactus Flandriâ abstineat, qui Pontificis diras tam diuturno pellicatu contempsit, & Crucis reuerentiam, vt in Ricardi, & Balduini terras inuolaret, nuper abiecit. A Deo quæcumque sunt, ordinata esse. Alienis suos, charitati Iustitiam post haberi nefas esse. Palæstinam vindicare, quibus vacat, consultum; Flandriæ Hannoniæque commodis studere ipsi necessarium esse. Ad hæc attenderet hærede se masculo carere: si quid ei tam longis, difficilibusque bellis implicato contingeret humanitus, in alienam familiam nobiles has Prouincias translatum iri, in eoque Balduinorum, Flandrorumq; Principum stirpem esse interituram. Expectaret saltem dum ei virilis sexus prolem vxor grauida eniteretur. Hanc verò, quam sciret vniuersis ordinibus esse acceptissimam, secum abire ne pateretur, sed illam, si modo in arrepto proposito ipse mentem obfirmaret, interim dum abesset, ditionibus suis regundis præficeret. Hæc illi. Durauit nihilominus Balduini constantia, nequaquam eam sibi mentem, quam à Cœlo acceperat, hominum rationibus conuelli passus. Vehementer tamen niti cœpit, vt suam voluntatem ipse ijs probaret, & consensu suo ipsi confirmarent. Nihil se nouum atque inauditum moliri; ingratum ipsis esse debere, si otio ætatis florem contereret, nec Balduinos, Robertos, Elsatios, imò & Campanos Gallosque qui sibi in hoc consilio præluxerant, æmulatus, Flandrico nomini labem aspergeret. Non honoris se sui studio velificari, sed Diuini. Deo militare sese; à quo si in hac vitâ stipendium, non expectes: detrimentum certè in eius famulitio metuere absurdum est, ne dicam impium. Redituram se, cum hoc bono Deo, breui palmis grauem, quarum fructus in Europâ insipidos, in Africâ amaros, in Asiâ solâ suauissimi saporis esse aiunt. Ab Rege Galliæ so-

Perstat Balduinus.

Eorumque orationi respondet.

rorio

ANN. 1202.

torio suo esse nihil quod formident. Iam alium esse ab eo, qui olim videbatur. Cupiditatem tametsi fortasse non minuant, audaciam tamen, & rapiendi ardorem tempus, & prudentia sensim moderantur. Optimè sibi iam cum eo conuenire; & vt secus sit; Principes omnes; qui huic se expeditioni deuouerunt, eorumque terras Pontificem summum suscepisse; nunquam commissurum eum, vt illorum vlli iniuriæ quidquam irrogetur. Ioannam filiam se illis relinquere; eam ipsi, si mors in Palæstino itinere obrepat, cui libuerit Principi, regundis hisce Prouincijs maximè idoneo, nuptui tradant. Ad vxorem quod attinet; ardere incredibili se sequendi desiderio; impedire id non posse, ni & suum ipse decretum damnare, aut fidem suam coniugalem in suspicionem apud eam vocari velit. Non antè tamen illam è Belgio excessuram, quàm fœtum ediderit; qui si mas fuerit, nihil erit vltrà, quod desiderent; sin minus, quod Deo decretum fuerit opperientur. Vtriusque porrò prolis, quam interim in Mathildis Reginæ contubernio adolescere volebat, & Prouinciæ tutelam atque gubernationem Philippo, fratri Namurcensium Marchioni commisit; cui socios addidit * Guillelmum patruum, & Bucardum Auesnensem, virum omni genere laudum cumulatissimum; manu linguâque promptissimum, nec Flandriæ minus quàm Hannoniæ, ob præclaras animi dotes, acceptissimum.

Philippum fratrem & Bucardum suis Prouincijs & liberis præficit.

2.

§. 4. Quàm in vtroque fallus.

Veruntamen: vt occulta atque infirma sunt plerumque consiliorum nostrorum fundamenta: longè opinione suâ falsi sunt tam Balduinus, quàm vtriusque Prouinciæ ordines, qui ei electioni omnes subscripserunt. Nam Philippus patrui, ac tutoris munus oblitus, Ioannam Regi Galliæ, vt eius ipse filiam duceret, prodidit; cuius iussu, obnitente licet totâ Flandriâ, Ioannæ Ferrandus Lusitanus, huius terræ, fere etiam Galliæ pernicies, maritus datus est. Iam verò Bucardus, assentiente quidem Flandriâ & Hannoniâ, quamuis occulto, ne nuptias contraheret (quippe Diaconus erat) vinculo impeditus, Margaretam vxo-

P rem

ANN. 1202. rem duxit; quæ res, vti suo loco dicemus, in magnas turbas, & ærumnas vtrumque populum coniecit. Ex his porrò apparet, quàm nullâ fide dignus sit Guillelmus Brito, & eum secuti: cùm aiunt timore Regis Galliæ, & conscientiâ sceleris perduellionis Balduinum, eiusque socios in Palæstinam traiecisse. Etenim & cum Rege honestissimis conditionibus pacem percusserat; & alioquin absurdissimum sit consilium, quo terras à vicino potentique hoste incolumes tuearis, tam procul fugere.

Guil. Brito refellitur.

G. Brito.

§. 5. His omnibus quo diximus modo procuratis, rebusque alijs Prouinciarum bono maximo constitutis, ingenti omnium luctu, lachrymisque vltro citroque effusis vltimum vale Patriæ dulcissimæ Balduinus dixit; & ex eius sinu gremioq; æternùm abstractus, ducente Deo, circa ferias Pentecostes anni post millesimum & ducentesimum secundi, itineri cum suis se cómisit. Per Burgundiam itum est; Alpibus penetratis, emensi Longobardiam, Venetias appulere. Hîc à Venetis excepti beneuolè, & in Diui Nicolai insulâ, quam etiam de littore nominant, primo ab vrbe lapide eis hospitia ædesque assignatæ. Hîc socios quisque auidè præstolari, inani plerosque spe & expectatione; qui aliò versi mirùm quantam ei expeditioni plagam inflixerunt. Et primò quidem si de Flandris agitur: non ita multò postquàm Balduinus abscesserat, alteram puellam, cui Margaretæ nomen fuit, suo tempore post Ioannæ sororis obitum, Flandriæ atque Hannoniæ Comitem futuram, Maria Campana Valentianis peperit; vbi & antè Ioannam ediderat: vtramque in Diui Ioannis templo baptismi aquis expiatam. Mox vt à puerperio licuit, Maria datis generosè vtrique proli extremis osculis, bonâque precatione, eam nauim conscendit, cui Ioannes Nigellensis Brugarum Præfectus, siue Castellanus cum Theodorico Philippi Elsatij notho, & Nicolao de Mailly, lectâque militum manu præerat; quam plures aliæ sequebantur. Magnam enimuero spem in eâ classe Balduinus collocarat, quâ nimirum fortissimi equi-

Discedit.

Villehard. Sanutus.

Venetias appellit.

E Cruciatis multi secessionem faciunt.

M. Sc. Cod. Ann. Val. Hist. Valent. Diplomm.

Ioanna & Margareta Balduini filiæ Valentianis natæ.

Maria vxor in viâ sedat cum Ioanne Nigellano.

tes,

tes, militesque vehebantur: tum verò ijs nauibus priuatum ipse suum, * Henricique fratris instrumentum, atque commeatum crediderat. Et ij omnes quidem fidem Principi suo, sacramento obligarant, per fretum Herculeum, seu Gaditanum Venetias se nauigaturos esse; vt ibi, & deinceps vbi collibitum ei foret, in eius potestate essent. Sed fidem illi, Comitemque fefellerunt, atque aliò inauspicatum quidem iter intenderunt. Ann. 1202. 3.

Ea nauis aliò qui Venetias appellit.

§. 6. Nec ipsi in eum modum soli aberrarunt; è Gallis namq; Augustodunensium Antistes, Guignius Foresiorum Comes, Petrus Bromons, Bernardus de Moruel, Hugo de Chaumont, Henricus d'Araignes, Ioannes de Vilers, Gualterus de Santo Dionysio, & Hugo eius frater alijque viam, non perinde ac arbitrabantur, famæ suæ, societatique commodam tenuerunt; atque Massiliam appulsi sunt. Suprà quàm credibile cuiquam facilè sit, is Balduino cæterisque socijs peracerbus nuntius aduenit: satis prudentibus, quàm minimum ex eâ diuisione malum id oriturum esse: vt pactis cum Venetâ Republicâ conuentis ob equitum paucitatem, stare nequirent, nec ijs, pecuniæ vim, fœderis nuper legibus debitam, persoluere. Ergo ad varios qui ei se societati addixerant, nominatim ad Blesensem Comitem, qui nondum aduenerat, mitti placuit; rogatum vt ne aliorsum, quod sine dedecoris, & criminis conscientiâ non poterant, iter inflecterent, Venetiasque rectà proficisci maturarent. Et ad Blesensem quidem Sancti Pauli Comes, atque Campaniȩ Marescallus Gaufredus ab vniuersâ societate legati, Ticini eum maximâ nobilium virorum manu comitatum reperere. Et quanquam ex eâ turbâ plerique obliqua intuentes dissuadere conarentur: id vterque tamen argumentorum pondere euicerunt: vt & Blesensis, cæteriq; eius asseclæ alijs qui præierant sese Venetijs adiungerent. At non pauci tamen qui Placentiæ restiterant, nullâ ratione se in aliorum consilium adduci passi, in Apuliam penetrarunt. Ex his fuere Vilanus de Nuilly, vir qui paucissimis omnino de bellicâ gloriâ quidquam concederet;

Atq; alij permulti.

Ad Blesensem legatio.

In Apuliam plerique transeunt à socijs.

ANN. 1202. tum Henricus d'Argilleres, Reginaldus de Dampierre, Henricus de Long-champ; & nouissimè Ægidius de Trasegnies, vir cæteroquin multis nominibus clarus, & inter Belgarum fortissimos accensendus; maioris boni specie, & eorum captus consilijs, qui à prudentiâ, & virtute bene passim audiebant, non existimauit indecorum sibi esse idem institutum tutiori viâ persequi. Et hi plurimos alios exemplo atque auctoritate transuersos, maximâ sociorum fraude, egerunt. Ita scilicet Apostatarum parens, qui gradum suum in Cœlo non tenuit, id constantissimè nititur, vt de gradu suo quemque perpetuò deturbet, & inconstantes efficiat; maximè vbi Deo fides, & commune Christianæ Reipublicæ bonum seruandum est, vel augendum; quod plerumque versipellis veterator maioris, æqualisue boni specie, ijs qui laruam personato detrahere non norunt, persuadet.

Ægidius de Trasegnies.

CAPVT VI.

Ob sociorum defectionem inopiâ laborant Principes, atque ægrè suos retinent. Iaderæ vrbis expugnatio proponitur, & suadetur

§. I.


VDOVICVS Blesensium Comes, cæterique eum secuti, vti & Germani cum Martino Lintzio Cisterciensi Parisini Cænobij Abbate, Venetias appulsi, ad Diui Nicolai Insulam diuertere, magno socijs & bono & solatio. Veneti certè abundè promissa compleuerant, & viris simul equisque necessaria omnia, iuxta conditiones icti fœderis, per quàm accuratè prouiderant. Nauigia porrò quæ huic expeditioni pararant, non modò solida, rebusque omnibus examussim instructa

Villehard. Sanutus. Gunther. Iustinian.

Veneti promissa nauigia adornarunt.

strictæ erant; sed & eo numero, vt triplò maiori exercitui ferendo essent; lætitiæ primum, speique: at alterum metus, mæroris que socijs argumentum. Veneti quippe ijs prolixè præstitis, quæ à se iure requiri poterant, debitores appellarunt, sociosque vrserunt vt partes ipsi suas vicissim exequerentur, atque argentum pactum penderent; quando ipsi vela dare parati essent. Igitur capitatio fieri cœpta, & viritim ab vno sociorum quoque naulum conuentum exigi; at plerique se subducere, moras nectere, parum hi, nihil admodum alij, tenuitatem suam quisque caussati, erogare; vt à præscriptâ pecuniæ summâ, vbi symbolorum facta est collectio, longissimè abessent. Quid facerent porrò? consilium, & institutum abijcerét, vel certè nummos suis Prouincijs imperatos collybo Venetias mitti Principes curarent? At longum scilicet negotium; & ista æris per noua vectigalia cogendi ratio, tametsi minimè damnanda, sequentibus deinceps temporibus, non illis sanctioribus, aureoque sæculo vicinioribus nota. Illi quidem cum ærario res, non cum rebus, quas mala libido gerendas præscribat, ærarium perperam componebãt; & quî confici valeat, non cur suscipi bellum, aliudúe opus æquum sit, quærebant: quod iniquum esse non possit, vbi ad finem bonum prauis & obliquis tenditur modis. Enimuero non iustum eo bellum definiunt Theologi, quo iniquus hostis petitur, vel iniuria propulsatur: si maiori id Reipublicæ iniuriâ & fraude fiat; sed quod vel necessitas, vel eiusdem Reip. vtilitas suscipiendum suadet. Hæc sciebant huius sacræ expeditionis Principes, quos non lego pecuniarium à suis subsidium ad hoc bellum importunè flagitasse, nedum vi aut armatis, quod aiunt, precibus extorsisse. Oppignorarant vel distraxerant Godefridus Bullonius, & non in priori modò illâ, sed & posterioribus etiam expeditionibus sacris, cum secuti Principes, quà Prouincias, quà vrbes, aut agros, si non in hac vitâ vtiliori, certè honestiori: vendentibus quàm ementibus pactione; idque cauere soliti plerumque omnes erant, vt ne Palæstinam, hoc est

Ann. 1202.

Socij capitationem instituunt.

Inopiâ laborant.

Bellum quodnam iustum.

Cruciati suas terras non premunt vectigalibus.

Ann. 1202. alienam terram in libertatem asserturi, suas ipsi Prouincias vectigalium, tributorumúe seruitute pressas, atque exhaustas redderent. Hoc adeo sibi Balduinus, eorum virtutem & temperantiam æmulatus, prçscripserat; quippe ex opulentissimo Flandriæ solo, id decerpere satis habuit, quod ipsi vltro ordines offerre: & è suis ipse prçdijs portorijsque, nullâ cuiusquam fraude colligere potuerat. Quæ cum præsenti necessitati non sufficerent; nihilo factus eo casu audacior, ab obliquis illis pecuniam exigendi modis sibi temperauit. Principes modò eius societatis, proceresque in concilium coactos, vt ipsi de suo lacunam hanc explerent, his verbis hortatus est. Videtis, socij, Venetos suo munere diligentissimè perfunctos, pactam fidem, vt absoluamus, sollicitè vrgere. A militibus plura exigere, haud æquum censeo, nisi eos alieni sceleris & defectionis pænas dare velitis; multò tamen minùs hanc societatem dissoluere, & susceptæ expeditionis consilium, atque vnà famam dignitatemque nostram turpiter abijcere. Neminem esse inter vos arbitror qui decus, qui fidem Venetis & Deo imprimis datam post pecunias ducat; malitque in hac expeditione, cui vitam sanguinemque deuouimus, quàm vilissimæ rei, nominis facere iacturam, atque os tacitum Europç præbere vniuersæ. Nos igitur, quæ supersunt nomina quisque pro ratâ parte expediamus; id reputantes animo dare nos, non tam gratis quàm mutui nomine, eam militibus pecuniam, quam ipsi postea laboribus, obedientiâ, & ipsâ forte vitâ compensabunt.

Balduinus socios Principes, vt de suo militum inopiam suppleant, hortatur.

§. 2. Non eodem tamen animo ab adstanti nobilitate hæc est excepta oratio. Non pauci siquidem ex ijs, abundè se, quod suarum esset partium, præstitisse indignabundi queritabantur: Principum eam esse curam, non suam, vt Venetis fieret satis. Sibi haud ægrè aliam societatem ducesque repertum iri; modum præstò iam esse quo minoribus impensis in Asiam asportarentur. Eorum scilicet illa vox erat, quos eius expeditionis tædium ceperat, & queis in votis erat, vt societate hâc dissolutâ, votis ipsi fideique

Variè ea oratio excepta est.

fideique vinculo haud ampliùs tenerentur, quin domum reuerterent. Cæteri verò, qui & numero sanè, & virtute præstabant, non modò opes, sed & sanguinem è venis totum profundi, quàm fidei tantillam labem aspergi suæ, æquius multò esse acclamauere; aut ignauiâ tam nobile institutum labefactare; Deum plus satis & diuitem & munificum esse, vt milites suos etiam in hâc vitâ locupletiores decuplò, si velit, reddat. ANN. 1202.

§. 3. Nobiles plerique suam suppellectilem distrahunt.

Ergo omnes, Balduinus inprimis, quidquid erat in loculis argenti signati primùm, tum suppellectilem ipsam distrahere, dein etiam ex nummularijs mutuari. Idemque Blesensis, & Sancti Pauli Comites, atque Marchio Bonifacius, eorumque clientes factitare cœperunt. Annuli, gemmæ, torques, lances aureæ & argenteæ, cæteraque eiusmodi rerum pretiosarum per castra colligi: tum coacta in Ducis Palatium deportari; tantùm abest, vt, quod ait Petrus Iustinianus, accepta Veneti nomina tulerint Societati: aut quidquam de ijs remiserint. Imò verò, vt ad trutinam ea argenti atque auri vis æstimata est, minor esse triginta quatuor marcarum argenti millibus, quàm vt pactum expleret, comperiebatur: tanto quidem proborum luctu, quanto ignauorum gaudio, qui vel iam actum esse de eâ expeditione autumabant. Vtique sarcinulas iam colligere, atque se itineri dare moliebantur, in speciem mæsti, reuera lætitiâ gestientes. Nos, enimuerò, aiebant, indigni sumus à Deo habiti, qui rem tantam exequamur, vel certè nondum ab eo præstitutum tempus obuenit, quo Palęstinam de Barbarorum manibus eripi decretum est. Frustra coitur societas præter numinis voluntatem. Hæc talia passim per militum circulos spargebãtur, & in eorum animis plus iusto inualescebant: vt non ignaui iam, sed & ex ipsis melioribus, constantioribusque plurimi abitum cogitarent; quando Deus insperatò eos ab istâ mente reuocauit.

Pet. Iustin. Hist. Venet.

Nihilominus ea ad naulum persoluendum non sufficiunt.

§. 4. Iadera expugnanda proponitur.

Henricus Dandulus Venetiarum Dux, vt erat vir sagax, & Reipublicæ suæ in bonum semper intentus: quæ agerentur

ANN. 1202. rentur ad consilium suorum ciuium retulit; præclaram, quæ se offerebat bene gerendi occasionem vt capesserent rogans. Soluendo quidem non esse Principes Gallos; si summo cum ijs iure agi vellent; id verò quin fiat, Venetæ Reipublicæ existimationem, Deique ante omnia honorem intercedere. Quotus enim in Europâ, inquiebat, quisque est, qui nostrum istud, si hæc disturbetur expeditio, consilium non intelliget, damnabitque, & nos lucri priuati, quàm boni publici, reique Christianæ, quam hi nobiles viri, hoc est, flos ipse Europæ, promouere certi sunt, studiosiores esse inclamabit? quid igitur? tantáne nomina ijs accepta referemus? Non censeo. Iaderam ab hinc annos aliquot à nobis defecisse: & non modò nostrâ auctoritate conculcatâ ad Hungaros transisse: sed & mare Dalmaticum ab ijs infestum perpetuò nauibus nostris reddi, nemo nescit. Eam ipsa hæc Societas nobis oppugnandam assumat; nos eorum nomina expungamus. Expugnabitur dubio procul à tam lectâ fortium virorum manu; & cum fœnore creditoribus satis fiet. Quam vrbem sanè haud scio an Reipublicæ aliàs nostræ restitui posse spes vlla sit. Id velitis iubeatis rogo & suadeo. Cùm annuissent; id senatusconsultum Principibus, cæterisque socijs proponi placuit.

§. 5. Verum enimuero illud primâ fronte, vix vlli probatum est; Balduino certè, præ cæteris, non modò indecorum, sed & impium propemodũ videbatur destinata Saracenis arma contra Christianum, imo & Cruce signatum Principem exercere. Emericus siquidem Hungariæ Rex Belæ Patri, vltimo superioris seculi anno, datus successor, Innocentij hortatu Crucem assumpserat. Nec clam erat, diris à Pontifice deuotos esse, qui huic deuotos expeditioni lędere attentarent. Dubio nec certo iure Venetos niti; quod ferro ab ijs sustineri, quorum nihil intererat, & qui se alioquin ab Hungariæ Rege nunquam læsos esse meminissent, indignum eâ expeditione nemo non censeret. Dandulus contrà nihil argumentorum omittere, quibus alia

Id plerisque consilium displicet.

Emericus Rex Hungariæ.

Dandulus Iaderæ expugnationem suadet,

alia omnia ſocijs perſuaderet. Diras illas Pontificias non nisi in eos iactas eſſe, qui Cruce ſignatorum bona, dum in ipſo Palęſtino itinere, vel bello diſtinentur, inuolant; multò minùs deuoueri eos qui res ſuas, nefariè ab alijs occupatas, quo poſſunt modo repetunt: alioquin, quod piorum aures refugiunt, furtis, & latrocinijs viam munient eiuſmodi Cruciatæ, ſi eorum auctoribus impunitas Pontificiâ auctoritate ſancitur. Innocentium nec voluiſſe nec potuiſſe, quod à naturâ cuique conceſſum eſt, ius illud ſua repetendi, Venetis hâc ſanctione ereptum ire. Vrbem Iaderam ante annos quadraginta Stephano tertio in Hungariâ, & Vitale Michaele Venetijs rerum potientibus, Imperium Venetorum excuſſiſſe, Vlrico Aquilegienſi Patriarchâ ſuadente: cui dolebat Gradenſi Antiſtiti, non Aquilegienſi ab Adriano Summo Pontifice, ſubiectos eſſe Venetos, Iſtros, & Liburnios. Ex quo pronum eſt iudicare quàm ſit Romano Papæ eiuſmodi placitura aduerſus eos expeditio, quos Epiſcopi neſcio cuius, ſanctæ ſedis iudicio obluctantis, ambitio à legitimo imperio auocarat. Adhæc Iaderenſes piraticam factitare aſſuetos, in eo mari, * cuius nuper imperium à Summo Pontifice Veneti acceperant: adeoque ſingulis annis ipſo Sancti Marci die annulo ſolemniter in aquas iniecto, ipſam quaſi Tethyn Tyrrhenam ſibi deſponſant. Eam ipſi Iaderenſes inquiebat, latrocinijs inceſtant, & Venetas quidem maximè; ſed & alias quaſcunque naues hoſtiliter inceſſunt; nec in Palęſtinam peregrinantibus aditum, niſi latronibus iſtis oppreſſis, vel coercitis, liberum ſecurumúe dari poſſe: Non igitur, aiebat Dandulus, nobis magis, quàm ſocijs veſtris vobiſque ipſis bono leuicula iſta quaſi velitatio inſtituta eſſe videatur. His ille quidem rationibus atque argumentis ſociorum animos pertentabat. At potiſſimum fortiſſimumque certè argumentum erat neceſſitas; quâ ij, aut redire re infectâ, aut Venetis, à quibus iam pendebant, parere cogerentur.

ANN. 1202.

Iadera.

1.

§. 6.

Ad Innocentium PP. ea de re refertur.

Ad Innocentium de re totâ per homines certos, referri antè Balduino placuit, quàm in eorum auctoritate eſſet; verito

Ann. 1202. verito in re dubiâ sequiorem partem amplecti. Et Pontifex ocyus ad eos Petrum Capuanum Cardinalem legauit deprecatum Hungaris bellum; Venetosque rogatum, vti sine hac conditione liberaliter & promptè societati huic sacræ presto essent; sed nihil nimirum audire Veneti, vel latum vnguem à proposito dimoueri voluerunt. Inter hæc non modicum tempus conteri; plerosque viaticum, plures animus deficere. Nonnulli Romam concedere, quo ab hoc sacramento absoluerentur; quod nequaquam Pontifex condonauit; tametsi quibusdam expeditionem istam differre permiserit. Rebus tandem vltro citroque secretâ publicâque æstimatione pensatis; tandem se Venetis Principes permisere. In nouum igitur fædus itum, tabulisque Venetorum, &, societatis Principum chirographo, signisque munitis, Martino Lintzio Parisino Germaniæ Abbate frustra obnitente, alijsque plurimis, sancitum. Et quidem ipse Martinus quàm potuit creberrimè Cardinalem precibus fatigauit, vti sibi abire liceret; sed frustra: quippe non modò eum ire porrò, sed & Germanorum res accurare iussit; eique simul cum reliquis Cœnobitis exercitum non deserere, sed eis in omnibus quæ Religionis sunt, opitulari; idque potissimum eniti, vt quàm minimo Christianorum damno, & sanguine hæc bella exercerentur, edixit.

Iaderæ expugnatio decernitur.

CAPVT



CAPVT VII.

Alexandriæ Ægypti post Iaderam expugnatam obsidio statuitur. Dandulus Cruce signatur. Venetijs soluunt socij, Iaderamq; expugnant. Ad Innocentium PP. Legatio. De Alexio rumor.

Villehard.



HIs eo quo diximus modo constitutis, interea loci dum in naues equi, vasaque militum imponuntur, quam viam ingredi, quâque parte hostes, post Iaderam edomitam, oppugnari consultum esset; Venetos inter sociosque agitatum. Erant qui in Armeniam portuosam scilicet, atque annonæ conuehendæ idoneam regionem flectenda vela iudicarent; inde Antiochiâ, & Syriâ terrâ penetratis in Palęstinam prodeundum. At infirmior eiusmodi prouincia visa est, quàm vt ab eâ præsidium, vel quies expectari possit; tum verò adeo æstu torrida, vt per se commeatum sufficere, ita hostibus peruia, vt per mare asportatum in castra deducere nequeat. Prætetquam quòd tam exiguæ copiæ, non longo itinere, minusue necessarijs prælijs fatigari, sed ad nobilem aliquem vsum, [illegible]alis est portum occupare, vel insignem vrbem expugnare, quam & tueri, & inde hostibus imminere commodum sit, integre seruari debeant. Cum rationibus huius expeditionis, & fine coalitæ societatis magis congruere videbatur ipsam Ierosolymam, vel certè vrbem aliquam Palęstinæ inuadere; quò sociorum pars iam appulisset; vel propediem appulsura credebatur. Quominus autem id consilij reciperetur, obstabant ad

§. I. Qua parte Saraceni oppugnandi.

In Armeniam alij qui eundum iudicant.

Alij ipsam Palæstinam rectà petendam.

ANN. 1202. ad aliquot annos datæ nuper à nostris in Palęstinâ hostibus induciæ; quas temerè contra pacta abrogare, intutum ac indecorum pariter videbatur. Præterea vt pacem hanc sequestram, inquiebat Balduinus, taceamus, Palęstinam, ni Ægyptus priùs Soldano eripiatur, vel saltem mare Nilusque reddantur infesta, superari forsitan à nostris posse, conseruari nullo modo posse opinio est, passim recepta; & ab ipso nuper Characuco, qui Saladino à consilijs fuerat, Philippo Galliarum Regi, apud quem bello captus detinebatur, affirmata. Superest igitur vt in

Ægyptum tentandam suadet Balduinus.

1. Ægyptum contendamus, * Alexandriam, vel Damiatam oppugnaturi; vnde non modò totam illam Regionem, sed & mare ipsum circumsedere, hostesque à Palęstinâ æternùm arcere licebit. Alterutram autem, imò & regnum ipsum in potestatem redigere non tanti forsitan laboris ei videatur, qui perpenderit quam atrocibus intestinisque bellis, fame insuper sæuissimâ affligetur; quippe Nilus auarè, præter morem, subtractis ei regioni aquis, quas è cælo nunquam expectat, solum eius humoris inopiâ iam pridem arefactum, & solis vaporibus alioquin exustum ita reliquit; vt ne feris ipsis vel tantillum pabuli suppetere dicatur. In eam ergo sententiam omnes manibus pedibusque concessere.

§. 2. Dandulus quoque his colloquijs disceptationibusque adeo sibi animum accendi sensit: vt senio, laboribusque infractus, atque ipso lumine, cuius præcipuè in id genus negotijs vsus est, orbatus, vitam duxerit cum hisce socijs potiùs glorioso fine fortiter coronare, quàm annos pauculos protractam, in ore quidem sperorum, ignauè tamen ponere. Ea propter die quadam Dominicâ ad frequentissimam plebem in Sancti Marci verba fecit; Venetos non disertè minùs, quàm ardenter hortatus; vt parum à se præstitum existimarent, naues duntaxat, easque pretio non vilissimo, in hanc expeditionem contulisse, ni etiam seipsos tam pio & glorioso operi consecrarent. Prompto lubentique ijs animo se ducem in hoc bello futurum, annis scilicet grauem,

Dandulus Crucem amplectitur.

uem, & ob cæcitatem, nonnullorum fortasse iudicio, minùs tanto oneri habilem; suâ certè, & si dicere audeat, etiam Dei sententiâ, cuius occultam atque insolitam vim persentisceret, non omnino ineptum: vbi mentis oculis magis, quàm corporis opus sit. Perculit profectò concionem vniuersam tam generosum senis exemplum, simul & accensus præter ætatem in dicendo ardor; ex quâ, quibus integrum fuit, plurimi ei se bello deuouerunt. Ipse verò Dux in omnium conspectu pro arâ eius ædis Principe ab Episcoporum aliquo, Crucis figuram Phrygij operis super torulum tomento fartum, quo conspicua magis esset, alteri humero sibi assui curauit: maiorine suâ, quàm adstantium Principum lætitiâ non facile dixerim. Illi certè sibi virum eiusmodi, & togâ & sago clarissimum, rebusque cuiuscunque modi agendis exercitatissimum, cælitus atque insperatò socium, quidem, & ducem datum esse, seriò inter se gratulabantur. Et cum eo Veneti multi.

Gaudium illud aduentu suo sub eam diem cumularunt è Germaniâ & Belgio nobiles viri; quorum Principes facile erant Alberstadiensium Episcopus, Bertoldus * Catzenellebogensis Comes, Garnerus de Borlande; Theodoricus Lossensis, Henricus d'Orme, Theodoricus Distensis, Rogerius Desnitre, Alexander de Villers, Vlricus de Tone. At vice versâ Fulconis pijssimi viri, quique, vti diximus, huic bello classicum primus cecinerat, eam lætitiam non parum, iuxta & spem, quam in eius meritis atq; precationibus collocarant, mors interturbauit. Sed in Cœlum scilicet abijt, solatia maiora suppetiatum socijs inde missitaturus. *Adueniunt sociorum eo alij. 2. Fulconis obitus.

Villeh. Tandem aliquando, nauigia sociorum, seu Peregrinantium turba sacris omnibus ad propitiandum cœleste numen ritè procuratis populo collachrymante, faustisq; ominibus, & acclamationibus pro sequente conscendit, ac sub ipsum Octobris initium, septimo vel octauo eius die, aut non multò secus, anni secundi supra millesimum & ducentesimum è portu omnes soluerunt. Ab hominum memoriâ, vix aliàs tam præclaram, ijsque viris instructam clas- §. 3. Soluunt è portu.

 sem

ANN. 1202. ſem Venetis viſam eſſe fama erat. Præter armatas triremes ſexaginta, centum & viginti latiori alueo vehendis equis, onerariaſque ſeptuaginta naues eâ in claſſe fuiſſe ait Blondus. Primus omnium Henricus Dandulus Dux anchoras ſuſtulit; quem poſtridie reliqui omnes ſequebantur. Huiuſce belli primitias * Tergeſtini, & Mugienſes dederunt; qui in poteſtatem Venetorum adducti, id mare prædationibus porrò infeſtare deſierunt. Pridie S. Martini, Iaderam, ſiue Zaram præ oculis, ſocij habuêre. Ea vrbs in Illyridis orâ, atque Adriatici maris littore, non opere magis, quàm naturâ loci munita, & primo aſpectu inexpugnabilis pleriſque ſociorum viſa eſt. Sinus maris eſt flexuoſus, & anguſtus, quem hinc & illinc continenti adhærentes duæ cohibent inſulæ. Et illa quidem ad Occaſum erumpens ramoſa varijſq; in locis tenui diſcrimine mare diuidens inſularum plurium ſpeciem præbet: è quibus quæ ſinum claudit in meridiem rectâ pronimentiâ cuneatur. Altera peninſula ſolidi pedis refert imaginem, cui talus acutior ad Euroauſtrum, reliqua in Occidentem reflexa, tantùm non cum Iaderenſi ſolo coniungitur. At ab omni tamen continente diuiſa eſt vſquequaque Iaderenſis inſula: & ſic à naturâ conciſa, vt extra ipſam vrbis aream vix exſcenſioni locus ſit. Hanc talemque vrbem maris fluctibus, & muris ſolidiſſimis circumcinctam, celſiſque turribus inſtructam, etiam forti recèns præſidio Emericus Hungarorum Rex, molitionis Venetorum non ignarus, firmauerat. Non terruit quidem Balduini atque aliorum Principum animos eius vrbis ſpecies, vehementer tamen affecit; metumque incuſſit ne longiori obſidione militum ardor elangueret, numeruſque minueretur. Nihilo tamen ſegniùs naues quiſque ſuas propiùs admouere, dein tormentorum creberrimâ ſimul exploſione, hoſtes procul amoliti, & câtenâ, quâ ſinus maris anguſtior claudebatur, perfractâ, portum demum tenuere. Terruit primus iſte impetus humanis, vti videbatur, viribus maior, fregitque Iaderenſium animos; qui exinde deditionem,

Blond.

3.

* Iaderam appellant.

Villeh. Bonfin. Blond.

tionem, quàm optimam sibi vt facerent, magis quàm vt obsidionem tolerarent, agitare cœperunt. Interea Ioci socij terram capere, & machinas, tormentaque muris ipso Diui Martini applicare. Marchionem quidem inopina negotia, quominus solueret impedierant. Stephanus Perticensis Venetijs cum Matthæo Montmorenciaco ægrotatione implicatus substiterat. Hic vt primùm armis ferendis fuit, è portu soluit, & Iaderam contendit: secus Perticensis, quem, desertis socijs & fide, in Apuliam proficiscentem Rotro à Monteforti, & Iuo Laualllius (subinde Lallium, librarij fortassis incuriâ Villehardui-nius nominat) pluresque alij secuti sunt. Qui omnes Martio proximè sequenti in Syriam traiecere.

ANN. 1202.

Succedit Perticensis Comes & alij

§. 4.

Deditionem agitant Iaderenses.

Postridie Diui Martini Iaderensium optimates, iam priore istâ pugnâ consternati; ad Venetorum Ducem supplices ipsam vrbem seque ipsos omnes eius potestati traditum accessere, vitam modò si pacisci liceat. Non abnuit, vt æquum erat, mirificè tam celeri prosperoque successu exhilaratus Dandulus; quin tamen fidem illico daret aduersum sociorum Principes reuerentia obsistebat. Interim ergo dum eos ipse rei huius certiores facit, tantisper Iaderenses expectare iussi sunt. At ecce nouum Inferni veteratoris ludum. In nonnullos Gallicarum copiarum duces, quos eius belli,& ipsius Palęstinę expeditionis iampridem tædebat: ij legati inciderunt. Hos ergo illi desides, & ciuium suorum proditores inclamare; hortari seriò vt ne cum Venetis vllo modo paciscantur. Cum ijs solis, sibi rem esse sciant: ab socijs nihil quod formident. Nec his contenti Robertum de Boue è suis vnum, ad vrbis munimenta allegarunt, qui ciuibus idem significaret, atque, vt in Hungarorum fide perseuerarent, hortaretur. Quod, malum: æquo faciliùs persuasit. Legati non expectato Ducis responsò in vrbem regressi oppidanos à deditionis consilio procul auocarunt. Ad hæc, vt sinistri casus apti inter se, & connexi esse plerumque solent. Vallensis Abbas, eorum ignauorum fraudibus, vt credebatur, obse-

Sed à sociorum quibusdam confirmantur.

ANN. 1202. obsecundans: in castra repentè irrepsit, identidem Pontificis nomine socijs edicens, ne qua vrbem oppugnarent; quæ res mirum quantum turbarum inter milites progenuit. Cæterùm Dandulus sociorum nequitiâ sibi vrbem ereptam esse meritò querebatur: ad eam iniuriam resarciendam Principum fidem obtestans. Et illi non promptiùs polliciti

Vrbs verberatur.

prope sunt, quàm præstiterunt. Sequenti quippe die terrâ quidem tormentis balistisq; omnibus; mari verò nauibus in queis scalæ è funibus ad antennas erectę, oppugnare cœperũt. Dies omnino quinq; tenuit eiusmodi oppugnatio; quâ effectum est, vt turribus disiectis, muris quâ arietibus, quâ cuniculis quassatis; posteaquàm eius etiam turris, quâ se obsessi potissimùm tuebantur, pedem suffodere socij visi erant: haud ampliùs cunctandum rati Iaderenses, se suaque omnia, eo quo antea obtulerant, pacto Duci permiserunt. Capta itaque est ea ciuitas post pauculorum non mensium, vt ait Bonfinius, sed dierum oppugnationem, prædæque tota militibus cessit.

Capitur.

§. 5.

Iaderam ingrediuntur socij.

Villehard. Blond. Bonfin. Iustinian.

In partes geminas Iaderensium vrbs diuisa, quà portum spectat Venetis cessit, alteram socij habuere. Tum in eam aditus militibus patuit, qui eius opes, vt solet, hostilem in modum diripuere. Munimenta, quibus à mari ciuitas secernebatur, Venetis dirui placuit; ciuium primores, vt ijs libera manendi facultas data foret, Victorum dominatum ægrè ferentes, pars aliò commigrarunt; pars piraticam exercere maluerunt; oræ Istriæ, & confinibus infesti. Hinc factum est vt classem rursum Veneti, subinde Renero Dandulo, Ducis filio, commissam instruere coacti sint, eosque prædones bello petere, quibus quidem aliquando superatis, in insulâ Iaderæ oppositâ, arx extructa est, freno, si quid noui molirentur, Iaderensibus futura. Eam tamen arcem, quam ipsi Mali-consilij vocauere, Hungaricis auxilijs freti exules expugnatam solo æquarunt. Pax tandem ijsdem rursum concessa est his conditionibus: vt Illyricorum Primatum filios, vinculum fidei suæ, obsides Venetias mitterent; & deinceps in annos singulos clientelæ, & honestæ

Iaderenses exules piraticam faciunt.

Venetis subijciuntur.

honestæ seruitutis nomine mille cuniculorum pelles dominis pensitarent. Ann. 1202.

§. 6.

Iaderæ socij hybernant & pro hospitijs disceptant.

Socijs porrò, quòd hyems, nauigationi tempestas prorsus inepta, instaret: in hybernis Iaderę exercitum esse, & vernum tempus præstolari decretum. Fuerunt ergo militibus pro cuiusque conditione designanda hospitia: Quo munere, tametsi metatores pro virili suâ parte diligentissimè, ne quam inuidiam conflarent, fungerentur; nihilominus, vt fieri pronum erat, Veneti vrbis ipsius domini, & rem suam obire seduli, Belgicam Gallicanamque nobilitatem paucis alioquin id temporis contentam, & sua quærere minùs doctam, ita in eo studio præuerterunt; vt, quod Gallis est in Prouerbio: Cormeriacensis facta sit distributio; hinc omnia, illinc nihil, Veneti magnificas ædes, cæteri vix tuguriola, in quibus confertim quique starent, potiùs quàm habitarent, contra pacta repererunt. Res eò adducta, vt triduò postquam vrbs capta erat, sub diei vesperum Venetos inter cæterosque verbis primùm, tum etiam ferro certari cæptum; eoque ardore & contentione, vt pauca omnino siue fora, seu compita, plateæque à prælio vacuæ cernerentur. Passim clamor & eiulatus audiri, ense, hastâ, & telis pugnari, & ne qua belli species deesset, tympana tubæque concrepare. De Venetis actum oppidò erat, ni Principes vtrimque in ipsas acies, dissidium sopituri corruissent. At eò furoris ventum erat, vt vix auctoritatis, vel dignitatis vlla, sed solius iræ ratio haberetur. Vix istic animi componebantur, cùm hîc bellum recrudesceret. Durauit ingratum certè, prçterquam Iaderensibus Cadmeum hocce bellum ad noctem vsque concubiam; cuius tenebris hostes inter se occultantibus, potiùs quàm rationis lumini pacem, si modò vlla coibatur acceptam Principes retulerunt; quamquam ipsi vicatim vrbem obire, & singulos officij sui admonere antè non destiterunt, quàm ij armis positis totam litem Ducum arbitrio permisere. Cæterùm haud alias totâ hâc expeditione, intestino hocce dissidio, maius malum societati

ANN. 1202. ingruit; quo tantùm non perijt. Multi interfecti, plures

4. saucij; & in illis vir * nobilissimo in Flandriâ loco natus

Ægidij Landasij mors. Ægidius de Landas illapso in oculum telo momento mortuus concidit. Quod eius hebdomadę reliquum fuit, extinguendo penitus, ne sub cineribus dolosis latens foueretur, discordiæ igne, & reconciliandis vtriusque gentis animis gnauiter iuxta & vtiliter insudatum.

§. 7. Marchio cum alijs Iaderam appellit. Post binas autem, ex quo Iaderam appulsum erat, hebdomadas Bonifacius Montisferrati Marchio, Matthæus Montmorencius, & Petrus de Braiecueil, cum pluribus alijs primæ notæ nobilibus viris Iaderam accessere, sociosque ingenti gaudio perfudere.

Socijs metus incutitur ab anathemate. Secundùm hæc nouæ à Religiosis viris in Principum animos iniectæ curæ. Displicuisse enim haud dubiè Pontifici Iaderæ expugnationem affirmabant multi, sociosque sacris lege abstentos esse. Eius Anathematis in socios lati diploma Pontificium sibi visum esse affirmat historiæ Albigensium scriptor: additque Simonem de Monteforti id belli auersatum à societate antè desciuisse, quàm Iadera oppugnaretur, atque in Apuliam retrogressum, inde in Palęstinam traiecisse. Post eam tamen expeditionem demum abscessisse in Hungariam ne Gręcanico bello se implicaret, scribit Villeharduynius: cui potiùs assentior. Alijs pluribus, etsi certè interdictionem Pontificiam non admitterent, in legem peccassent necne dubium erat. Quod igitur facilè, dum ver appeteret, fieri poterat, tutiusq; illud erat, à Pontifice eius, si quod consciuissent, delicti veniam flagitatum Oratores mitti suadebant. Comitem certè Balduinum, tametsi nulla talis conscientia sceleris, quod præter voluntatem committi nequit, angebat; quia tamen vel sola huiusmodi flagitij species, non modò Principum nomini probrosa, aut exercitui damnosa esse: sed & orbi Christiano offendiculum paritura videbatur; ei consilio parendum censuit, cæterique eius exemplo omnes. Duos igitur è Sacerdotibus Neuelonem Suessionensium Episcopum, & Ioannem Nouiodunensem

Ad Pontificem Legatos mittunt.

Villehard. Gunther. Hist. Albigens.

Balduini

Balduini Cancellarium; inquit Villeharduynius; tertium addit Guntherus Martinum Lintzium Parisinum in Germaniâ Abbatem; ex profanis verò Ioannem de Friaise,& Robertum de Boue Romam Galli Belgæque allegant, non Veneti: qui Legationem illam vehementer damnabant; perinde quasi si ipsi toti orbi testatum facerent, se contra leges peccasse: seque ipsos ante Iudicis sententiam gratuitò damnare vellent; quod absurdum ijs esse videatur, qui bonâ fide socios iustissimo in bello adiuuissent. ANN. 1202.

§. 8. Ab Innocentio quomodo excepti.

Iuerunt porrò Legati illi,quos antea Balduinus ad iusiurandum addixerat, perfunctos legatione suâ mox ad castra reuersuros esse. Et cæteri quidem fidem suam exoluerunt, præter Robertum de Boue, & Abbatem Lintzium, qui in Palęstinam abiere. Cæterùm eos perhumaniter audijt Innocentius, & sociorum, inquit Gaufredus, casum miseratus: dum è purpuratis Patribus ad castra quempiam destinaret: Suessionensium Antistiti, & Ioanni Cancellario potestatem fecit copias Cruce signatorum, Venetis exceptis, omnes expiandi: eosque si exciderant, sacris restituendi. Inter eas, quas Decretales appellamus, Innocentij epistola etiamnum legitur, quâ socijs sciscitantibus, num sibi cum Venetis nauigare, & agere liceat, quos à piorum consuetudine ille amouisset, respondit in hunc sensum: Quandoquidem Veneti potiorem nauli partem à vobis acceperunt: eam si fortè restituere, aut anathematis vinculo absolui recusant, nec alia cæteroquin nauigiorum ratio suppetit parandorum; cum ijs iter facere, vesci, & contra Saracenos præliari nihil erit periculi. Haud secus atque ab Hęreticis necessaria coëmere ijs, qui per eorum terras transeunt, aut Patrifamilias conuiuere domesticis licitum est; tametsi ei sacris fuerit interdictum. Quo mihi dubium oritur num fortè soli Veneti eiusmodi legis pænam incurrerint; an verò alterâ legatione, vbi iam ab Ecclesiæ censurâ cæteri, pręter Venetos, omnes absoluti fuerant: etiam istud quæsierint, liceretne sibi Venetis, nullam delicti gratiam postulantibus, sociari.

Cap. si verò De sent. excom.

ANN. 1202.
§. 9.
In Græciam à Deo socij auocantur.

Interim verò cum hæc vltro citroque agerentur, & Ægyptum socij omnes auidè cogitarent, feracem nimirum, diuitijsque inclytam terram; atque Alexandriam, nobile Asiæ emporium, non tam cogitatione oppugnarent, quam spe in circulis passim milites iam diriperent; de improuiso quidem Exercitui; at iam olim ab æternâ Dei mente constituta obuenit res, quæ priora omnia consilia penitus elusit. Alexius siquidem Byzantini Imperatoris filius legatos à socijs auxilium rogatum ad castra misit: quò se Patremq; inprimis suum, ab perfido tyranno patruo suo exturbatos, hunc libertati, se patriæ, vtrumq; etiam solio restituerent. Ea scilicet erant diuini numinis consilia, vt occultis & inopinatis modis Balduinus sceptro admoueretur; prorsus vt illud Ecclesiastici elogium reipsa verum sit: *Multi tyranni sederunt in throno* (vtiq; si vsquam aliàs Byzantino, in quo perpetuâ quasi tragicarum rerum serie, se inuicem ipsi Reges intrudere, atque extrudere vicissim visi sunt. Tum verò) *Insuspicabilis portauit diadema. Multi potentes oppressi sunt validè, & gloriosi traditi sunt in manus alterorum.* Et id profectò hac expeditione belloque Græco factum est; cùm exigua & nulla, si ad hostium numerum compares, sociorum manus magnificum, amplissimumque regnum sibi subiecit: & Balduino Augusto, nihil certè minùs quam eiusmodi magnitudinem, atque opes cogitanti, nedum ambienti, nobilissimum imperium regere, & diadema gestare cælitus concessum est. Quod vtrumq; antequàm narratione prosequar: æquum esse existimo paucis qui Orientem Balduini ætate Reges habuerint: quoue fato, vt aiunt: veriùs quâ numinis irâ ad Latinos eius sceptrum inclinarit, explanare.

Ecclef. 11.

CAPVT

CAPVT VIII.

Quinam Balduini ætate Constantinopoli imperarint: & quam ij postremæ huic cladi dederint occasionem.

§. 1. Græci Imperij ruinæ caussa.


MVltæ profectò, eęque atrocissimę iam inde ab Heraclio Imperatore, à Barbaris; pluresą autem ab incolis, atque adeo à Regibus ipsis afflatę pestes Orientem vastauere; & demum ad interitum pertraxere. E quinque omnino flagitiorum fontibus aut cloacis innumera dedecora promanarunt; quibus eluendis tot clades, ab irato Numine emissæ Græciam attriuere. Schisma nimirum, atque ab Romanis ritibus, scitisque defectio: tum Luxus, Libidines incestæ, Veneficia, seu Magia, & Crudelitas. Quas vt sordes exemplis omnes carptim, atque vnà caussas cur in eos Latini, cum superûm, tum suæ quisque nationis iniurias vltum iuerint, declarem: non altiùs quàm ab Emmanuele, qui præ cæteris Latinos indignè habuit, rem ordiar.

§. 2. Emmanuelis Imperium.

Nicet. G. Tyr. Herold. Nancler. Cuspin.

Emmanuel ergo, siue vt passim Græci, Manuel, Ioanne Comneno Imp. natus (minùs rectè Cuspinianus cum alijs quibusdam, humili loco ortum per adulterium sibi ad Imperium viam fecisse dicit) Isaacium fratrem natu maiorem, de paternâ hæreditate deductum, in * Pantocratoris Asceterium intrusit. Vitam ille omnis impietatis, & fædę libidinis inquinatam sordibus, vti exorsus erat, decurrit. Cum Theodorâ nepte (quam postea Ierosolymorum Regi vxorem dedit) tametsi coniugatus stupri consuetudinem habuit: ex eâque filium procreauit. Hariolis, * auspicibus, atque eiusmodi ex cacodæmone petitis oraculis, vsque ad insaniam credulitatem suam 1. 2.

 addixit.

ANN. 1202. addixit. Ob grauissima tributa, & vectigalia, sic populo inuisus fuit: vt cùm aliquando à Persis victus haustam è profluente aquam labrisque admotam, quòd cruenta suorum sanguine esset, gemebundus humi effunderet: non est veritus miles aliquis ei subijcere: iam pridem eum humano cruore sitim explere solitum, subditorum sibi populorum fortunas, & facultates iniquis exactionibus exugendo.

Latinos odio plusquam Vatiniano prosequebatur. Conradum Romanorum, & Ludouicum Galliæ Reges Palęstinæ suppetias ferentes, per infideles itineris duces in auia & vasta abductos: tum per corruptam calce farinam, atque adulterinam pecuniam, quas ipse subministrabat, in extremam prope perniciem adduxit: eius expeditionis Turcas admonuit, docuitque quo pacto ab ijs ipsi sese tuerentur. Venetos, quia Siculis inferre arma renuebant, miris vexauit modis. In eos Stephanum Hungariæ Regem concitauit; eius gentis negotiatores, opibus spoliatos, è Græciâ expulit. Henricum Dandulum ab Venetis ad eum Legatum, liberiùs hominem increpan-
3. tem, contra ius gentium, * admotis ad oculos ex ære candenti laminis, excæcauit. Cumuli demum vice in hæresim prolapsus, Æterno Patre minorem quouis modò
4. filium haberi edixit, atque impio * Mahometi de Deo dogmati anathema dici prohibuit. Quas hîc autem blasphemum os luere pro merito pœnas impietatis non poterat, ad æternas abijt, honestiore, præ quàm eius flagitia
5. merebantur, morte in cucullo * defunctus, Septembri mense anni Christiani centesimi octogesimi supra millesimum.

§. 3. Andronici Imperium.

Alexio Manuelis filio, Andronicus, ob eiuratum olim Christi, nomen, datamque Mahometo fidem infamis: per Xenes Imperatricis stuprum optimatum gratiâ sibi comparatâ, tutor est datus. Quâ ille potestate vsus cru-
6. delissimè Alexio * Protosebasto, & Ioanni Cantacuzeno, viris nobilissimis, oculos: Mariæ verò Emmanuelis filiæ,

filiæ, eiusque marito venenatâ potione vitam eripuit. Andronicum atque Isaacum Angelos exilio mulctauit: Gallos, * Agnetem Ludouici Iunioris filiam, Alexij coniugem secutos, partim interfici, partim in Galliam redire iussit, in cæteros eiusdem gentis Iconij degentes Sultanum armauit. Tum in suos reuersus Xenem Reginam, falso perduellionis insimulatam; Alexij filij ore morti adiudicat: ad extremum vt gradum in scelere non tenet ambitio: assumpto diademate Imperator factus, consortisque impatiens Alexium quindennem laqueo præfocat, atque eius viduam Agnetem adolescentulam vetulus & salax hircus inæquali sibi matrimonio copulat. Quis cætera eius scelera enumeret? Genero ipse suo oculos è sedibus eruit; Mamalum adolescentem lento igni assauit; Georgium summæ edis anagnosten, seu lectorem veru transfixum torrere, tostumque eius vxori pro ferculo in lance apponere animo destinarat, ni alias ei Isaacus dapes apparasset. Ioannem Cardinalem, ad eum ab Alexandro Pontifice Legatum diris, execrandisque confecit supplicijs, eiusque cremati cadaueris cineres in auram disseminauit. At ipsi credo, non minùs quàm Abeli sanguis, Deum vindicem cineres inclamarunt; & quod ex ossibus nescio qui suis optabat, ex hisce cineribus vltor exortus est. Andronicus à Magis edoctus ab eo sibi perniciem imminere, cuius nomen *Is* sillaba inchoaret, de Isaaco Comneno Cypri tyranno primum, tum etiam de Isaaco Angelo occidendo cogitauit: eoque fine Hagiochristophoritam cum aliquantâ satellitum manu ad hunc allegat. At Isaacus occupato & oppresso percussore suo, tumultum ciet, populum in S. Sophiæ ad concionem conuocat, atque Imperator renuntiatur. Andronicus fugâ sibi consulit: sed, vti sordes mare respuit, sic aduersâ in littus vicinum tempestate actus, & comprehensus, Isaaci iussu, lentis cruciamentis peremtus est.

ANN. 1202.

7.

§. 4. Isaaci regnum.

Isaacus ergo (Tirsacum, aut Tursacum externi passim scriptores appellant) in scenam ordine quidem suo: at alieno certè

ANN. 1202. no certè periculo nihilo ſapientior iam prodit, tragædiam & ipſe acturus. Vt primum ille quietum ſtabileque Imperium nactus eſſe ſibi viſus eſt: nouas cum Belæ Hungariæ Regis filiâ ſupra omnem regium modum, & cultu apparatuque ad luxuriam magis, quàm ad magnificentiam exacto, nuptias celebrauit: quibus & exhauſtum eſt ærarium, & ob indictum ſolito grauius tributum, abalienati ſunt ab Iſaaco popularium animi: ipſi autem Valachi ſeu Bulgari, non ſatis alioquin Græci patientes imperij, ab eo defecerunt. Iam verò Latinis haud paulò iniquior extitit. Per eum non ſtetit, quin vel fame, vel Barbarorum armis, quas ductabat Fridericus Imperator, Chriſtianæ copiæ interierint. Rupertum Naſſauium, & Valerandum Comites pacis ergo ad eum à Friderico legatos in vincula coniecit, indigniſque habuit modis. Cæterùm voluptatibus, epuliſque otium prębere, curamque regni in poſtremis ducere perſeuerabat. Eius conuiuia Sybaritica Nicetas vocat: ad quæ niſi hiſtrionibus, præſtigiatoribus, paraſitis, & eiuſmodi comitatus hominum fece vix accumbebat. At eius caſum animo reputanti: haud potior eius mihi ſuccurrit cauſſa, quàm quæ Baltaſſarem Aſſyriorum Regem præcipitem egit. Sacrilegum namque illum imitatus, manus impias in vaſa Deo ſacra iniecit, & è templis per vim ablata, in profanos, ne quid peius dicam, vſus conuertit: addito ſcommate ad Diagoram magis, quâm ad Chriſtianum Principem appoſito: Regibus quicquid libet licere: nihilque eos inter & Deum intereſſe, niſi forſan quòd his infernæ res, non ſupernæ: Numini vtræque ſubiaceant. At ecce continuò neſcio qui Danielis inſtar, huius flagitij vltorem eius capiti imminere Alexium fratrem ſignificat: atque eius non modò regno ſed & vitæ inſidias ſtruere. Rem illè incredibilem habuit, & contempſit, & ſanè haud ita pronum erat de Alexio fratre quidquam malè Iſaacum ſuſpicari: quem ipſe à Turcorum ſeruitute aſſertum (ſponte ad eos transfugiſſe, & Mahometi impijs ritibus initiatum eſſe tradit Godefridus Monachus)

Nicet. Logoth. Villehard. God. Mon. P. Emil.

Monachus) eò extulerat: vt auctoritate cum fratre ipso pæne certaret. Verùm nec sanguinis, nec amicitiæ iura, neque ipsum, quo ruit, præcipitium cæca videt ambitio. ANN. 1202.

§. 5. Alexij regnum.

Leporem fortè aut ceruum venaturus ex vrbe Isaacus prodierat: in eâ de industriâ Alexius regnum capturus remansit. Pro concione fratrem populo, qui Euripo, & ventis mobilior est, regno inhabilem, eoque mouendum esse persuasit. Missi mox, qui Isaacum comprehenderent. Ille de re totâ monitus effusâ fugâ Stagiram (Macran hodie dici ait Nicetas) se recepit: sed proditus, & vinctus, Peramque asportatus: impij Tyranni iussu oculis orbatus; hincque in tetram Byzantij custodiam coniectus est: cum regnasset annos nouem, menses octo. Regnat igitur vnà cum Euphrosyne vxore Alexius, & pro se coniugum quisque vitijs, lasciuiâ, & luxu potissimùm non modò secum ipsi, verùm etiam cum reliquis, qui præcesserant, Regibus certare aggreditur. Imperatorum sepulcra intacta reliquerat Isaacus: nulli, ne Constantini quidem monumento ab Alexij libidine inuiolato esse licuit. Omnia prorsus ornamentis, diuitijsque spoliauit; breui tamen rursus indiguit, ipsis sepulcris haud multò ditior effectus.

§. 6. Isaacum mitiùs habet.

Isaacum Alexius libertate, oculis & Imperio priuarat; & quocunque modo cauerat, ne ad pristinam dignitatem reuocari vnquam posset. Ergo vbi imperium certum sibi, fixumque esse, & alterius factionis homines vel occidisse, vel in suas partes transisse vidit: maiorem in dies fratri libertatem indulsit; atque ad binas* columnas, quæ haud procul portu sunt, ædibus assignatis, paulò laxioribus: cuiuis adeundi, atque alloquendi copiam non grauatè dedit. Plerique igitur ad eum, ærumnas solaturi, inuisebant: Latini maximè, quibuscum liberiùs sua consilia infelix senex agitabat: & per eos ad Philippum Romanorum Regem generum suum litteras missitabat; accipiebatque. Isaacus enim filiam suam Irenen Rogerio Tancredi filio Siculorum Regi in matrimonium dederat: at illa paulò 8.

Isaaci filia Irene Philippi Rom. Regis vxor.

ANN. 1202. pòst morte mariti vidua; in ipsâ Siciliæ direptione ab Henrico Imperatore capta, & Philippo fratri nuptum data est. Præter verò Irenen eius Regis Philippi vxorem, erat Isaaco proles mascula, cui nomen Alexius fuit; hunc quoq; aliquamdiu in vinculis habuit Tyrannus; verum nihil grauiùs in eum consuluit: imò patruum sensim & ipse ita emolliuit Alexius, vt per eum liberum corpus sibi habere, aulamque Regis, haud secus atque cæteris Purpuratis tutò frequentare liceret. Subinde verò de Parentis consilio, Pisani cuiusdam institoris ope clam se ex Greciâ subduxit, & eius naue conscensâ in Italiam fugit. Vt abesse iuniorem Alexium sensit patruus; triremes, variaque omnis generis nauigia, celoces præsertim ad eum assequendum immisit. Et verò propiùs adfuit nihil, quàm vt infelix adolescens caperetur: nam & in eam, quâ ipse vehebatur, nauem ingressi satellites, curiosè lustrarunt singula, & Alexium sæpius in oculis habuerunt; ipse verò quia caput sibi coronæ in modum totonderat, & Latinum cultum induerat, non est veritus audacter se coram aspiciendum dare; eâque confidentiâ, quò minùs latuit, minùs manifestò teneri se passus est.

Alexius Isaaci filius fugam molitur.

§. 7. Penetrauit igitur in Siciliam, indeque in Germaniam ad sororem, sororiumque suum irrupit. Quo affectu, & miseratione fratrem vnicum, tam longâ nauigatione difficilique perfunctum, iuuenem in spem tantæ fortunæ, quantam paulò antè Pater amiserat, genitum; nunc exulem, pauperem Irene soror exceperit, frustra sim, si commemorem. Id facilè est intellectu, nullum argumenti & blanditiarum eam genus omisisse, quo Philippum virum suum ad suppetias Parenti, fratrique tam indignè habitis ferendum permoueret. Non sanguinem magis, & nuptiarum fædus, quàm rei ipsius grauitatem inclamabat. Rogabat vt perpenderet ipse secum, quantum sibi periculum, cæterisque Regibus crearet, si Orientis imperium tyranno & parricidæ impune palam oculis omnium Principum, permitteret. Tolerandumne id quisquam omnium iudicet,

In Germaniam abit.

Irene virum solicitat vt fratri opituletur.

iudicet, vt frater imperio, oculis, libertate per summum nefas priuetur à fratre, quem ipse factis quidem indignissimum, sola pietatis ratione dignum censuerit, cui & vitam & libertatem ereptam à Barbaris restitueret? Quid sibi deinceps animi, futurum; imò quî viuendum putet, si Reginæ, & Imperatoris Romanorum vxori frater, antea Princeps, legitimus Orientis hæres: nunc vagus, erro, & ad Latinorum ostia mendici instar stipem quæritans spectandus sit; patrui flagitio miser, qui eius tutela & præsidium esse debuerat. Non Isaacum eiusque filium, quibus illata vis est: sed Philippum & Irenen, qui volentes lubentes inultam ire huiusmodi iniuriam siuerint, vituperationem ac dedecus esse subituros. Mouit cùm rei indignitas, & naturæ vis: tum verò & ipsa carissimæ coniugis diserta, vt solet in calamitatibus, sanè grauiter Philippum oratio. Qui procul dubio contra Alexium incubatorem infesta intulisset signa, nisi se ipse laboriosè aduersus Ottonem æmulum tum temporis tueretur. Quod potuit id vnum præstitit; ad varios Principes, & imprimis ad eos qui Cruce signati in Syriam meditabantur, litteras dedit: obtestatus vti miserum huiusmodi adolescentem solio Paterno restituerent.

Ann. 1202.

Sed bellis ipse impeditus, ad socios eum remittit.

Nicet. Rigord.

§. 8. Pseudo-Alexius.

Aliquantò antè quàm Alexius in Germaniam adueniret, veterator quidam Alexium, non Isaaci, vt Rigordus opinatur, sed Manuelis filium mentitus, Philippi Regis auxilium sibi paraturus eòdem concesserat: sed statim dolo eius comperto in vincula coniectus capitis damnandus erat, nisi Irene deprecante, emissus esset. Non destitit tamen cæpta sua prosequi; atque in Græciam redux plurimis fucum fecit, & Alexius Emmanuelis filius passim creditus est, cuius certè non obscura in corpore gestabat indicia; nam præter flauam Cæsariem, & os non absimile, etiam balbutiebat nonnihil. Se verò præfocari laqueo, & in mare præcipitari ab Andronico iussum esse, ab eius tamen crudelitatis ministris, Patri suo Manueli ob varia beneficia obnoxijs, seruatum & liberum dimissum affirmabat.

S 2 Ab

ANN. 1202. Ab Iconij Sultano militum cogendi facultate obtentâ, in Græcos proruit: & satis felici fortunâ initio vsus, cum pergeret: nocte quadam ab suorum vno in strato dormiens occisus est. Alium sub finem libri huius dabimus deceptorem, Balduinum, si superis placet, rediuiuum: magnarum in Hannoniâ & Flandriâ turbarum auctorem; haud meliori fato, quàm Alexium, defunctum.

§. 9.

9. Alexius iunior ad socios legatos mittit.

Villehard. Gunther. Nicet. Ægid. aur. Val.

Porrò iuniorem * Alexium sub id tempus, cùm peregrinantes Venetias contendebant, Veronam è Græciâ appulisse auctor est Villeharduynius; cumque ab ijs quò irent, quidue molirentur didicisset: Pisani, de quo diximus, consilio ad Bonifacium Marchionem sibi cognatione iunctum certum nuntium destinauit: quo statum illi suum indicaret: & vt apud Principes socios caussam suam agere, suppetiasque flagitare vellet, enixè rogauit. Parum quidem fauentibus animis huiusmodi oratio excepta est; sed nequaquam tamen penitus etiam repudiata. Ad Philippum Germaniæ Regem legatos ante mitti placuit, quàm de eâ re decerneretur; ab eo, atque Alexio quæsitum, quid opis & auxilij in hoc sacro bello à Græcis, si victoria in armis esset, & Alexius atque Isaacus imperio redderentur, sperare se oporteret. Interim ipse Princeps adolescens ad sororium perrexerat, & eius nixus precibus atque auctoritate, ad plerosque omnes Europæ Regulos, ad ipsum quoque * Innocentium Pontificem supplicatum accesserat: nullo sanè, vel exiguo operæ suæ pretio, ita omnes vel bellis ciuilibus implicati non poterant: vel Philippo Germaniæ Regi inimici, eius socero commodare nolebant. Quamobrem vnica in sacrâ Principum Crucigerorum societate spes collocanda, & ad ipsos misero Alexio recurrendum fuit; quæ si eum fallat, nihil intercedere videatur, quin infortunato seni Isaaco breuior quidem illa, sed ærumnis grauior in carcere; Alexio diuturna in exilio ætas trahenda sit.

Vicissim socij ad illum.

10.

CAPVT

CAPVT IX.

Constantinopolitani Principis Legati ad socios oratio: Græcanica expeditio agitatur & decernitur.

Auctores S. §. I.



Ensem circiter Iaderæ socij subſtiterant, quando ad eos Alexij, & Philippi Regis Legati, vnà cum ijs quos ipsi antea in Germaniam allegarant, appulsi sunt; & illos quidem in Ducis Venetorum palatio audiri placuit. Ex ijs vnum huiusmodi ad Principes socios orationem, habuiſſe accepimus.

Legati Alexij Oratio.

Alexius Græcorum olim Princeps, & potentiſſimi Imperij hæres; nunc deformatus ærumnis, exul, & rerum omnium egenus opem veſtram pietatemque fortiſſimi nobiliſſimique Principes, ſupplex implorat. Primæ quidem memor, ſed poſtremæ fortunæ ſuæ conſcius, per nos modò, quod ipſe poſtea per ſe facturus eſt, genibus veſtris prouolutus, orat obteſtaturque vt in alienâ miſeriâ conditionem veſtram attendatis, nec committatis vt inultum crimen audaciam facinoroſis hominibus præbeat, ſimile quidpiam in veſtra poſthac capita moliendi. Nos verò qui non ab ipſo modò Alexio, ſed à Philippo etiam Romanorum Imperatore Auguſto eius Principis ſororio ad vos legati ſumus, huius nomine, quòd apud vos venerandum eſſe non dubito, duo potiſſimum contendere iuſſi ſumus. Vnum eſt quidem vt impijſſimi Alexij ſenioris ſcelus ob oculos veſtros, ſimulque indigniſſimam infelicis Iſaaci, atque Alexij iunioris calamitatem ponamus; vt his quidem miſerationem, & dolorem: illis iuſtiſſimam iram atque vindictam in veſtris omnium mentibus concitemus.

Tyranni ſcelus & eius atrocitas.

Ann. 1202. Quis enim vel Scytha, vel Mamalucus à lachrymis temperet, si senem mitissimum, oculis, fortunis amplissimis, & libertate ipsâ exutum, in ærumnosissimam vitam, immerentem, innocentem; iuniorem verò Principem nihilo magis reum, inopem & mendicum in exilium vnde minimè decuit esse coniectos? Quis enim hæc flagitia perpetrauit? Non Turca; non è Tartaris aliquis, qui Græciam circumsedent; ferendum esset ab hostibus huiusmodi, qui sæuire nunquam non solent, infortunium. At à Christianæ fidei, si quam habet, homine: à propinquo: à fratre, quo vel à naturâ. vel à consuetudine, & beneficijs amicior esse Isaaco nullus debuit, hæc accidere: id verò, viri Principes, iure merito senex cum filio lamẽtatur. Pereat vterque, parum est, in carcere Pater, in exilio filius; æternùm ille lumen & libertatem, quibus nihil est carius (de regno enim quid attinet dicere? Felix si in Græciâ priuato viuere vtrique liceat:) æternùm inquam lumen, & libertatem Isaacus; Patriam dulcissimam Alexius iunior valere iubeat. Careat porrò filio, quem vnicum habet Pater; & parentis conspectu filius extorris priuetur; quando vbiuis tutiùs quàm in regno suo esse potest. At ille ne Alexius parricida, hominum quos terra sustinet sceleratissimus, posteaquam Regem & dominum suum regno exuit: fratrem exoculauit, innocentem fædam in custodiam detrusit, eius corpus vinculis strinxit: cui non libertatem modò suam, sed & vitam debet; nepotem adolescentulum, Principem, atque imperij hæredem in vilissimorum famulorum ordinem redegit; impunè decrepto vtrique per dirissimam impietatem regno glorietur? liberè & tutò iniquissimâ sceleris sui prędâ in orbis Christiani oculis, in innocentum perniciem, in Regiæ maiestatis probrum, in pessimum omnis ordinis exemplum potietur? & vos Heroës fortissimi quos orbi in libertatem vindicando diuina coegit Prouidentia: vosne per Deum immortalem, hæc flagitiorum portenta & iniustissima latrocinia inulta esse patiemini? Non existimo enimuero, neque mecum Philippus Rex, atque adeo ipse arbitratur

Caussæ dignitas.

arbitratur Alexius, qui vbi frustra reliquorum Europæ Principum limina oberrauit; ambitionem, inuidiam, & cæteras Magnatum pestes vbique fere, miserationem apud paucos, opem certè, imo ne spem quidem opis vllam, præterquam apud vos, nusquam reperit. Haud æquum est id de vobis arbitrari, quos non auri, non vindictæ, non dominandi libidinem, sed solam pietatem, Deique honorem belli caussam habere nemo nescit. Et vbi, amabo vos, Nobilissimi Principes, gloriosiùs, vtiliusque eam operam nauabitis? Et hæc erat altera legationis nostræ pars. Palęstinam Turcis, an Gręciam Tyranno eripi vtrum pręstet, disceptare non est animus. Si quidem id adlubeat & vestrę patiantur aures, non longè abiero vt probem magis conducere orbi Christiano, atque ipsi Ecclesiæ Orientis Imperium legitimo Domino, & exinde Romano Pontifici subijci; quàm Ierosolymam à Barbarie vindicari. Hanc Turcæ, illud Alexius Tyrannus occupant: nullo vterque iure bono; illi, si fas sit dicere, saltem in speciem aliquo, belli scilicet: quod apud Infideles valet plurimùm, regnum non maximum occupant: hic perfidiâ & crudelitate amplissimum Imperium sibi nefariè comparauit. Turcæ superstitiosi sunt; Græci Schismatici, atque Hæretici. Vtrique impietate, hi sanè haud paulò * maiori, atqueádeo malignâ: illi imprudente laborant. Palmas igitur vtrobique, sed in Græciâ certè vberiores, Reique Christianorum cùm publicæ, tum priuatæ vtiliores referetis; seu viui, seu mortui; Superstites decus & gloria: pro Iustitiâ verò mortem oppetentes, Cœlum manet, atque laurea martyrum æmula. At hæc missa facio; nec enim à Palęstinâ expeditione vos auoco; imò verò eam vti prosequamini, hortor, &, quantùm in me est, suadeo. Differri tantùm velim, quo tutiùs certiusque cum Saracenis geratur bellum. Cum Græcis ante conserite, imò gladios exerite. Incæpto tantummodo opus est: cętera res expediet. Plerique enim omnes Alexij crudelitatem & ignauiam pertæsi, Isaacum eiusque filium dignitati pristinæ red-

Græcanica expeditio Syriacæ præferenda.

1.

Eius facilitas.

Ann. 1202. næ reddere concupiſcunt. Tyrannos oderunt, legitimos Principes exoptant. Non belli artes, ſed fraudes & nequitias Alexius ſenior exercere didicit. Meticuloſa ſemper eſt crudelitas. Veſtræ ſolummodo claſſis nomen, vel buccinarum clangor hominem ignauiſſimum, &, vt ſolet, omnibus diffidentem percellent. Tot ſicarios imminere lateribus & tergo reputabit, quot famulis ſtipatur; tot hoſtes timebit, quot ciues habet Byzantium. Licebit igitur eodem prope momento temporis, & venire, & videre, & vincere; maximo vtique ad alteram, quò nunc contenditis, victoriam adiumento. Alexius enim prætér-

Vtilitas. quam, vti ſuprà memorabam; quòd in Romanos ritus & Eccleſiæ gremium Græciam totam quanta quanta eſt reuocabit, quia nouit in hac parandâ claſſe veſtrum exhauſtum eſſe ærarium, pluresque è vobis alieno ære graues

2\. eſſe, liberaliter * ducenta argenti marcarum millia societati veſtræ, totique claſſi annonam gratuitò pollicetur. Ad hæc ipſe vos in Palęſtinam vnâ cum armatâ manu comitabitur; vel certè: ſi minùs id arrideat: decem militum millia in id belli annum totum: tum, quoad viuet, quingentos equites, lancearios Terræ Sanctæ præſidium ſuis alet ſtipendijs. Nominatim verò quidquid ſeu mercium, ſeu argenti Venetis inſtitoribus à Manuele ereptum eſſe, iuſtâ æſtimatione comperietur, ad vltimum teruntium de

Epilogus. ſuo ipſe perſoluet. Videte igitur viri Principes, voſque nobiliſſimi milites, numquid exigui dilatio temporis, cum eiuſmodi lucro, feſtinæ & imparatæ expeditioni præſtet. Reputate vobiſcum quantam gloriam edomito Orientis Imperio reportabitis, quantam gratiam ab iuniore Alexio, & potentiſſimo Imperatore inibitis; quanta Palęſtino bello emolumenta comparabitis; demum, quod primùm dici oportebat, quàm grata & accepta Deo futura eſt expeditio, quâ innocentiam ab impietate, miſerrimum ſenem à captiuitate, adoleſcentem nobiliſſimum ab exilio, Regnum ampliſſimum à Schiſmate, & hæreſi vindicabitis.

§. 2. Magnos ſanè animorum motus, vt facilè ex his quæ hactenus

hactenus narrata à nobis sunt, conijcere est, in militum animis hæc concio excitauit. Certè quidem Vallensis Abbas, plurimique ex ijs, qui ad patriam anhelabant, monachi pariter & equestris ordinis viri, plenis quod aiunt, buccis, ei consilio obstrepebant. Terræ se Sanctæ non Græciæ libertatem, concepisse; contra Turcas, Cruce armatos bello se sacro, non impio aduersus Christianos deuouisse. Satis sibi illusum, quum se ad Iaderæ expugnationem, renitentes licet vsque, & temporis, vt minimum iacturam frustra querentes, Veneti, Ducesque exercitus, non tam adduxissent quam traxissent. Oculis se iam perspicere, quàm eos ambitio excæcet: qui inanes spes animo sibi figurent, putentque à tantillâ militum manu eam vrbem oppugnari, nedum capi posse, cuius vel *naues piscatoriæ classem sociorum profligare non ægrè queant. Nimirum amplius mille sexcentis, id genus nauigia extra onerarias, & bellicas, quà triremes, quà actuarias, aut alterius cuiuscumque modi in Byzantino portu naues tum fuisse constat. Quid si de ipso vrbis situ, munimentis, amplitudine: ciuium, & præsidiariorum numero, ratio, vt æquum est, habeatur: nonne præcipitis audaciæ fuerit vrbem Prouinciæ, quàm ciuitati similiorem: quam natura gemino mari vallauit, ars mænibus turribusque altissimis circumcinxit: Alexius ipse, quem nepotis profugi consilia latere nequeunt nouis indubiè militibus (tametsi ciues soli satis superque bello ferendo sint) & commeatu muniuit; ab externâ classe exiguâ, pueri verbis deceptâ obsideri, totumque exercitum ad certam perniciem adduci? Atqui in Palæstinâ contra Turcos, si moriendum est, non in Græciâ aduersus Alexium, à quo socij læsi non sint, occumbere certum est. Quæ postrema identidem & tumultuosè occinebant. Argumenta nihilominus siue quæ ab Alexij & Philippi legato allata erant, siue quæ cuiusque ingenium & prudentia: maximè omnium quæ necessitudo ipsa suggerebat, maioris longè momenti videbantur. Demus enim, aiebant

Qui ei consilio obsistebant.

3. Byzantinarum nauium multitudo.

Expeditionem suadentium argumenta.

ANN. 1202.

illi, ex pacto Venetos quæ ad bellum cum Saracenis agitandum opus sunt, abundè sufficere, quid hæc ad Ægypti ac Soldani vires? Plerisque ab leui hâc nauigatione, & morâ animus, omnibus prope pecunia desit, quid futurum existimas quando cum barbarâ gente, & prælijs iampridem assuetâ, in eâ regione, in quâ amicus sociusue nullus, nulla vrbs, nullum ab aduersâ, si ingruat, fortunâ perfugium adeoq; non cum hominibus, magis quàm cum ipso æstu, solisque ardore pugnandum erit? Palæstinam, quamdiu Græci hostes erunt, vix & ne vix quidem expugnari posse, multò minùs conseruari spes est. Iam verò ipsa Alexij tyrannis omnibus inuisa, & legitimi Principis conspectus, incruentam in Græciâ victoriam pollicentur. Nihil masculum est in hâc gente; otio, luxuque diffluunt; virtute non numero res geritur. Non quàm multi in hâc classe, sed qui, qualesue viri censeantur, considerandum est. Demum id saltem nemo negauerit, vt insuperabiles sint Byzantini: non commissurum Tyrannum, vt hostilem impetum expertus, periculum sui temerè faciat, si quà muneribus atque auro classem à se auertere queat; ijs certè nos vti postea pecunijs, belli neruo, quo destituimur, aduersus Ægyptios non erit incommodum.

§. 3.
Quæ nationi cuique aduersus Græcos suppeterent argumenta.

Hæc toti classi suppetebant argumenta. Speciatim verò, suæ cuique nationi non deerant. Veneti certè sua multum interesse rebantur, si mercatoribus damna, Reipublicæ suæ nomini illata probra armis resarcirent. Ardebant incredibili desiderio suorum ciuium contumelias, consanguineorum, quà necem, quà captiuitatem; posthabitos Pisanis Venetos, odiumque & dissidia inter vtrosque à Græcis accensa, vlcisci.

Venetis.

Dandulo.

Haud alium verò, vt Ducem Dandulum, huius belli ardor vrebat; Ab oculis ille suis consilium captabat. Cælitus oblatam sibi, vt opinabatur, iniuriæ vindicandæ, & ereptam sibi lucem plurimorum nece pensandi opportunitatem comprimere, ipsâ cæcitate magis indecorum putabat.

Germanis.

Germanos præter Philippi Regis imperium, erga Fridericum & Conradum Cæsares, suamque

gentem

gentem vniuersam exercita per Græcos mala facinora acuebant. Francorum animos subibat Alexius Manuelis filius, Agnetis maritus, indignâ nece absumptus, eiusq; occasione Galli omnes ab Andronico vel trucidati, vel è Græcia pulsi. Bonifacius Alexium iuniorem cognatione contingebat. Ad hoc auebat ille in eâ regione, in quâ Conradus frater Imperatoris sororius fuerat, ac Cæsaris dignitatem nomenque adeptus, famam sibi comparare. Ab Innocentij Pontificis voluntate & nutu pendebant Sacerdotes; & ille aliquandiu animi, in quam partem inclinaret, pependit. Bellum tandem hoc & ipse suo calculo comprobauit; quandoquidem præter irrogatam Romanæ sedi eiusque Legato iniuriam, quam punitum ibant; & Schisma tollendum erat, quod fædè tot sæculis Ecclesiam lacerarat: & tam luculenta Palæstinæ expeditioni subsidia ventura erant. Balduinum vtique tametsi nihil magis quàm iustitiæ violatæ, atque oppressæ innocentiæ caussa animo succurreret; tamen nescio quis insolens, occultusque ardor pectori incesserat, qui solus potuit etiam in apertissimum discrimen hominem impellere. A Deo nimirum, is æstus suggerebatur; qui Orientis Imperium ei destinarat. Primus ergo Balduinus in medium se proripuit, petitioni Alexij assensus est; & quæ Legatus argumenta, rationesque attulerat confirmare; quæ prætermiserat, tam feruidè quàm solidè, militibus afferre; rogareque pro suâ non tam auctoritate, quàm in eos beneuolentiâ, & amore: vt tam præclaram bene de Republicâ Christianâ merendi occasionem elabi ne paterentur. Valuit plurimùm ea res ad eos cohibendos, qui Mercurium in pedibus habebant, & retro concedere moliebantur; quamquam non fuere nisi duodecim numero, qui iuratam ab Alexio tabulam, scripto nomine, & datâ vicissim fide confirmarent; quorum Principes fuere Balduinus Flandriæ, & Hannoniæ Comes, Bonifacius Montisferrati Marchio, Ludouicus Blesensis, & Hugo Sancti Pauli Comites. Diem illi Alexio statuerunt, alteram à Paschate Dominicam, quâ se classi coniungeret.

Gallis.

Bonifacius Marchioni.

Sacerdotibus.

Balduino.

Expeditionem Constantinopolitanam decernunt.

ANN. 1202. Hæc tamen, tamque concors Principum, conſpiranſque Villehard.
§. 4. conſenſus non valuit ad omnes milites in officio, & fide
Multi ſecedunt à ſocijs. retinendos. Permulti clam ſe furtimque reliquis ſubduxere: pars terrâ, pars mari profecti omnes penè malè periere.
Pereunt. Quingenti ſimul onerariam vnam vix conſcenderant, cum illisâ ad ſcopulos naue, miſerè in ſociorum prope ore fluctibus omnes hauſti ſunt. Alij non pauci turmatim quidem per Illyricos viam carpebant; ſed terram, quàm cæteri mare, mitiorem haud reperere; ab agreſtibus ex inſidijs trucidati; pauci ex his qui euaſerant ad caſtra ſociorum reuertêre. Nec hi tamen alios ab ignauo intutoque conſilio deterruerunt. Ex Germanis quippe Garnerus de Borlande vir primariæ nobilitatis, onerariâ vectus domum repetijt. E Gallis primatibus Reginaldus de Montmirail, importunis precibus Bleſenſem exorauit Comitem, vt in Syriam Legatus mitteretur, datâ fide ſe ad claſſem eſſe reuerſurum. In vnam igitur è ſociorum nauibus cum Henrico du Chaſtel nepote ſuo, Guillelmo Carnuti Vicedomino, Gaufredo de Beaumont, Ioanne de Froeiule, & Petro eius fratre pluribuſque alijs impoſitus è portu ſoluit; & ij omnes, turpiter neglecto ſacramento, ſocios deſeruerunt. Nec honeſtiùs Simon de Monteforti ſe geſſit. Is enim cum iam ſocij abiturirent, non caſtra modò ſocioſque valere iuſſit, ſed ad Andream (Belam perpetuò Villeharduynius nominat) Hungariæ Regem, qui hactenus Peregrinantes laceſſere, & vexare non deſtiterat: transfugit; ſecumq; defectionis, & ignauiæ ſuæ populares Guidonem fratrem, Simonem de Neoffle, Robertum de Mauuoiſin, Droconem de Creſſoneſſart, Abbatem Vallium, atque alios complures abduxit. Eodemque prope tempore, quaſi ſi peſtilens neſcio qua afflaſſet aura, * Enguerrannus de Boues
4. Couciacus, vir permagni nominis, & nobiliſſimo apud ſuos loco natus, cum Hugone fratre, & quotquot conſilijs auferre potuit, è caſtris abierunt, magna profectò ſocietatis fraude, & omnium quidem luctu: militum verò etiam, quos adhuc pudor & recti conſtantia retinebat,

prope

prope desperatione. Quo enim eos animo esse oportuit, & quâ spe ad metas procurrere, quos nobilissimi, & ditissimi quique in ipsis carceribus relinquebant? ANN. 1203

§. 5. Quò classis Belgica?

Aquæ, quod aiunt, guttulam affudit nuntius, qui Flandricam classem, quâ cum Ioanne Nigellano Brugensi Præfecto, Theodorico Philippi Elsatij Notho, & Nicolao de Mailly, etiam Maria Balduini vxor vehebatur Massiliam incolumem appulisse significauit: petijtque à Comite Flandriæ quid ijs fieri, vere ineunte, vellet. Re ad Venetum Ducem, cæterosque relatâ, non ante exeuntem Martium Massiliâ soluendum ijs pronuntiauit: tum Methonem Peloponnesi seu Moreæ vrbem adnauigarent. Sed nec ipsi, obtemperarunt, maluerruntque in Syriam rectâ proficisci Balduinum Comitem necessariâ ope, & se ipsos gloriâ miserè frustrati.

CAPVT X.

Alexius Classi se adiungit. Plurimi à defectione cohibentur. In Græciam itur.

Villeh.

§. 1. Diaboli contra hanc expeditionem molitio.



Ato obluctari absurdum iuxta, & incassum dicerent Gentiles; nos Dei decretis intercedere insipientis esse pronuntiamus. Byzantino suo imperio in quo tot sæculis regnarat Cacodæmon, & vitijs infidelitatique arcem extruxerat, cautum si vellet, Latinos Principes ab eo arcere quàm longissimè debuit. Nimirum id fuit quod tanto tamque vario, dolisq; implicato opere in Ducum exercitus animos ignauiam discordiamque toties iniecit. Nihil tamen vel certè parum omnino ab eo profectum est. Iam annus ab orbe reparato agebatur tertius & ducentesimus supra millesimum: & hyemi ver successerat; quando per solemne eius temporis ieiunium, nauigia expeditioni aptari & instrui

ANN. 1203. ab socijs cœpta, vt sub Paschales ferias è portu soluerent. Alterâ igitur die, quàm festum istud, vti nauigaturos & bellaturos decuit, piè religioseque celebrauerant, foras socij prodiere; sub ipsa vrbis mænia pernoctaturi: interim dum Veneti Iaderæ vrbis munimenta & turres solo æquarent. Secundùm hæc Sancti Spiritus ope, & cælestium Geniorum, Michaelis inprimis, Dei copijs Præfecti, supplicijs publicis, priuatisque imploratâ, vela fieri, & anchoras præcidi imperatum; atque * Corcyram versus, Adriatici maris Insulam, adnauigatum; eo pacto vt qui primi appellerent reliquos præstolarentur. Iaderæ autem antè Alexium Principes conuenisse narrat Villeharduynius; Corcyræ tantummodo ijs visum esse in eâ, quam ad Brabantiæ Ducem scripsit Epistolâ, refert Sancti Pauli Comes. Sed ita vterque inter sese conciliabitur: si dicatur non totam classem simul soluisse, & Alexij aduentum à Dandulo expectatum esse. Græcus Princeps magno totius classis gaudio, & festo tympanorum tubarumq; concentu ac militum acclamatione exceptus est. Nec distulit illè, quæ per Legatos absens promiserat, coram per se ipse confirmare, & plura etiam singulis polliceri. Ait Comes Sancti Pauli eum flexis genibus, & fusis vbertim lacrymis socios exorasse, vt sibi auxilio esse vellent: neu * Acconem seu Ptolemaida irent: quando isthîc nullum operæ suæ pretium essent accepturi. Atque id ei, quam subiectum eo narrationi, apprime conuenit. Huic Dandulus, eiusque Comitibus nauigiorum, quantum sat erat exhibuit. Iaderâ, inquit Villeharduynius, * Dyrrhachium, quæ prima fere Græci Imperij vrbs erat petierunt; cuius Præfectus, atque incolæ, simul Principem Alexium coram aspexere, eidem se vltro permisere. Felices belli primitiæ & ijs quibus minùs hoc bellum arridebat ad id capessendum futuræ irritamento: si quidquam saperent. Hinc Corcyram itum est: quò iam plerique Paulino Duce appulsi erant; & in ipsius vrbis conspectu fixerant tentoria. Hi, Alexium aduentare cognito, quâ licuit maximâ lætitiæ

Classis soluit Iaderà.

1. Villehard. C.S. Paulus

Alexius à socijs excipitur.

2.

3. Dyrrachium se dedit.

Item Corcyra.

lætitiæ pariter, & honoris significatione, non incomposité tamen, in portum effusi Græcum Principem è nauibus exscendentem salutarunt. In ipso Castrorum medio sibi Alexius, & iuxta, quòd ei nominatim adolescentem Philippus Rex commendasset, Bonifacius Prætoria collocari curarunt. In hàc insulâ tres omnino hebdomadas, diutius vtique quàm par erat, non tam annonæ collectio, quàm nouæ turbæ, quibus fluctuari iterum cæpta est, classem detinuere. ANN. 1203.

§. 2. Reditum plerique moliuntur.

Maior quippe, quàm antea nauseantium ad tam longam difficilemque tum nauigationem, tum expeditionem, numerus augebatur in dies, & mala societas coibatur. Hi in eâ Insulâ hærere, dum reliqui soluerent; & ad Gualterum Briennium Brundusij tũc agitantem, nuntium destinare: vt ipse huc naues expediret, quibus ad eum in siculo isto bello iuuandum, transmitterent, decreuerant. Eius consilij Principes erant Odo de Chamlite Campanus, Iacobus Auesnensis Hannonius, Petrus Ambianensis, Guido Cociaci, Compendio non procul, Castellanus, Ogerius de Sancto-Cherone, Guido de Cappes, * Clarembaldus eius nepos, Guillelmus * d'Aunoit, Petrus Coiscaux, Guido de Pesmes cum Aimone fratre, Guido de Couuelans, Ricardus de Dampierre, cùm Odone eius fratre, plurimisque alijs, qui ab eorum partibus stabant: tametsi pudore tenerentur, ne pro talibus palam se gererent; dimidia prope totius exercitus pars tam fædam discessionem meditabatur. Quæ si, vt erat concepta, compleretur: actum procul dubio de totâ hac expeditione fuit. Licet enim, aiebant Principes, quos vehementer ista sociorum inconstantia angebat, meditatum facinus multi ex ijs non exequantur modò: nutabunt certè pleriq; omnes; & si vel tantillum, vt est bellorum fortuna versabilis: aduerso pugnetur Marte, futurum est, vt in ipso cursu, cum certo vel vitæ vel honoris dispendio, desertos hostibus nos belli isti homines obijciant. Et hìc mihi Balduini aliorumq; Principum constantiam libet admirari: quos, vt nihil, præterquam alienæ calamitatis commiseratio,

4. 5.

Balduini constantia.

tio,

Ann. 1203. tio, ad eam expeditionem vrgeret: tamen propositi tenaces, nullus casus potuit retro agere. Re cum saniori parte communicatâ placuit vtrosque in vallem quamdam vrbi subiectam cogi. Alexium, Principes sociorum, atque Episcopos & Abbates omnes secum eò adduxere, quò iam factiosorum præcipui confluxerant. Vtrimque ab equis, in quibus veterum Gallorum more, quem Cæsar, & Tacitus describunt: belli consilia agitare soliti erant, desilientes, coiere. Hîc Balduinus ad eorum pedes de repente accidit; (quod demissi supplicisque animi exemplum, Bonifacius cæterique Principes secuti sunt;) & effusis per ora lacrymis, atque inter crebros gemitus, hiulcâ, sed efficaci oratione eos aggreditur; non argumentis, quæ iam toties irrita ceciderant, sed precibus agendum sibi dictitans. Rogat eos: vt quos in genua procumbere se coram, & quam ob rem cernant, cum animo reputent. Se porrò non sui caussâ, ad quos idem patriæ amor hinc, & illinc belli incœpti asperitas, non minùs quàm cæteros pertineant: sed communis boni ratio, & honoris eò adducit: vt ijs proni supplicent, à quibus omnibus venerationem, à plerisque etiam obedientiam, æquum erat sese expectare. Vestri, aiebat, sanè nos miseret: quos huiusmodi secessio in sempiternum dedecus, nec fædum minùs quàm transfugas solet, præcipitat. Vel enim in Gallias regredi placet: & hoc desidia est. Vel Italiam meditamini, vbi scilicet, non contra Barbaros, quod iurastis: non contra Schismaticos, quò nos Deus vocat: sed aduersum Christianos, & Orthodoxos pugnetis; & hoc crudelitas est. Vel in Palestinam lubet traijcere, vbi data ad inducias fides frangenda, & iniquiore caussâ, imparique numero cum hostibus præliandum erit: & hæc insania. Id verò nos, fratres & commilitones charissimi, seriò querimur, & dolemus. Infregit vtique non tam hæc oratio quam demissio, & modestia peruicax alioquin agmen. Postquam tantisper à cæteris, factionis Principes deliberaturi secesserant: redierunt pòst paulò significatum: se ad Diui Michaelis

Factiosos socij obtestantur vt maneant.

Balduini dimissio.

Eius oratio.

Persuadet.

chaelis festum proximum reliquo exercitui aduersus Græcos operam addicere; eâ lege, vt à præstitutâ die deinceps quandocumque libitum fuerit discedere, ad nauigandum in Syriam naues præbeantur; & in hanc pactionem lætissimi Principes iurauere. ANN. 1203.

§. 3. Soluunt Corcyrâ

Ergo ipso Pentecostes peruigilio Corcyra soluerunt: non sociorum modò bellicæ, sed & institorum onerariæ naues, magno numero. Quam classem volupe erat conspicari; nam & Cælum nullâ, vel leui nubeculâ obducebatur: & mare glaciem ipsam, extra nauium sulcos, leuore prope superabat: venti verò lenes quidem, sed secundi aspirabant: æquor maris nauigijs obtectum: ipsa nauigia velis, vexillisque variè acu pictis, & auro coloribusque intermicantibus conuestita: aër lituorum tubarumque continenti celeusmate, quod maria ipsa rupesque reciprocabant, personans, etiam ignauis ipsis atque meticulosis lætitiam ac spem ingenerabat. Maleam tempestatibus nobile, ad sinum Luconicum in Peloponneso, promontorium innocenti nauigatione prætervecti: binas naues quibus peregrinantes & equites Cruce signati è Syriâ in patriam reuehebantur: obuias habuere. In ijs plerique erant qui Massiliâ in Palęstinam soluerant: vnde re infectâ reuertebantur. Illi tam numerosam instructamque classem admirati, præ pudore non ausi fuerant sese prodere; nisi ad eos Balduinus suæ nauis scapham amisisset, qui essent, exploratum. Quàm statim verò lembus appulit: ex illarum nauium alterâ vnus vehentium militum illapsus, cæteris significauit se quidquid in eorum naui reliquerat: vltro ijs cedere; sat felicitatis obuenisse sibi, quòd cum tam nobili & ornatâ classe adiungi licuisset. Quem militem socij certè, atque ipsi adeo Principes non comiter modò, sed & honorificè prorsus exceperunt. id adagij Gallici, inquit auctor, experimento verum esse edocti: ex mille semitis transuersim abeuntibus, posse deerrantem in viam redire.

Secunda nauigatio.

Naues è Syriâ socijs redeuntes occurrunt.

Ex ijs vnus ad socios transit.

§. 4. In Eubœam appellunt.

Cęterùm classis Creticum mare emensa, & * Cycla-

Ann. 1203. dum plures insulas præteruecta, in Euboeam, hodie Negropontum, Insulam: in quâ eiusdem nominis ciuitas metropolis est, appulit. Hîc consilio habito classis nauigia deduci, & Comitem Balduinum cum Alexio, Marchione Bonifacio, & nauium triremiumque parte Andron Insulam è Cycladibus vnam aggredi constitutum. Milites in terram expositi non laboriosè in potestatem totam redegerunt: incolæ pacem pecuniâ redemêre. In Icarium inde pelagus delati Guidonem Cociaci Castellanum, & Matthæi Montmorenciaci nepotem: strenuum atque nobilem virum, ingenti totius exercitus luctu, in ipsis vndis tumularunt. Sepulturæ genus plerisque mortalibus nimio plus sæpe horrendum; quasi si vndique ad Cęlos tantumdem viæ non sit; aut aquis præfocatos, atque à piscibus deuoratos difficiliùs, quàm in nobilibus conditorijs, in puluerem resolutos, ad vitam olim Deus reuocare possit. Porrò vt sacra templorum humus, & iusta ritu Christiano defunctis fieri solita sperni haud debent: ita credendum est mille modos Numini suppetere, quibus ea omnia centuplo prętantiùs expleat auxilia: melioraque ijs refundat, qui eius causâ sese eiusmodi bonis priuarint. Reliqua porrò classis rectà ad * Hellespontum: quod mare, nunc Sancti Georgij Brachium appellant, processit: atque in ipsis freti faucibus, eius vrbis, quam modò Aniam, modò Boque Aniæ siue Aniæ os Villeharduynus: Bucceaniam Comes Sancti Pauli nominant (Anicum hodierni Geographi antiquæ Abydo substituunt) portum salua tenuit. Ad littus copiæ vix applicitæ, & explicatę oppidanos terruerunt. Confestim igitur portis egressi claues vrbis obtulere: seque ipsos dedidere. Vrbs, tametsi opulenta, à direptione sic immunis est habita: vt ne obolus quidem per vim cuiquam sit ablatus. Clementiâ & humanitate etiam agrestia franguntur ingenia; & has potiùs quàm vim interponere socijs consultius erat: temporisque quàm ferri maiorem habere rationem: quibus magnum Imperium exiguis copijs erat superandum. Octo dies, dum classis reliqua

Andron Insulam capiunt.

Guido Cociacus moritur, & in vndis sepelitur.

Du Chesne.

7\.

Vide notas nostras.

Boque d'Aine vrbs.

Deditur.

qua appelleret, & annonæ, quâ iam laborari cœptum erat, prouideretur, hîc statiua habita sunt. Ingens frumenti copia ex vicinis locis, in quibus tum opportunè segetes metebatur, cæteraque quę militibus vsui erant; ex ipsâ vrbe in naues deportata sunt. Interea loci Balduinus cum reliquis aduenit, atque omnes vnà è portu passis soluentes velis in Sancti * Stephani portum haud plus tribus quatuorue millibus passuum, Constantinopoli, quæ hinc prospici bellè poterat, dissitum, naues immiserunt.

ANN. 1203. Annonam conuehunt.

8. S. Stephani portus.

Nicetas. Quid interim Græci agitarent, molirenturúe: commodum hic erit, explorare. Alexium ad Europæ Principes adijsse: atque ab ijs opem aliquam impetrasse, clam Constantinopolitanis esse non poterat. Rumore non vano passim in Regiâ Græcorum vrbe, ferebatur: ingentem à Venetis classem ante triennium fabricari & adornari cœptam esse; in eâ centum & decem vehendis equis expeditas ad cursum: longiores sexaginta: capacioris aluei septuaginta naues numerari: è quibus multùm emineret vna quæpiam, ingentis magnitudinis, quam eò Mundum nominarent. Hâc in classe supra mille grauis armaturæ equites: armigerorum siue scutiferorum, qui toti etiam ipsi ferro tegerentur, & arcu balistisque minoribus valerent plurimùm: triginta millia reperiri. Horum duces ipsi Marti omnino de fortitudine, atque experientiâ: ne de magnitudine, & mole corporis quidem, quam hastis communibus parem haberent, nihil cedere. Hæc totidem prope verbis Nicetas: qui tum temporis in ipsâ vrbe Byzantinâ Logothetæ officio fungebatur. Atque ex his id compertum habeo, quod vulgò dicitur: timorem & ignauiam non absimilem ijs conspicillis esse, quæ res oculis subiectas in speciem maiores referant, quàm eæ sint à naturâ; imò & eas quodammodo sic immutent: vt pro muscâ bouem, pro ceruorum grege, Elephantûm armenta reddant. Nimirum vt Iudæis exploratum Chananæam à Moyse missis, eius terræ populi gigantes visi sunt: ad quos collati ipsi locustas vix æquarent: ita Græculis metus

§. 5. Quid Constantinopoli?

Trepidatur.

Timor similis conspicillis.

ANN. 1203 & numerum, & bellatorum corpora mirè auxit. Quamquam ego negare nolim eius temporis Gallos, Belgasque, & robore & magnitudine corporis haud paulò nostrę ætatis viris superiores fuisse; quod ex ipsorum telis, ac loricis palam est; quæ gestare, nedum torquere robustissimi modò vix possint, & Florus alioquin immania Gallorum corpora nominat. *Florus.*

Nostratium corpora olim hodiernis proceriora.

§. 6. Verùm quantò magis hæc ita se habere arbitrati fuerant Gręci: tantò ab ijs maiori studio enitendum fuit, vt his talibus hostibus resisterent. Mirùm tamen, quàm suis rebus parum Alexius Tyrannus consuluit: si modò Nicetæ credendum est; cui, homini videlicet Græco & Latinis supra modum infenso, constitutum fuisse videtur: vt victoriam nostrorum eleuare, & eorum gloriam, Græcorum socordiâ obscurare conaretur. Constat sanè, inquit ille, crudelitatem ab ignauiâ haud sæpe disiungi: hanc autem cum intemperantiâ coniunctam, non magis quam insaniam, gubernationi idoneam esse. Alexius Tyrannus quasi lethargo, aut vino sopitus, nuntios de Latinorum & Venetorum apparatu, velut somnia vel commenta pridem ridebat; verum vt idoneis auctoribus comperit plus nimio vera esse, quæ fama vulgauerat: veluti semisomnus aliquid statuit quidem: nihil vero confieri curauit. Nauigia ille parari pronuntiarat; sed Eunuchi syluarum Præfecti, quòd in ijs Imperatores venari soliti erant: arboribus potiùs, quàm Reipublicæ consulentes, ab ijs cædendis operas prohibuerunt. Ad hæc Michael Stryphnus qui Imperatricis Euphrosynes sororem in matrimonio habebat, rei classicæ Præfectus: non clauos modò & anchoras, sed & vela ac rudentes cum auro mutare solitus, oblongis nauigijs armamentarium omne spoliarat. Hos tamen omnes Alexius fouere & defendere perseuerabat. Dein vt otio & voluptati naturam consuefecerat: cum debuit militem legere, munimenta reparare, classem instruere, & annonam comportare, angustias locorum, & portus valido occupare præsidio: ille colles æquare vallibus, arbores ad regulam vel in

Byzantini Imperatoris socordia.

Nulla ei classis cura.

in quincuncem conserere: & eiusmodi operâ ludibundus aggredi pergebat. Tum super mensâ Latinos omnes, non sine cauillis, debellabat, donec Iaderâ expugnatâ, Corcyram appulisse sociorum classem, & eam Insulam Alexij iunioris in potestatem redegisse, intellexit. Enimuero hîc tandem seriò metuere, & sapere velle visus est. Reparare igitur quassas naues, alias exornare, mænia sedulò circumobire, domos suburbanas, & quæcumque aduentantium hostium prospectum prohibebant, diruere, militum manum in vrbem aduocare. Atqui hæc omnia expergiscentis animi signa erant, breui tamen ipse relanguit. ANN. 1202. Tandem expergiscitur.

CAPVT XI.

Socij ad Bospori littus appellunt. Frumentatum eunt. Græcos cædunt. Alexij Tyranni ad eos Legatio.

Villehard. Com. S. Pauli.

§. I. Constantinopolim socij contemplantur.



SImul ad Sancti Stephani cænobium anchoræ ab sociorum classe iactæ sunt: in pedes erecti omnes, Constantinopolim, quæ in conspectu erat, oculis animoque contemplari cœperunt. Tum sanè quæ auribus antè acceperant, de eius vrbis amplitudine, & magnificentiâ infra rem fuisse comperiunt. Pars munimentorum altitudinem, pars turrium, quæ super muros eminebāt, frequentiam: nonnulli ædium quà sacrarum, quà prophanarum fastigia nubibus vicina (si enim Alberici calculus non fallit: quingentæ omnino Cænobitarum ædes in eâ numerabantur) alij alia mirari: omnes sanè cœptæ expeditionis pericula difficultatemque ex eâ specie metiri, & cohorrescere ad tam arduum negotium plurimorum animi. In cœnobium Balduinus, Bonifacius, alijque Principes subierunt: in ipso Protomartyris templo

Mag. Chron Belg.

Ann. 1203. plo consilia agitaturi. Hîc multa vltro citroque allata sunt.

De vrbe expugnandâ socij consultant.

Erant qui è Venetis Græcæ linguæ peritos, in vrbem clam submittendos opinarentur: qui & consilia hostium explorarent, & animos eorum, qui Isaaco fauebant, tentarent; interim tamen ibi subsistendum. Fore haud dubiè qui ex vrbe ad castra profugerent, & è nobilitate qui sese ijs adiungerent. Alij nihil cunctandum rati, antè in portum irrumpere, & ciuitatem ipsam oppugnare suadebant, quàm Tyranni, ciuiumque animi hoc classis aduentu consternati respirare atque ad se redire permitterentur. Pauore turbari semper omnia: consilium aut imperium nullum solere recipi, neque impetum primum sustineri. Contra si morentur: fortè sociorum, quos innumerabiles sibi fingunt perspectâ paucitate: futurum esse, vt animos Græci colligant: & ignaui licet vsque, ad defensionem sese comparent.

Danduli consilium.

Euicit Danduli sententia. Hic verò, non tam ab annis, *Villehard.* quàm ab experientiâ: quam ijs in locis potissimùm collegerat, creditum aucupatus, socios monuit: ne tantum tamque arduum negotium, quo forsan visum maius iam inde à multis sæculis non esset, sorti, aut incerto Græcorum præiudicio temerè committerent. In continentem si euadant, vt est vastus eius terræ tractus, & commeatu laboratur: verendum sanè, ne frumentatum aut aquatum diuersos milites, atque palantes hostis intercipiat, sociorumque copias satis alioquin exiguas, paulatim atterat. Satius ergo fore vicinas Bithyno littori insulas populari: quò annonâ abundè in menses aliquot instructus exercitus, statim & sine excursu, nisi vbi consultum erit, vrbem coronâ cingere, & validè in vnam rem intentus oppugnare possit. Interea tamen nihil obfuturum si quod alij suggerebant, exploratores summittant, qui animos oppidanorum sollicitent. In eam cæteri omnes sententiam, tum in suam quisque nauim pernoctatum iere.

§. 2.

Ad vrbi obuersum littus deferuntur.

Vbi ei nocti illuxit dies, & is erat Natali Diui Baptistæ sacer, octauo Calendas Iulias, summo mane in puppibus, atque

atque carchesijs Ducum signa & vexilla affixa: clypeique militum in pergulis ita collocati: vt scutorum naualium seriem referrent; vtrumque bellantibus animos additurum: quando & gentis suæ decora, & familiæ bellis parta monumenta, adspectarent, ne quà ab eorum virtute degeneres deprehenderentur. Secundo cursu & ventis solito vehementiùs à puppi afflantibus, præter mentem, cùm ad Insulas Bithyniæ vellent, ad ipsa vrbis mœnia sic inuecti sunt: vt tela in ipsos è turribus acta illaberentur. Porrò littoris crepidinem & muros tanta Græcorum vis occuparat: vt pro lapidibus, hominum congerie munimenta constare viderentur. Ergo casu in consilium verso, & eius quod heri statuerant obliti, velis remisque Bosporum transuecti, Chalcedonem Asiæ vrbem quondam, tum vicum, Imperatoris palatio nobilem, occupant. Hîc descensione factâ, in ipso palatio Principibus; in vico militibus, quà sub tectis, quà sub tentorijs, quoniam omnibus domus non suppetebant, hospitari licuit. Equis etiam, atque armis è nauibus eductis, soli classiarij ad earum custodiam remanere iussi sunt. Palatium illud mirè deprædicant Auctores nostri: prorsus vt illi, siue ad regiam magnificentiam, siue ad delitias defuerit nihil. Porrò & fertilis, pecorum frugumque ferax erat hæc regio, & messis in manipulos quidem, atque aceruos coacta, nondum tamen (vide supinam Alexij ignauiam) horreis illata passim per agros iacebat. Dixisses de industriâ ab incolis, non hostium: qui & suos ipsi agros solitudines hostibus faciunt: sed amicorum in morem exercitui sociorum asseruari. Ergo pro se quisque, quod factu facillimum fuit, prædam agere, & pro ducum decreto, quà in publicam rem, quâ viritim inter se partiri. Cæterùm neminem Byzantio, ad Alexium iuniorem transfugere, aut certè furtim elabi, qui vrbis statum, ciuiumque animos aperiret, mirari satis haud poterant. Diem totum hoc in loco frumentationis gratiâ classi hærendum fuit. Postero autem qui septimus ante Calendas quintiles erat, soluerunt; atque

Villehard. Nicet. Com. S. Paulo.

Chalcedon.

Græcorum incuria.

secundum

Ann. 1203. secundùm Bosporum leucâ vnâ, infra Constantinopolim deuecti, ad alteram stationem cuius littori Palatium alterum, Scutarium dictum, imminet, anchoras iecere. Vel ex hoc Villeharduynij loco confirmatur Leunclauij sententia, qui contrà quàm sentiant Iouius, Busbequius, Peucerus, alijque viri docti, Chalcedonem à scutario distinguit. Hocq; antiquorum esse Chrysopolim, modico vtramque interuallo, in eâdem Bythyniæ orâ sitam annotauit. Equitatus porrò sociorum ne toties conscendere, & exscendere cogeretur: terrâ in eundem locum processit, seque supra pedites, qui ad Euro-Austrum constiterant, collocauit.

Scutarium.

Leuncl. Tand.

Ita nostri. Nicetæ verba operæ pretium erit adtexere: quæ locis illis lucis non parum dabunt. Constantinopolim, inquit, Latini versus vela faciunt: vnde secundissimâ aurâ, ad vrbem vix vllo aduertente, nedum refutante, accedunt. Chalcedonem igitur appulsæ naues, quà velis, quà remis in * obuersam Orienti Peræam, non longè infra duas columnas, breui perueniunt: & in anchoris extra teli iactum paululum à terrâ remotæ fluctuant. Dromones verò ad scutarium appellunt. Quæ sint ea loca in Notis de more discutiemus.

Nicet.

1.

§. 3. Hęc in oculis Constantinopolis fiebant. Quando igitur certò futurum erat, vt Latini in alterum Bospori littus, vrbi obsidendæ subiectum descensionem facere tentarent: eam vt impediat Alexius Tyrannus, magnam armatorum manum, vrbe egressus in ipso littore, vicinisque locis disponit. At classem etiam aliquam, quæ non deerat, in eos, vel in Asiam copias ante immittere oportuit: quàm ipsi eò aduenirent: quo aditu in eam terram prohiberentur; vel certè frugibus cæterisque eiusmodi, quæcunque in agris erant, in vrbes inductis, hostes commeatu priuarentur. Nouem ipsos dies nostris Græcus indulsit; quibus otiosè, & nemine obnitente, quidquid obuium fuit, Socij rapuere. Tandem Alexius Legatum quem * Megaducem nominant, cum quingentorum equitum turmâ transmittit

Alexius Tyrannus ad resistendum se comparat.

Nicet. C.S. Paull. Villehard.

2.

Megadux à socijs cęditur.

transmittit ad * Scutarium: Damatrym vocat Nicetas. Ann. 1203.
Eam ob rem, die visitanti Virgini sacro, lectus nobilium equitum cataphractorum, (armorum viros ipsi dicebant) manipulus ad octoginta aut circiter, quid hostis vbique ageret, exploratum est à socijs amandatus. In eâ erant Odo de Chamlite Campanus, cum Guillelmo fratre, Ogerius de Sancto Cherone, Manasses de l'Isle, & è Monteferrato Comes quidam, nomine Crassus, alijque fortissimi viri. Hi tres vt plurimùm leucas à Castris progressi, eminus, propter colliculum, militum tuguria tentoriaque conspicati: Megaducis exercitus is erat; eos adoriri constituunt. In quatuor igitur turmas diuisi, in eos irruunt: non imparatos quidem, sed virtute impares. Primum Gallorum impetum vtcunque sustinuere Græci: sed nostris nihilo segniùs subinde quàm initio vrgentibus, pedibus illi magis quàm armis salutem sibi quæsierunt. Nostri leucam totam fugientes insecuti, non paucos cecidere: equos atque arma abduxere; tum in hostium vacua castra redeuntes, quidquid supellectilis, atque equorum superauerat, collegêre; nec vllus fuit, qui non binos vt minùs equos, præter tentorium, & aliud eiusmodi, habenis adduceret: quæ res magno reliquos milites opere exhilarauit, simul & animos cunctis haud paulò maiores fecit.

3.

Eiusque castra diripiuntur.

Villehard. C. S. Pauli.

§. 4.

Alexij ad socios Legatio.

Postridie eius cladis, Legationem, cuius Princeps erat Nicolaus Rufus, gente Longobardus, ad Socios Alexius Tyrannus cum litteris instruxit. Balduinus, cæterique Principes, qui consilij habendi in regiâ Scutarij æde conuenerant: eum extemplo admiserunt, eique aures, inquit Villeharduynius: (nam Comes S. Pauli auditum non fuisse tradit) posteaquam epistolam fiduciariam ostenderat, accomodarunt. Stans Legatus orationem ad eos habuit, cuius hæc summa erat: Salutem ab Alexio humanissimam simul & officiosissimam Principibus renunciari. Non ignorare quidem eum, qui & quales ij sint socij: quamque proximè ex ijs plerique à Regum dignitate absint, & potentiâ: atque eo nomine & honore, & beneuolentiâ cunctos

X proseriqui,

ANN. 1203. prosequi, si patiantur. Mirari verò Regem vehementer, quid caussæ sit, cur in Græcos, à quibus ipsi nunquam alioquin lacessiti, aut læsi sint, signa hostilia intulerint. Ad Palęstinam Barbarorum seruitio eximendam: non aduersus Christiani nominis Principes eiusmodi societatem ex varijs nationibus esse conflatam. Cur igitur à recto itinere deflexerint, ignorare se; suspicari quidem annonæ, aut rei eiusmodi ad bellum necessariæ inopiâ, ad Græci Imperij regiones deflexisse; at idipsum si amicè ab Alexio flagitassent: nihil esse cur repulsam timuerint. Sin verò: quod omnino non autumat: malo hostilique animo terram Bithyniam populabundi ingressi essent: antè maturè dispicerent, quo cum Rege negotium habeant, quàm porrò ipsi se in pedicas inducere pergerent. Ne exercitui quidem maximo hîc latrocinari, vel piraticam exercere per Alexium potentissimum vtique Regem, impunè licitum esse: nedum bellum gerere, aut æquo vtcunque Marte decernere. Paucitatem sociorum, præ Græcorum multitudine, pensandam esse. Vt vigesies tantò plures illi sint, necem ipsos omnes, aut certè compedes manere: si modò, quod ingratissimum fore sibi Alexius profitetur, prælio, iustisque copijs confligendum sit. Hæc ipse. De iuniore autem Alexio, aut verâ belli huius caussâ altum silentium.

Bethuniæ Aduocatus Legato respondet. Balduini, Danduli, cæterorumque Principum iussu, Legato respondit Bethuniæ Aduocatus: vir domi militiæque nobilis, & facundus in paucis. *Laus Arthesiorum.* Arthesiæ propria hæc laus est: vt non sago magis, quàm togâ præstantes, etiam ex primariâ nobilitate, det orbi viros; qualis dubio procul, *Robertus Arthesius.* Robertus fuit Arthesius: qui nobilissimæ, si vsquam visa est, caussæ patronus, pro lege Salicâ, & Philippi Valesij in Galliæ regno successione, contra Eduardum Anglorum Regem, coram Purpurato Parisijs senatu: non disertè 4. magis, quàm feliciter dixit. Hic igitur * Conon Aduocatus Bethuniæ paucis, quæ refert Auctor noster, verbis, Græci Legati orationem excepit. Lepidum sanè miratur Alexius tuus, Flandriæ Comitem, cæterosq; huius Societatis *Villeh.*

Principes,

Principes, in terram suam inuasisse: iuxta quasi, si quod per scelus & impietatem summam, Isaaco fratri, eiusque filio Alexio: quem hos iuxta assidentem conspicis, abstulit: suum facere potuisset. Per nos sciat licet: ad horrendum hocce facinus, totam ingemuisse Europam: & seriò doluisse non pios modò, sed eos omnes qui humanitatis vel leuem sensum retinent, inter Christianos reperiri: qui Barbaros solis ipsis fabulis infames, diritate & barbarie superauerit. Sol ipse, arbitror, Isaacum, à quo non amplius cernitur, excęcatum à fratre parricidâ: & hunc erronem Principem, à patruo libertate, patre, patriâque orbatum: quin totus cohorrescat, nunquam videt. Vos autem adeo eiusmodi facinus, quod Græcum nomen fædè inquinat, non vindicatis: sed patimini: sed dissimulatis: sed, ita iam ad similia portenta, nimio sæpius hic videri solita, obduruistis, etiam amatis: & latronem, tyrannum, parricidam pro Rege colitis: eique contra ius, & legitimum Principem arma geritis. Nos ergo eius iniuriæ venimus vltores, cuius vos silentio, & socordiâ vestrâ rei estis. Hæc demum, hæc bello isti Regi renuntiate. Personam ponat: Isaacum solio restituat: eiusque pedibus supplex accidat; dabimus ipsi operam, vt delicti veniam ei faciat, & stipendium è fisco tribuat, quo lautiùs centuplò quàm Isaacum adhuc habuit, liberaliùsque ali possit. Hæc si abnuat, extrema quæque eum expectare iubet lecta hæc sociorum manus, quos Dei vindicis administros, non tam numerus aut arma, quàm caussæ ęquitas munit. Et si porrò insanire pergat: videsis ne te, vel alium quemquam legationis obtentu huc inferas: ni Crucem quæris; nec enim Tyranni, aut sicarij, legatos habent; alienum est talibus propudijs sacrum hoc & sanctum munus. Ita dimissus est Alexij senioris Legatus. Ann. 1203.

§. 5. Alexius iunior Constantinopolitanis proponitur.

Inde Principibus placuit, Alexium iuniorem crastinâ luce sub muros vrbis, naui delapsum, populo toti conspicuum dare, quò eorum animos Regij iuuenis conspectus, à Tyranno ad suas partes alliceret. Ergo triremibus omnibus,

Ann. 1203. nibus, in posterum diem traiectionem ad alterum maris littus pronuntiari iubent. Prætoriam primâ luce Dux Venetorum, & Marchio cum Alexio Principe, alij vt libuit, alias conscenderunt; & velis remisque ad vrbis muros allapsi, totius plebis & nobilitatis: quos spectaculi nouitas, atque periculum affecerat: in se, atque Alexium oculos conuerterunt. Inclamabant verò ex Italis, qui Græcam callebant linguam, & identidem Byzantinis ingeminabant: Ecce imperij Constantinopolitani hæredem legitimum: Principem, quem à naturâ accepistis, agnoscite. Nam nos neutiquam vestrarum opum cupiditas, aut dominandi libido: sed Iustitiæ amor, & erga innocentes oppressos miseratio huc adduxit. Pacem optamus, vt qui maximè; sed non iniquam, neque indecoram vobis. Tyranni iugum excutite: & abimus. Infandi vos seruitij pudeat. Parricidæ, latroni isti, si non vitam: oculos saltem sanguine fraterno cruentatos, lege talionis exculpite. Adolescentis huius indolem, mititatem, & ius à naturâ ipsâ quæsitum paulisper attendite. Exulem, inopem, & vestra subsidia implorantem misereminì; imò vos ipsos: quos in exitium vnà secum Alexius Tyrannus trahit. Nihilo tamen his alijsque eiusmodi, profectum magis, quàm si lapidibus ipsis loquerentur. Non ex vrbe modò: sed ne ex ipso Imperio toto, vnus aliquis repertus est: qui Alexij iunioris partes, vel verbo tueretur; siue quod Tyrannum omnes metuebant: seu, quod vero propius est, quia huiusmodi ab ipsis nutricum vberibus Latini nominis odium combiberunt: vt sub Turcâ ipso, nedum sub ciue suo, quantumuis truce & impuro viuere, quàm Latinorum imperium, tametsi æquissimum, sustinere malint.

CAPVT



CAPVT XII.

Constantinopolis situs, & forma. Portum occupant socij: & vrbem mari, terráq; obsidere statuunt.

Gillius. Leuncl. Pand. Brun. Theat. vrb. Gunther.



Rbis Constantinopolitanæ cunas, incrementa, magnificentiam, & diuitias: quiue eam condiderint, vel instaurarint, oportuniori in loco explicabimus. Eius modò situm, & formam rudi calamo sat erit ob oculos lectoris ponere; quo ipse obsidionis & expugnationis modum, non difficiliùs, quàm victoriæ magnitudinem capere possit. Constantinopolis Thraciæ ciuitas atque ipsius Europæ limes, quà Bosporo ab Asiâ discernitur: sic in peninsulâ sita est, vt totum Isthmum occupet. Terno mari alluitur: à Septemtrione quidem Sinu, quem Ceratinum, seu cornu nuncupant: quemque in Europam Bosporus inflectit. Ab Oriente extremis eiusdem Bospori faucibus cingitur; à Meridie Propontidem, ab Occidente terram Thraciam habet. Tricornem veriùs, quàm trigonam dixeris; nempe cuius latera in curua ita prominent, vt si à mucrone eius collis, vbi Chrysoceras Plinius, Promontorium Bosporium Dionysius constituit, Orienti solstitiali obiectum, ad alterum angulum, qui Barbysæ & Cidaris amnium aquis in Sinum Ceratinum iunctim erumpentibus concutitur, lineam ducas: arcui veluti neruum aptaueris. Tametsi sinuosus iste cornu flexus, tres quatuórue alios minores introrsus in se recedentes contineat. Et hoc celatus ab Oriente ad Occasum protenditur. Alterum porrò à Bospori faucibus ad Meridiem molliter primùm inflecti-

§. 1. Vrbis situs.

Forma.

1.

ANN. 1203. tur: tum inæquali ductu, quà prominente, quà recedente littore, demum vnà cum Propontidis fluctu perpetuo ad tertium excurrit cornu, quod in ipsas aquas paulisper ad Occidentem versum est. Ab hoc angulo paulatim longiùs à se abeuntibus muris, per continentem latus tertium producitur: atque à Meridie, ad Sinum Ceratinum vrbem claudit. Et vnum istud latus, quia mari non alluitur, duplex murus, partim quadrato lapide, partim lateculo coctili instructus, spatio duodeuiginti pedum interiecto, succingit; quem hodie fossa viginti quinque passus lata circumdat. Interior quidem murus excelsus est, spatium viginti eoque ampliùs pedum in latitudinem amplectitur, & ducentas quinquaginta minimùm turres sustentat. Maritimi vt humiliores, ita bene crassi, nec minus turribus sunt instructi, atque à littore Ceratino: vbi maximè quinquaginta passus dissiti; ex parte autem faucium Bosporicarum, & Propontidis, ad ipsius littoris crepidinem pertinent:
2. nisi vbi * scalæ portuosæ sunt. Num verò hi muri, qui Byzantij hodie cernuntur, tum temporis, de quo scribimus, extiterint: haud facilè pronuntiem. Duplices certè, quales cum antiquâ Byzantij descriptione definiuimus, neque modo esse: neque tum fuisse cum vrbs à Balduino caperetur, mihi compertum est. Eos tamen quibus nostro tempore munitur Constantinopolis, formâ iuxta & maiorem partem eâdem constare materiâ, vt credam, varij nostræ historiæ loci suadent. Ipsius verò vrbis ambitus tredecim prope milliarium est, ait Gillius: centum & vndecim stadia complecti Laonicus asserit. Littus quidem, ab omni parte portuosum, nauibusque, siue in Propontidem, siue in Bosporum, scalas proiectas habet; maximè tamen Ceratinus sinus portus nomen inuenit. Is, ne hostibus pateret, à turri eius oppidi, quod Galatam siue Peram nominant (estque è regione ipsius Byzantij trans sinum) ad vrbis regiæ angulum, catenâ ferreâ per palos traducta claudebatur. Narrat Zonaras Michaëlem Imperatorem, cùm terrâ Zonaras. & mari obsideretur: in hanc desperationem venisse, vt

catenam

catenam ab Acropoli, ad littus oppositum cõtenderet. Adhuc, teste Gillio, Galatæ porta est, quæ catena appellatur. Acropolis porrò, siue arx Byzantina in extremo illo vrbis angulo qui fauces Bospori, & Propontidis intersecat, cuiq; S. Demetrij ædes vicina erat, olim videbatur; nunc Genisaraium, seu arx noua à Muchemete Byzantij expugnatore non tam instaurata, quàm super antiquæ arcis ruderibus exędificata est. Vtriq; autem maris septo, plurimę naues; at ipsi ciuitati, ad Naucleri calculum, sexaginta (sex proculdubio reponendum) equitum millia: peditum, vt fere fit, longè maior numerus pręsidio erat. Atque, vt omnia verbo complectar: vrbs maxima, non vallo, aut fossis: sed triplici mari murisque fortissimis circumdata, armatorum hominum multitudine incredibili munita, ab externorum, rebusque omnibus, præterquam animis egentium, exiguâ obsidetur manu: prorsus vt, quod olim de Bethuliænis ciuibus aiebant Assyrij, Græci de socijs dicere possent: mures de cauernis suis, spe Byzantium arrodendi, egressos esse: ni è muribus pauor, vt antea indicabam, Elephantos fecisset.

ANN. 1203.

Naucler.

Vrbis Præsidium.

Posteaquam igitur socij frustra Alexium Principem Græcis ostentarant: in diem alterum, qui fuit VIII. Idus Quinctiles oppugnationem generalem pronuntiarunt. Is vbi illuxit: singuli quo Deum Agonothetam suum, & vnicum victoriarum dispensatorem, propitium sibi redderent: animis Confessione lustratis, sacrum Missæ officium piè diligenterque audierunt. Inde omnes quidem corpus curare, atque arma induere: Societatis verò Principes in equis expediti, intra ipsa castra, de prælij ineundi ratione, atque copiarum ordinibus disponendis, inter se comparare cœperunt. Et quamquam vbi de acie instruendâ ab eius exercitus ducibus agitur, qui ex nationibus varijs conflatur: nunquam non de gloriâ inter eos, qui primas ambiunt, antè certari soleat, quàm cum hoste confligatur: at vno tamen omnium consensu, acies prima Balduino commissa est; quòd, inquit Villeharduynius, maior illi, quàm

Ign. S. Paulo.
Villehard.

§. 2.
Acies disponuntur.

Primus aciei ordo Balduino committitur; alij alijs.

Ann. 1203. quàm cuiquam alij, tum fortium militum equestris ordinis, tum sagittariorum, ac balistariorum multitudo sub signis esset. Secundum agmen itidem Belgis, Flandris, Hannonibusq; potissimum constabat: quos Henricus Balduini frater, Matthæo de Vallaincourt, Balduino de Beauuoir, alijsque viris nobilibus comitatus, ductabat. Aciem tertiam regebat Comes Sancti Pauli: quocum erant Petrus Ambianensis eius nepos, Eustachius de Canteleu, Anselmus de Kaieu, eorumque vel populares, vel clientes. Quarta Comiti Ludouico Blesensi (quem Doloïcum Pleæ Comitem, Græci vocant) parebat; & Carnutenses, Blesensesque plurimùm eam implebant: viri omnes in paucis strenui. Quinto agmini præerat Matthęus Montmorencyus, cum Odone de Chamlite Campano, Gaufredo Villeharduynio, Ogerio de Sancto Cherone, Manasse de l'Isle, Milone de Braibans, Machario de Sancto Maneholdo, Ioanne Foisnons, Guidone de Cappes, Clarembaldo eiusdem nepote, & Roberto du Rosoy. In sextum demum ordinem, qui postremus fuit, & numero militum cæteris pręstans, coniecti fuere Longobardi, Thusci, Germani, reliquique eius regionis homines: quæ ab Monte Cenisio, ad Rhodanum Lugdunensem patet; & huic agmini Pręfectus fuerat Bonifacius Marchio Montisferratensis. Veneti, Dandulo duce, alteram aciem è popularibus suis, & stipendiarijs collectam, seorsim quidem: ita tamen vt cæteris auxilio esse posset, disposuere.

§. 3. Hi posteaquã arma induerant, in varias naues distributi, mane eius diei quem diximus, cælo admodum sereno, ex animi omnes sententiã, tympanis tubisque concrepantibus, soluerunt. Triremes ex ijs nauibus, quæ tardiùs mouerentur, vnam singulæ remulco trahebant, quo vno prope impetu tota in portum occupandum ferretur classis: nec alia ab alijs diuulsa nauigia, antè pugnare cogerentur, quàm reliqua appellerent. Ducenta fuisse præter scaphas, lembos, & id genus minora nauigia, refert Comes Sancti Pauli. Velis igitur, quia ventus vtcunque nauigationi obsecundabat,

Com. S. Pauli. Villehard. Nicet. Meuer.

Classis dispositio.

secundabat, remisque in littus intendere: pro se quisque, quasi si cursu in stadio certaretur, ad metam, vt primus accederet, festinare; mox verò, vt naues ad terram subierunt, vix vllus expectare: equites sese in mare, hastis in hostem intentis, demittere: pedites in littus certatim exilire. Alexius Tyrannus cum Theodoro Lascari genero suo, & septuaginta armatorum millibus, si Meiero fides: ex vrbe egressus aditu nostros prohibiturus littus obsidebat. Et illi quidem, maximè verò Lascaris, quem Græca mollities non infecerat, telis eminus: deinde etiam gladijs hastisque socios cominus oppugnare ingressi erant; sed perspecto oculis, quàm illi tantæ multitudinis arma contemnerent: seseque in hastarum confertissimam sepem ardenter immitterent, non tam periculo quàm virtuti cedere: & in fugam tota ista turba effundi visa est. Et quo pacto, ait non sine stomacho Nicetas, cum viris huiusmodi Græci conflixissent, quos Angelos, raptores animorum, & æreas statuas appellabant? Littus ergo, nemine arcente, socij & eorum fere primus Balduinus tenuerunt: è regione Constantinopolis, ad Galatam oppidum; vbi duas columnas fuisse memorat Nicetas, & earum saltem alteram hodieque extantem, in eius vrbis Topographiâ adpinxit Braunus. Ocius nautæ pontibus terram iungere: equos miles educere: conscendere: in ordinem quisque suum, tum in hostem ire intendunt. Primum, vti constitutum erat, agmen Flandriæ Comes aduersus Alexium, atq; ad ipsum locum, vbi is paulò ante Castra locauerat: properat admouere. Sed alas tyranno timor addiderat; & is Byzantium, castris, & potiori suppellectili destitutis, repetierat: quæ nostri illico diripuere. Deinde Castra ad Portus ostium, & sub ipsam Galatę vrbis turrim, quà catena ducitur, locata. Quia verò nihil egerant, nisi vel ipsam turrim expugnarent, vel catena scinderetur, per quam naues, ab vrbis Byzantinæ portu excludi cernerent; háncne, an alteram aggrederentur, anxius cum animo suo Balduinus trahebat. Vtrumque vt tentarent

Y suasit

Ann. 1203.

Littore Græci socios arcere conantur.

Sed frustra.

Littus socij occupant.

ANN. 1203. suasit Dandulus, Venetiarum Dux. Ipsi igitur cuniculos agerent, balistas admouerent, cæteraque agitarent, quæ ad turrim euertendam, aut ad deditionem compellendam, vsui essent; interim se naues suas catenæ admoturum. Id porrò consilium in sequentem diem dilatum est. Noctem illam ad Galatæ muros, in eâ regione, quam Iudæorum
6. colluuies habitabat, & * Estanorem dicebant, non sine accuratis & continentibus excubijs exegêre.

§. 4. Nostros præsidiarij Turris Galatæ adoriuntur.

Sequenti porrò die Galatæ turris præsidiarij, Angli, Pisani, Dani, Liuones ij vt plurimùm erant: militum Græcorum auxilio freti, qui turmatim ijs suppetiatum Constantinopoli nauibus traijciebant, & improuiso eruptione factâ, socios adoriuntur. Ad arma continuò nostri conclamant: primusque omnium, ait auctor noster, Iacobus Auesnensis Hannonius, cum peditum aliquantâ manu, quæ cateruatim, vti quosque fors conglobauerat, eum sequebantur, sese Græcis opposuit: & validè quidem eorum impetum, ægrè tamen, atque periculosè cohibuit; nam telo secundùm faciem percussus, præsens certè vitæ discrimen adijt: & salutem ille suam Nicolao de Ienlain Hannoni, ac clienti suo acceptam retulit. Hic enim vt ducem suum hostibus circumsessum, & tantùm non captum, vel interfectum vidit: equo calcaribus acriter concitato, in Græcorum cuneum irrumpit: Auesnensem eripit, & tamdiu vim hostium sustentat, dum cæteri accurrant. Petrus de Braicueil (quem Plancium Nicetas vocat) præclarè rem sociorum in hoc discrimine tutatus dicitur. Cæterùm è Castris plurimi primis affusi, adeo atrociter Byzantinos propulsarunt: vt plærisque eorum trucidatis, vel captis, cæteris in naues tam præcipiti festinatione compulsis, vt aquis mergerentur: pauci in turrim euaserint.

Iacobi Auesnensis virtus, & Nic. de Ienlain, & Petri de Braicueil. Græci fugati.

§. 5. Catena discinditur.

Superabat tamen catena perfringenda arduum enimuero, & periculi plenissimum opus; præterquam enim quod ea ferrea tota, & ponderis immensi erat: eam insuper viginti minimùm triremes egregiè viris machinisque instructæ

Blond. Villehard. C. S. Paulo. Niceta.

structæ muniebant. Perrupit tamen hæc omnia Venetorum virtus. Ij enim maximæ molis nauim, cui Aquilæ nomen, lectissimamque militum turmam imposuerant; è cuius prorâ ingentes prominebant forfices, Cæciâ vento supra omnem spem velis vehementer incubante, in catenam adigunt. Obsistere Græci, & sagittis, saxisque nostros impetere: aliæ è classe sociorum naues aduolare; pugnatur acriter: at tanto ab Latinis ardore, dimicatum esse tradit Nicetas: vt priusquam catena perfringeretur, in eam pars cruribus diuaricatis, velut equitarent: pars in pedes erecti, funambulorum in morem, & inde in Græcorum triremes insilirent: easq; in potestatem redigerent, epibatis, militibusque aut cæsis aut enatantibus. quamquam erant non pauci, qui nec catenam, nec triremes adepti, in vndas irent præcipites. Verùm Aquilæ nauis summâ celeritate illatæ forfices catenam breui comprehensam, & sectam in mare demersere. Sic Auctores nostri referunt: quibus maior hâc in parte fides quàm Dauidi Lindano asserenti Guidonem de Baenst Teneramondanum, cùm esset Architalassus concitato armatæ proræ suæ cursu catenam perrupisse, atque ideo potiorem deuictæ Constantinopoleos laudem tulisse. Interim quasi ruptis aggeribus, sublato hocce impedimento, in portum euadunt Socij, atque in Sinu illo liberè vagantur, turris Galatea deditionem facit; turbantur Græci; Latini, non tam præsenti successu, quàm spe futuræ victoriæ, cuius à Deo primitias, vel pignus iam accepisse se arbitrabantur, incensi; modestè triumphant. Hæc acta sunt mense Iulio, anni secundùm Græcos sexies millesimi septingentesimi vndecimi; siue CHRISTI CIↃCCIII. ANN. 1203.

Dauid. Lindan. Teneram.

§. 6. De oppugnationis modo consilia agitantur.

Vrbem propiùs attentare deinceps nihil vetat. Eâ de re inter se societatis Principes conferunt: terrâne iunctis copijs, an mari seorsim, an vtrimque simul oppugnari consilium sit, inquirunt. Terrâ quidem poterat exercitus, secundùm Galatæ tergum obiter circumagi, & ad obuersum Occidenti & Thraciæ vrbis latus prouehi: vel certè

ANN. 1203. nauibus eò deportari. Veneti enimuero vnam fieri ab omnibus mari oppugnationem, probabant vehementer; terrâ malebant cæteri: quos paucorum dierum vsus, naual prælio sic habiles nondum reddiderat, vt victoriam hoc pacto sibi auderent polliceri. Insistere in terrâ posse se, & hosti comminus congredi: in mari fluxa omnia, & præter cæteros, infidum hoc elementum hostem accedere. Vereri se, aiebant, ne tam difficile alioquin, & asperum per se negotium, insolentiâ certaminis, irritum prorsus efficerent. Vtrimque oppugnari, non tamen ante quintum postea diem placuit. Tametsi enim res maturanda erat: non erat tamen præproperanda; nec aliàs vnquam est in bello: cuius longa præparatio, celerem facit victoriam. Interea igitur temporis dum milites gladios, animos simul exacuunt: machinarum Præfecti catapultas, & alia id genus instrumenta apparant; duces verò tum in conuentu, tum singuli seorsim, ex copiâ rerum consilium trahunt: variosque apertos occultosue modos excogitant, quibus victoriam accelerent; Sacerdotes etiam gnauiter suo munere functi sunt: milites quà sigillatim, quà cateruatim coactos officij admonendo, ijsque quibus ad virtutem accenderent, non è cælo magis, quàm è terrâ aut naturali cupidine petitas rationes suggerendo.

Terrâ mariq; oppugnandum statuitur.

CAPVT XIII.

Constantinopolis obsidetur, oppugnatur.

§. 1.



ILluxit tandem condicta dies, & Gallorum, Belgarumque exercitus, ordine, quem supra præscriptum esse diximus, Galatam circumeunt; à tergóne, an à fronte, incertum. Id oppidum imperio suo iam tum socios adiecisse equidem arbitror: tametsi auctores turris dumtaxat meminerint: quæ sola

Nicet. Villehard. Com. S. Pauli.

Anno 1203.

ſcla fortaſſis eius fuerit munimentum; verùm, quia Galatæ hinc quidem littus minùs patet, quàm vt copijs traducendis ſufficiat: illinc crepidini imminet, per campos oppido ſubiectos ijſſe agmina conijcio: Venetis ſimul naues ad eorum conſpectum eòdem molientibus. In portus & ſinus fine locus eſt, quem Coſmidium vocat Nicetas, in quo loco, teſte Cantacuzeno, nauigia parabantur: & Cidaris amnis paulò infra, opinor, Barbyſæ mixtus in ſinum influit. Vterque igitur fluuius qui Galatæum agrum à Byzantino dirimit, traijciendus erat: & * pontem, quem Perforatum lapidem nominabant, Græci diruerant: ac ne is inſtauraretur, è regione armati obſtabant; vadum autem, niſi procul non erat: quò diuerſis à claſſe ſeparatiſque contendere ſocijs periculoſum videbatur. Ergo quando ita res poſtulabat, hoſtes longiùs ſummouere ſagittis, lapidibuſque noſtri inſtituunt, atque interim pontis pilas arboribus, ſaxis, atque humo conſternunt: illudque in opus diem illam, noctemque totas incumbunt. Liquidâ diei ſequentis luce, & perfectum opus, & hoſtis fugitiue deprehenſus eſt. Itaque tranſmittere, non ſine morâ, atque adeo periculo: ſi vincere Græci auſi eſſent, cœpere milites; nam & longior eo Pariſienſi Ponte, quem paruum dicunt: & anguſtior, vt ternos equites vno ordine vix admitteret, fuiſſe dicitur. Nemo tamen è Græcis vnus eos tranſitu prohibuit, nec obfuit quidquam, quo minùs totum exercitum ad vrbis muros ſiſterent, atque explicarent, quod miraculi prope ſpeciem habuit: cum ex vrbe, inquit Villeharduynius, vni ſociorum ducentos facilè milites potuiſſent obijcere: tanta inerat cùm incolarum, tùm aduenarum, vel etiam è peregrinis nationibus apud eos ſtipendia facientium multitudo. Verum enimuero quod Iudæis olim pollicebatur Deus, nunc reipſa effectum eſt: vt quinque perſequantur centum alienos, & centum in fugam vertant decem millia.

Socij agmina ad vrbem mouent.

1. (* margin note)

Pontem reficiunt.

Leuit. 26.

Nicet. Villehard. C. S. Paulo.

§. 2. *Castra socij ponunt sub muros.*

Socij in eâ valle, quæ Blachernium inter palatium, & Boamun-

Anni 1203. Boamundi castrum prorumpit: templo illum, hunc etiam monasterio nobilem in vrbe locum, castra sub muros locant; iuxtaque naues etiam, quà fas erat, appellunt. Et castra quidem metati, partim fossâ, partim vallis propter collem coërcuerunt, ex quo Blachernæ ab Occasu conspiciuntur. In eius collis decliuitate vestibulum quoddam versus Meridiem aperitur: in eum coiens murum, quem Manuel muniendi castelli caussâ construxit: in Septentrionem verò non procul à mari exporrigitur. Ergo nihil intercedebat, quin Græci ex vrbe erecta cernerent tabernacula: & exaudiri ab ijs poterant, qui ad Gyrolimnam paludem agitabant. Hi enim non vallo, sed vrbis muris dumtaxat ab oppidanis secernebantur. Reliqua verò quaquauersum castra, aggeribus ductis & palis crassioribus, quos nautici funes, inuicem per cuiusque fastigium acti, connectebant, claudebantur. Inde Balistę maiores, Mangonelli, Petrariæ & reliquæ id genus, iaciendis saxis, aut telis familiares bellis istis machinæ, ad conuellendos muros atque infestandos Byzantinos sparsim collocatę: cæptaque hoc pacto obsidio, admiratione certè etiam ipsis Socijs dignissima. Vix enim, ait Auctor noster, suam ipsi audaciam capiebant: qui vni vrbis portæ frenandæ prope impares, tria omnino milliaria secundùm continentem longum latus obsidere, & oppugnare ingrederentur. Nam Veneti, non minore ausu, maritima classe obsidebant. Et hi quidem nauigijs suis scalas permultas, exque antennis pontes, centum quemque pedes altum, extruxerant: eâ verò latitudine vt singulis quaterni milites vnâ fronte insisterent.

Machinas admouent.

Veneti mari vrbem obsident.

§. 3.

Alexij Tyranni segnities.

Alexius porrò Tyrannus, quasi si valetudine mentis liberiùs in tantâ calamitate nugaretur, non arma expedire, non suis consulere, aut aliud cuiuscunque modi, quod Regem deceret, agere: fastigium modò eius ædis, quæ ab Irene, Philippi Regis vxore, nomen habet: vnde hostium castra despici poterant: veluti equestres ludos, & ipse ludibundus cerneret, conscendere: oculosque illepido reuera

uera spectaculo oblectare; at verò nec Bizantio sui duces, militesúe, aut Ducibus animus deerat: quo indignis artibus ab imbelli Alexio parta, generosè ipsi tuerentur. Nostros illi continuò lacessere, velitationibus adeo crebris (quod ipsis pro eorum numero perfacile erat) vexare: vt è sociorum exercitu, noctu diuque agmen vnum in excubijs esse: equitatus discurrere: & ne quà portis ex improuiso erumpentes, machinas & tormenta vel interciperent, vel vrerent, cauere perpetuò cogeretur. Ad hæc, quia Græci portis effusi iusto prælio in castra inuadere sępius simulabant: non rarò factum est, vt sexies eâdem die, à socijs ad arma conclamaretur; vnde illi paulò longiùs è castris abscedere, frumentationis gratiâ, haudquaquam auderent: tametsi annonæ penuriâ laborarent. Etenim præter farinæ modum non magnum, salis salitæque carnis parum omnino: recentis nihil admodum ijs superabat; nisi si quando equorum suorum, quos hostes frequenti velitatione interficiebant, carnibus vescerentur. Demum commeatus, cuius ille generis esset, in mensem qui sufficeret non erat. Et quanquam Græci erumpentes, nunquam non ab aduersarijs cedebantur: cadebant etiam non rarò è nostris aliqui; cæteri, vt vix interquiescere possent, omnes fatigabantur. Theodorus certè Lascaris Alexij gener, per Blacherniam portam aliquando, cum insolenti militum multitudine, egressus: acerrimè in socios inuectus est: sed repulsam passus, atque in fugam huiusmodi præceps, atque incompositè actus est: vt è Ducarum familiâ (filium Ducis de Ducato vocat Paulinus Comes) adolescentem formâ & robore corporis multùm super cæteros eminentem, nobilitate vero sanguinis in paucissimis, plurimosque alios è suis, partem gladio cæsos, partem in fossas mæniorum extrusos, vel etiam commilitonum pedibus præ turbâ elisos amiserit.

Ann. 1203.

Socios Byzantini lacessunt.

Sociorum annonę penuria.

Theodori Lascaris eruptio.

§. 4.

Item alia.

2. S. Aug.

Postridie verò, clade illâ nihil territi eâdem portâ rursum in nostros, quâ parte suas machinas aptauerant, non minori quàm aliàs, ardore procurrunt: haud meliori successu.

Ann. 1203. succeſſu. Burgundiones tum, vt quæque natio per vices labori ſuccedebat: in excubijs erant. Illi ergo claſſicum canunt: hoſtem arcent: ſuccurrunt reliqui: fit atrox prælium; victi tandem Byzantini effuſis habenis capeſſunt fugam. eorum occiſi multi: non pauci in ſociorum viui poteſtatem deuenerunt; atq; hos inter, Laſcaris quidam, quem

2. Byzantini cęduntur. * Cofretium (corrupto haud dubiè nomine) Auctor noſter appellat, à Gualtero de Nuilly manu captus eſt. Erat verò is Alexio à Conſilijs. Porrò noſtri ad vſq; vrbis portas in tergis fugientium hærebant; quando ex ipſis muris, è quibus telis & lapidibus, grandinis inſtar, in ſocios pluebat: ſaxo grandiore Guillelmo de Chamlite, equiti fortiſſimo, magno ſocietatis detrimento, brachium confractum, atque comminutum eſt. Plures alij inferioris ordinis viri vtrimque, quà ſauciati, quà interfecti corruerunt. Et quanquam eo prælio nemo fuit è ſocijs laudem

Euſtachij de Marquis fortitudo. non adeptus: primas hâc in parte tulit Euſtachius de Marquis, eques in Belgio nobilis, & Henrici Principis, Balduini fratris domeſticus. Is enim loricâ dumtaxat, & ferreâ caſſide, clypeoque armatus, mirâ dedit virtutis & fortitudinis ſuæ in hoſtes argumenta. Aliâ quapiam eruptione, plures quàm antea quidem, Græci cecidere: verùm vnius Belgæ, centenis ipſis æquiparandi, mors victoriam

Guill. Delgy mors. Matth de Vallencour. pæne damnoſam fecit: viro nobili & forti Guillelmo Delgy nomen fuit. Et hîc quoque Matthæo de Vallencour è Belgicâ itidem nobilitate, palma adiudicata eſt: ſub eo vehente equus in ipſo portæ vrbis ponte, quò irruperat, interfectus concidit. Decem verò dies eiuſmodi moleſta durauit velitatio; quibus niſi armatis, dormiſcere, aut ſtantibus, intentiſque in hoſtem, cibi tantillum capere vix licebat. Toto autem eo tempore paucis de vigilantiâ &

Petrus de Braicueil. fortitudine conceſſit Petrus de Braileuel, vel Braicueil; qui quò propiùs à muris ſtationem ſortitus erat, eò telis ſaxiſque ſæpius atrociùſque petebatur.

§. 5. Tandem ſociorum Ducibus, habito inter ſe conſilio, placuit in diem ſequentem, qui Iouis futurus erat, terrâ Qu. S. Anti

marique

mariqúe Constantinopolim oppugnari. Decimum septimum Iulij fuisse Nicetas tradit. Veneti mari, reliqui terrâ, prout erant constituti, vrbem hoc modo inuadere ingressi sunt. E septem agminibus, in quæ suum ipsi exercitum descripserant, tria castrorum custodiæ destinarunt: ijsque Bonifacium Marchionem, ait Villeharduynius, præfecêre; Comes verò Sancti Pauli, sibi eorum custodiam commissam asserit: comitesque adiunctos esse Matthæum Monthorencyum, * Marescallum Campaniæ, & Ogerum de Sancto Cherone. Balduinus cum Henrico fratre, & Ludouico Blesensi, alijsque non paucis ciuitatem oppugnatum processit. Ducti antea ad muros erant cuniculi: quibus commodè, cùm socij impetum facerent, suffossa mœnia non exiguum nudauere spatium, inprimis verò turris vna funditus euersa desilijt. Tum enimuero Balduinus suorum animos arrigere: non tam ad vrbem, quàm ad gloriam sempiternam aditum apertum esse; non tela hostium, sed vultus territos aspicerent: qui id vnum modò expectarent attoniti, num socij victoriâ vti scirent: certi potiùs latebras, quàm mortem pro patriâ subire. Conclamant vniuersi Belgæ, cæterique deinceps, de Græcis esse conclamatum: ariete murum qui ad mare pertinens Apobathra, seu scala Imperatoris dicitur, pulsant, perfringunt; & eius pinnis scalas vbi binas applicuere demum intrepidè conscendunt. Nec obstitêre Dani, Pisani, Angliue eius modò lateris præsidium, alioquin Imperatoris latus stipare soliti: quin è nostris quindecim summa munimentorum subirent, & cum hostibus manus consererent. Sed inter eos duo pedites incredibile est memoratu, quantam Græcorum stragem ediderint: nomina Auctores nostri tacuerunt; quæ si mihi nota forent, næ ego illos posteritati commendarem. Obsessi interim modò animo linqui, modò vires resumere videbantur. Et verò sub finem certaminis nouis auxilijs militum freti, qui integri subinde ad fatigatos accedebant, acriùs solito dimicare aggressi: duos manu captos ad Alexium deduxerunt;

ANN. 1203.
Vrbis oppugnatio.
3.
Balduini oratio.
Muros socij subeunt.

Ann. 1203. runt; quo ille munusculo mirè lætatus est: plures sauciatos ad castra compulerunt. Veneti non molliùs his, feliciùs etiam aliquantò pugnauêre. Naues illi suas crudo Boum corio aduersus ignem missilem armauerant: & eas omnes ita explicuere, vt ad triplicem balistæ minoris iactum, vnâ serie extenderentur: inde omnes ad muros eius loci, quem Petrium dicebant, adduxerunt. Pontes, quos super antennis collocatos esse dicebamus, rudentibus sic ad malos coërcebantur, vt tolli, aut dimitti, pro libitu à classiarijs possent. Qui ergo milites in ijs erant, maximo primum opere, vt ad munimenta accesserant, anchoras in vrbem iacere: tum Græcos è turribus murisque abigere nitebantur; gladijs illi hastisque: reliqui arcu, & balistis pugnabant. Corruebant ex hostibus sanè multi, nihilo tamen segniùs alij sese tueri perseuerabant. Scalas cerneres passim muris admoueri: milites socios certatim in eos euadere: Græcos saxis, arborum truncis, alijsque id genus hostes propulsare: hos in vrbem, illos in aquas præcipites dari: clamore cęlum & mare turbari.

Venetorum classis vrbem oppugnat.

§. 6. Triremes verò, quà, quoúe pacto terram caperent, ignorabant. Profectò ipse Dandulus supra fidem fortiter rem gessit. Quis enim futurum fuisse arbitraretur, vt senio debilitatus, atque oculis captus, iustis tamen armis tectus, in prorâ triremis, quæ Sancti Marci vexillum præferebat, non gladio quidem, sed animo atque exemplo, cum hostibus decerneret? suos ille segnes & vecordes appellitabat, qui tamdiu ad terram euadere cunctarentur: indignos maris imperio; quibus non classem aliquam ingentem expugnare, sed ad portum appellere, per Græculos imbellem gentem non liceret: quique paterentur sociorum inulta corpora, cum Veneti nominis ignominiâ per mare deferri. Magnâ voce suis identidem imperabat, vti se ad littus sisterent: atroces alioquin ab illis pœnas exacturum. Vel hauriendus, inquiebat, vel dandus est sanguis. Quòd si meo quidem repræsentare salutem vestram Deo cordi est: en caput hoc in omnem aleam volens lubensque

Danduli virtus.

benígque deuoueo. Tantùm me littori admouete. Valuit ea sanè apud militem ducis oratio & oratione melius exemplum. Puduit nempe ab Duce sene, & cæco sic superari, & socordiæ argui vegetos, & occulatos viros. Ergo nequidquam obsistentibus Byzantinis triremis eius Prætoria littus tenuit, & ipse cum signifero, qui Venetorum vexillum gestabat, præeunte, alijsque plurimis, è naui descensionem fecit; quibus visis certatim alij omnes, infamiæ notam metuentes, si Prætoriam desererent, per tela & hastas irruunt: naues ad littus applicant, fit atrox in littore prælium; ingentibus quippe saxorum fragmentis, atque igne, quem Græcum vocant, in Venetos obsessi sæuiebant: nec vlla pestis magis timebatur. eo enim correpti in ipsis aquis, quò præcipitabant, crudeliùs vrebantur. Vtroque isto, inimicitiâ naturali positâ, inimiciter aduersus homines conspirante elemento; terrâ modò aggestâ eius vis poterat cohiberi. Iisdem tamen artibus, nec minori pernicie ab Venetis è pontibus nauticis obsessi petebantur: ambiguâ vtrimque fortunâ, inclinante tamen subinde in Venetos: quorum scalæ, seu pontes, quum longè supra mænia eminerent, atque adeo è superiore loco in Græcos tela mitterent, facilius erat eos inde deturbari. Et ecce tibi rem miram. Interea quippe loci cum hinc & illinc acriter confligitur, Venetæ Reipublicæ vexillum in turris cuiusdam, Byzantinis mænibus insidentis, fastigio sublime conspicitur; à quo quâue arte eò delatum, fixumque, incertum. Hoc constat Græcis signum istud maximum incussisse terrorem, & ijs quasi oculorum aciem perstrinxisse, cumque è pontibus nec pauca, nec irrita continenter in se iacta missilia sustinere vix possent, sensim muris abscedere cœperunt. Veneti turmatim in eorum locum ascendere, viginti quinque aut triginta munimentorum turres occupare, & firmare præsidio. Illico lembum expeditissimum ad Balduinum cæterosque Principes Dandulus destinat, muros expugnatos, atque adeo vrbem ipsam captam esse. Vix illi credere: ita rei magnitudo fi-

Ann. 1203.

Ignis Græcus.

Veneti turrim occupant.

 dem

Ann. 1203. dem adimebat. Veneti vt eam adstruerent, equos ex hostibus in ipsâ vrbe per vim ereptos, & impositos scaphis ad eos missitare.

§. 7. Alexius socios deturbare nititur.

Alexius hâc clade commotus, vt par erat: quantam potuit Græcorum, atque peregrinorum militum manum ad hostes è turribus abigendos immittit. Et illi sanè strenuè prælium renouant: tantâ contentione atque ardore fatigatos longiore pugnâ Venetos adorti: vt hi eorum impetum diutius sustinere desperarent. At ex eâ ipsi desperatione captato consilio, quia opportunè ventus Circius in Græcorum ora vehemens adspirabat, quo eos ab oppugnatione remouerent, proximis vrbis ædibus ignem inijciunt: quæ celeriter igne concepto, latè fuderunt incendium. Triste prorsus & miserandum, etiam hostibus, spectaculum. Quicquid enim à Colle Blachernio, ad vsq; Euergetæ monasterium ædificiorum patebat, assumptum est; flammis vltra Deuterum ipsum Ventorum vi dissipatis. Quibus Græci cedere, & ad incendium restinguendum retro pedem referre coacti sunt. Nicet.

Illi vrbem incendunt.

CAPVT XIV.

Alexius magnum exercitum in Balduinum & socios educit. Re infectâ redit, & ex vrbe fugit.

§. 1.



Eque prudentiæ tyrannis, neque fortitudinis quicquam inest: versipelles, truces, sed & formidolosos, atque imbelles scelerum consciētia efficit. Cyclopes sunt: quibus vnus oculus: non rationis, sed libidinis; cuius ductu, quamdiu secunda sors allucet consultò quędam, nec omnino insipienter agere videntur; at vbi nox ingruit, perturbatis rebus,

rebus, etiam illum oculum pauor elidit: temerè igitur eos huc & illuc vagari, ad singulos casus impingere, & ad vltimum corruere necesse est. Id adeo Alexio factum esse hoc capite ostendemus. Sociorum in vrbem irruptio, eiusque conflagratio ciuium animos irâ, & odio in Alexium vehementer accenderunt. Tumultuari exinde omnes, & in eum non magis huius, quàm deinceps imminentium cladium auctorem acerrimè inuehi cœperunt. Non perfidiæ magis, quæ Latinos hostes euocarit in Byzantij ruinam, quàm timiditatis atque inauditæ cuiusdam ignauiæ, accusare: qui copiosis hostium neminem opposuerit: eas impunè ad littus ipsum, & mænia ciuitatis admoueri passus: perinde quasi si vrbem hominum vacuam, aut gentem excordem, & Rempublicam aliàs nobilissimam, nunc torpidam, & ipsius expertem sensus reperissent. Et vt talis sit: quis non videat etiam imbellissimis animalculis, quæ solo prope motu à plantis differunt mortis metu animum dari? De vltimâ Byzantinorum pernicie, per ferissimam gentem, inferendâ nunc agi. Nunquid satius esse pro patriâ, aris, focis, vxoribus, liberis fortiter vitam ponere, quàm expectare, vt ignis totam vrbem populatus, etiam ciues omnes veluti mures in paleario fœdum in modum deurat? Hæ atque eius generis voces, quæ passim per fora & compita iactabantur, Tyrannum è regiâ exciuere: atque vt arma indueret, compulere. Milites & ciues quotquot ferme armis erant idonei, coactos sub signa, & aliquali oratione vtcunque confirmatos, in Balduinum & socios, qui terrâ vrbem obsidebant, educit. Ex flore ciuitatis constabat, inquit Nicetas, pedestris exercitus: equitatus nobilitate præstabat. Nihil illi exercitui minus, quàm milites deerant. Totam Asiam atque Europam in eum, inquit Auctor, confluxisse crederes: ita incredibilis erat numerus. Dux nullus; nec enim eum Lascari genero suo ductandum Alexius commiserat; ipsemet aciem struendi & prælium committendi curam sibi sumpserat: homo bellicæ artis

Ann. 1203.

Tumultus contra Alexium in vrbe.

Alexius socijs infert signa.

ANN. 1203. imperitissimus, & in fugam, quàm in bellum magis semper intentus. Ita verò constituerat, vt ante è tribus alijs portis in castra Latinorum Byzantini ciues effusi inuaderent, quàm de suo quidquam ipsi exercitu inaudissent. Vt sic hostes, hâc parte implicitos, ex improuiso ipse cum totis copijs à tergo adoriretur. Eo die Henricus noster Balduini frater, cum Matthæo de Valainçourt, Balduino de Beauuoir cæterisque Belgis in excubijs erat. Illi ocyus densant ordines nec tamen vti rebantur Græci è castris egressi, sed stâtim hostes expectabant; nec sociorum reliqui erumpentes ex tribus portis ciues repressum ibant; sed per exploratores Alexij consilium edocti, copias omnes suas in sex acies, vt suprà descripsimus, distributas, ita pro vallis suis collocarunt: vt sagittarij balistarijque pedites primam: equites, siue ij scutiferi, seu satellites, vel seruientes essent, postremam aciem tenerent: ipsi verò equites nobiles cataphracti, (quos armorum viros nominabant) etiam in equis medij inter vtrosq; cernerentur. Alterum verò agmen, ex viris nobilibus, quibus equi perierant conflatum: quasi septimam aciem ad reliquas addiderunt, erantq; ij paulò supra ducentos. Longiùs à vallo, & castris procedere non erat consultum: nisi ab hostibus circumueniri, & ancipiti acie opprimi, quin & pedibus equorum obteri vellent: sex, enim acies exiguæ sexaginta alijs pugnabant, quarum nulla nostrorum maximam numero non excedebat. Vniuersim namque, ait Comes Sancti Pauli, Socij non plus quingentis militibus, equitibus totidem, & bis mille satellitum peditatu numerabant: reliquis ad castrorum custodiam intra vallum remanentibus. Porrò per milites, nobiliores viri, siue armorum intelligendi sunt; per equites cæteri omnes qui in equis decertabant: militis quippe nomen ad patrum nostrorum vel auorum, vt summùm ætatem vsque, pro nobili vsurpari solitum esse, ex varijs monumentis compertum est.

Henricus Balduini frater.

Sociorum agminis compositio.

Quid Miles significet.

§. 2.

Cæteris Veneti se iungunt.

Dandulus periculi socijs impendentis certior factus, commis-

commissurum se nequaquam ait, vt Veneti huius gloriæ communione priuarentur: aut prælij spectatores essent, dum socij manu rem gererent. Quapropter dimissis, quas occupabant turribus, in naues cum suis omnibus: inde in terram cum eorum parte non modicâ se recepit. Alexius interea temporis ad nostros propiùs accedebat, & Balduinus: cui prima acies commissa, animo rite apud Sacerdotem confestim expiato, Deo vitam sanguinemque suum quantâ potuit ardenti, sed breui, prout tempus tulit, oratione consecrauit. Longiori paulò milites deinde allocutus, officij commonefecit: Venetis ne cedant Belgæ: illos mari Byzantium aggressos, ipsa mœnia subiuisse: turres occupasse: in vrbis penetralia faces iniecisse; Belgas verò, repulsam passos, nullum suæ adhuc operæ pretium aut laudem reportasse. Hoc siue dedecus, siue infortunium, ne nouâ turpitudine cumulent: sed magis vindicare enitantur. Aduersos, aiebat, viros fortes, intueri mors plerumque non sustinet: timidos & imbelles auersos ferit. Longiùs à patriâ positos, & ingenti exercitui obiectos, melius ensis quam pedes tuentur. Nostros Alexius sagittis eminus fatigatos ad prælium compellere nitebatur; hi vices, vt poterant, reddebant, & parciùs quidem, sed certiùs tela in Græcos retorquebant, nec castris tamen abscedebant. Velitationes ergo adhibitæ, haud meliori successu: quippe audacter quidem socij extra ordinem procurrentium hostium, sapienter tamen & suorummet animorum ipsi impetum comprimebant: ne quâ tenuis specie victoriæ illecti, in pedicas seipsi induerent, & hostibus nudum latus aut tergum imprudenter aperirent. Quæ cum ita essent, non magis eorum virtutem sibi aliàs cognitam, quàm prudentiam, & moderationem hoc vsu compertam, reformidans Alexius, receptui canere iubet: & suis omnibus sub signa receptis, retro in vrbem concedit. Socij sensim & cautè subsequi ac restitantes cædere, donec ad eas ædes, quibus Arphelipo nomen tribuit Auctor noster, ventum est. Tum equidem & Græci vrbem,

Ann. 1203.

Balduinus suos adhortatur.

Græci recedunt.

ANN. 1203. vrbem, & Latini castra repetere: horum an illorum maiori gaudio, ambiguum, permissi sunt. Certè nemo è nostris vel audacissimus fuit, qui se præsentissimo eo die periculo, maiori quàm humanâ ope, perfunctum esse non æstimarit, felicissimique id augurij loco non duxerit, hostes solo Latini exercitus conspectu territos, & in fugam actos esse. Armis igitur positis corpora modicè curarunt, parcissimo cibo, non tam ex religione, quàm necessitate contenti. Nimirum ieiunio festorum peruigilia celebramus; noctem illam cui gratissimus & iucundissimus illuxit dies, si non conuiuio, certè quiete, & spe luculentâ solati sunt.

§. 3. Alexius à suis ignominiosè excipitur.

Alexium non laureâ coronatum, sed dedecore infamem in vrbem reducem, vix ciues intueri sustinuerunt, quem sciebant non nisi procul, & exanguem hostibus faciem aduertisse. Aliquid saltem spei de tanto, tamque numeroso exercitu conceperant, quam ille ignauiâ suâ fædum in modum confecerat: ne hastâ quidem vlli hostium impactâ; quasi si per ludum prodijsset, vt arma & signa ostentaret. Nihil propius aberat, quàm vt os eius cæno peterent. Ille huius inuidiæ, sed magis suæ ignauiæ conscius & scelerum, à quibus præceps agebatur, fugam, quam ipso belli initio velut vnicum malorum remedium sibi proposuerat, adornat. Re igitur cum propinquis quibusdam & mulierculis agitatâ, pretiosissimarum rerum vim magnam in monasterio quodam humo operit, eiusque custodiam Irenę filiæ, in eo monasticen professæ, committit; inde decem auri centenarijs, (vt aiebant, totidem pondo arbitror) & imperatoriâ veste gemmis, atque vnionibus graui, in nauigium impositis sub noctem mediam è portu soluit: id in ore habens: Dauid fugâ salutem sibi reperit. Bosporo emenso ad Meridionalem Euxini maris oram deflexit & Nicet. Logotheta.

Fugit ex vrbe.

1. * Debeltum, quam Zagoram modò dicũt, sub Hæmi montis radices, contendit. Huc enim antea sibi necessaria præmiserat. Infelix & vesanus homo, inquit Nicetas, quem neque liberorum cura, neque vxoris amor, neque tam

nobilis

nobilis ciuitatis miſeratio flexit: vt inſanâ viuendi cupiditate ductus, ſalutem ſuam eamque ambiguam tantæ vrbis, imò tot vrbium & prouinciarum, ſuæque familiæ, atque honoris ſaluti præponeret. At ex humo non oritur dolor, aiebat Iobus. Cœlum ſuſpiciendum Nicetæ, cæteriſque Græcis fuerat: ex cuius armamentario in hoc imperium tela deprompta ſunt: nec tam Alexij ignauiæ, quàm impietati, & Græcorum ſceleribus ea clades imputanda. Regnauit Alexius annos octo, menſes tres, dies decem. Vir omnibus nominibus eà dignitate indigniſſimus, quam tot probris conſpurcauit. Nimirum lepidus eſt Nicetas, quum eum laudum variarum titulis ornare contendit. Sed ſe ipſe antea calamo, & ipſum rebus à ſe geſtis Alexius mendacij arguit. Ridiculum verò vel inprimis, quòd eum à clementiâ & comitate commendat. Sanè in huius rei fidem afferre debuit, quòd fratrem innocentem non grauiùs, quàm regno & oculis mulctauerit: vitamque condonarit. ô! lenitatem & gratiam lupo dignam! quam vt grues ſentiant ſibi exhiberi, non Principes Chriſtiani per me licet. Hoc ergo pacto Byzantina ciuitas, quæ robore & conſtantiâ reliquas olim orbis totius vrbes non æquabat modò, ſed prę́ſtabat, miſerè & indecorè hoſtium ludibrio patuit. Græcę ſiquidem & Romanæ hiſtoriæ ſcriptores, affirmant, tres annos totos quod Nigri partibus adhæſiſſet, ab Alexandro Seuero Imperatore circumſeſſam, incredibilia edidiſſe patientiæ, & fortitudinis argumenta. Præterquam enim quòd quotidianas toto eo tempore in hoſtem eruptiones ciues facerent, etiam naues ipſas mirabili & inauditâ arte è ſtationibus auerſas, in portum, ſuamque in poteſtatem adducebant. Vrinatores quippe magno numero in aquas immiſſi, funes ab anchoris præcidebant, iiſque ad pedes alligatis, hoſtium nauigia ſenſim in vrbis portum enatando attrahebant. Cannabi deſtitutos mulierum capillis in arcuum & baliſtarum chordas vſos; & pro telis ipſa domorum tigna, atque trabes in hoſtes eiaculatos eſſe tradunt. Nec verò tam imbelles

Ann. 1203.

Iob. 5.

Alexij elogium.

Antiqua Byzantinorum virtus.

ANN. 1203. belles modò fuisse, & maiorum gloriam ac virtutem omnino proiecisse dicendi sunt. In Alexium quidquid est dedecoris conijci meritò oportuit; quum satis constet timidum alioquin ceruorum gregem leone duce, leonum armento præstare, cui ceruus imperet. Fugit ille ignauus dama, nemine persequente: solâ Numinis vindictâ, & scelerum conscientiâ eo regno pulsus, quod nefariè diutius quàm decuit, vsurparat.

§. 4. Territi Byzantini.

Vt verò Byzantinis eius fugam fama vulgauit: populum ira & metus incessit. Et hinc quidem tam fœdè ab eo se proditos, ac desertos: cui contra ius fasque diutissimè adhæserant, acerbè querebantur; illinc verò animos, sociorum arma terrebant. Non iam obsessam vrbem, sed captam, sed direptam existimabant: morti destinatum Reipublicæ corpus, cui caput non suppeteret. Imperatrix quidem Euphrosyne Alexij vxor, quo consilio nescio: in vrbe remanserat; opinor maioris, quàm virum, animi fæminam, ignauiam eius detestantem, extremam experiri voluisse fortunam; tentaturam, si quo pacto rebus afflictis succurreret. Hæc postquam videbat sine Duce Græcos diu stare nequaquam posse; mariti consanguineis quibusdam suasit: vt diadema sibi, vel assumerent, vel ambirent, tanquam Alexij saltem fiduciarij hæredes. At tanta eius nominis plebem horror inuaserat, vt eius factionis viros vix ferrent in conspectum dari. Igitur, inquit Nicetas, quotquot Alexium vel sanguine, vel aliâ necessitudine attingebant, ipsam adeo Reginam Euphrosynen proditorum loco habitos, ad Imperij gubernacula nequaquam euocauerunt. At verò quia Respublica huiusmodi valido impetu concussa erat, vt ferendo non esset: in Isaacum Alexij fratrem in palatio inclusum, oculos conijciunt: velut insuperabili fluctuum vi circumsessi (inquit Nicetas) * sacram ad extremum anchoram arripiunt. Constantini Spadonis fisco Præfecti molitiones, plerique optimates qui ab Isaaco semper steterant, facilè eludunt: nam & satellitum illorum manum, quam è Danis, Anglis, & eiusmodi Bo-

Nicet.

Euphrosynem Alexij vxorem reijciunt.

Isaacum solio restituunt.

2.

di Bo-

di Borealibus conflatam, atque Imperatoris custodiæ adhibitam esse diximus: à spadone illo, cum quo facere pecuniâ corrupti videbantur, amouent: & Euphrosynam cum Alexianis omnibus in carcerem detrudunt. Ex quo, vide versatiles rerum humanarum vices, Isaacum eductum, & Imperatorem ab omnibus proclamatum, Regio solio reponunt; sceptrum, diadema, purpuram, reliquaque eius dignitatis siue ornamenta, siue insignia: quibus diu spoliatus iacuerat: summam denique potestatem seni, vix iam ad ea munia idoneo, restituunt. Nemo homo in amplissimâ ciuitate fuit: qui non seu ludi spectandi: seu seriò, vt proni sunt in res nouas plebis animi, nouo Regi gratulandi studio, in Palatium accurreret. Plerique Alexium omnes quà impietatis in fratrem, quà proditionis in patriam, damnare: multi Latinos ne Isaaco cæco vel illuderent, vel ingrata Græcis obtruderent, metuere: vix vllus fortunæ rotam non contemplari. Ego vero Numinis Prouidentiam admirari satis non possum; qui Regum impiorum, eâdem manu fastum à solio ad fimetum deuoluit: & inde eorumdem pænitentiam, atq; animi demissionem, ad celsissimum regni thronum, euehit cum libet. Isaaci vxor quam Hungariæ Regis filiam fuisse dicebamus: eidem, cui maritus, libertati ac dignitati reddita est. Ad Alexium iuniorem destinati continuò Nuntij, qui eum in vrbem aduocarent: Paterni gaudij & honoris non testem modò, sed & participem futurum, quod libro sequenti indicabimus. ANN. 1203.

Finis libri Secundi.

CONSTANTINOPOLIS BELGICA.

LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

Alexius iunior Patri in Imperio collega datur, & coronatur. Sociorum legatio ad Isaacum.

§. I.
Euocatur in vrbem Alexius iunior.

Nicet. Villehard. C. S. Paulo Gunther.



D castra Latinorum Græci nuntij ex vrbe missi, Alexium spei quidem bonæ plenissimum, eorum tamen quæ à Patruo, & Patre gesta recentissimè erant, penitus ignarum, salutant, non iam extorrem, & supplicem: sed Principem, atque etiam Imperatorem, si velit: & vt velit, rogant. Ille ad insperatum eiusmodi nuntium non tam gaudio delibutus, quàm attonitus rei nouitate, & vix quid diceretur attentus, antè ad Marchionem consobrinum, rem defert, quàm responsum det. Ille Balduinum, Dandulum, cæterosque sociorum duces, momento pænè temporis de re totâ admonitos, in Alexij tabernaculum conuocat. Hic omnes ex animo, vt par erat, iuueni gratulati, diuinæ bonitati gratias, quantas possunt, agunt maximas: cuius ope effectum erat, vt deploratæ, ob commeatus difficultatem, sociorum res non emersissent modò: sed supra omnem spem, & prope etiam fidem, in tuto ex animi sui sententiâ collocatæ esse dicerentur. Vt vel ex eo porrò disce-

Ei socij gratulantur.

rò discerent: quàm iniurij in Deum sint, atque intuti, qui in humanis nitentes viribus, vix quidquam eius Prouidentiæ relinquunt; quàm securi, qui se totos illi permittunt. Noctis reliquum (namque post solis occasum occœperant) consilio transactum est. Primâ luce classicum canitur: excubiæ ad castrorum aditus collocantur, cæteraque eiusmodi fiunt, quæ ad hostium insidias prȩuertendas, vsui esse solent. Nec enim Græcorum fraudes & doli nostris ignoti prorsus erant: eius gentis pacem, & dona suspicienda esse; satis sciebant: nunquamque tutiùs cum ijs agi, quàm cum minimè tuta omnia quisque æstimat. Interea tamen alij super alios ex vrbe Græci, ad castra aduentabant, rei seriem narraturi. Ea propter Balduino cæterisque placuit, vicissim è suis aliquos, Constantinopolim mittere: qui, vt se res habeat, explorent; tum Imperatorem Isaacum, initi cum Alexio iuniore fœderis leges ratas esse vti velit, iubeatque: & suo tempore adimpleat, rogent: Alexium interim, obsidis loco retenturi. Octauus, inquit Comes Sancti Pauli, ab obsidione inchoatâ dies agebatur, quum in vrbem Matthæus Montmorencyus, & Gaufredus Villeharduynius destinantur: & hi pro Gallis & Belgis erant; Venetos etiam duos Dandulus adiunxit. ANN. 1203.

Eum interim retinent dum ad Isaacum miserint legatos.

§. 2. Legatio sociorum.

Illi in equis ad portam vsque Blacherniam progressi, & hic ad pedes digressi, multâ Grȩcorum nobilitate stipati, ad Blachernas, Regias ædes, propter Deiparæ templum, à quo & nomen suum obtinent, deduci cœpti sunt. Ipsam vrbis portam, & qui inde ad palatium ducit vicum, hinc & illinc Anglorum ac Danorum cohors bipennibus armata vallabat. Vt ad regiam ventum est à purpuratis aliquot honorificè excepti, dein longo cubiculorum ordine in amplum conclaue perducti sunt: cuius parietes bombycina peristromata, purpurâ auroque intertexta vestiebant. Hic Isaacum in solio, formâ & cultu verè regio: iuxtaque Reginam coniugem considentem venerati: tum Græcorum Optimates, qui frequentissimi, & ad luxum omnes compositi circumstabant, salutarunt: ab ijsque honorifi-

 centissi-

Ann. 1203. centissimè. &, in speciem saltem, amicissimè accepti sunt. Posteaquam verò breui oratione Regi, sociorum omnium nomine, adgratulati erant: & sua ei, totique Græciæ officia prolixè obtulerant: Isaacum, vt secretò sui copiam faciat, rogant: habere se quæ ex Filio Alexio, societatisque Principibus, negotia grauissima proponant. Et ille mox è sede exiliens, in penitius conclauium se recepit: quò præter legatos & sacri cubiculi Præfectum, atque interpretem, admisit neminem. Hîc Gaufredus Villeharduynius, cæterorum nomine ea dixit: quæ totidem verbis hic subijcio: quo palam fiat, quàm à fuco orationis, & honorificâ, quam ad assentationem vsque, hodie vsurpamus, appellatione, tum temporis abhorruerint: Quam tibi, Domine, quam filio tuo gnauam, vtilemque operam nauauimus: quàque fide promissis stetimus tu ipse vides. Alexio, ex pactis conuentis, à socijs discedere longiùs, aut huc redire, nequaquam licet: sed tantisper in eorum potestate sit necesse est, dum fidem exoluerit, & ære se nostro liberarit. Te igitur per eam, quæ patrem decet, pietatem, & debitam beneficijs gratiam rogat, obsecratque: vti eas fœderis leges tute ipse confirmes, eiusdemque argumenti tabulas, tuo chirographo, regioque annulo nobis obsignatas concedas. Quæ porrò tu, inquit Isaacus, nobis pacta commemoras? Primùm omnium subdit Legatus: vti Græcia tota Romano Pontifici obediens, eius scita ritusque admittat: quæ impia adhuc professa est, dogmata damnet, atque reijciat; Tum vt Alexius posteaquam ducenta argenti marcarum millia socijs numerauerit: etiam annonam in annum totum exercitui sufficiat; deinde decem armatorum millia, constituto in annum stipendio, nobiscum in Palæstinam transmittat. Nouissimè, in eius terræ tutelam, quingentos equites, quoad viuet, suo sumptu sustentet. Hæc sunt pactionis capita, quæ suo, & Philippi Regis, generi tui, sigillis munito diplomate iuratus obseruare recepit Alexius tuus; quæ vt & tu auctoritate tuâ, atque iureiurando rata esse iuberes, huc aditum tulimus. Enimuerò,

Villeharduynij oratio.

uerò, inquit Isaacus, mirificè insolentes pactiones ais: & quæ facultatem nostram longissimè excedunt. Verumtamen profusis beneficijs, itidem nos supra omnem modum obstrinxistis, prorsus vt eiusmodi munificis creditoribus si prædijs, ac suo ipsius capite Alexius cauit, nihil præter ius & æquum fecisse censendus est. Imperium ipsum iure, non tam petere precariò, quàm vobis asserere potestis: haudquaquam igitur pacta ista confirmare refugio. Dein posteaquam de rebus varijs sermonem cædere ingressi, Isaaco multa super filio, super generò, socijsque rogitante: longiùs prouehi se Legati cernebant; vti postulata, quibus annuerat re ipsâ compleret, Imperatorem rogarunt. Tabulas confestim ille de more (quem postea memorabo) aureis bullis, imaginem Imperatoris referentibus, insignes, in manus dedit: atque in castra redeundi facultatem fecit. Nec longior intercessit mora, quin Principes his talibus litteris acceptis, equos conscendêre, & eâ, quâ fieri potuit, pompâ Alexium in vrbem deduxêre. Vehebatur ille equo splendidè phalerato, medius inter Dandulum & Balduinum: cæteris, cùm nobilium lectiori turmâ, subsequentibus. Hi omnes in vrbem, magnâ cum lætitiæ significatione, à ciuibus: deinde ab ipso Isaaco in Palatium admissi: nihil meritò desiderarunt, quod siue gaudij; siue beneuolentiæ testandæ, apparatu & plausu exhiberi potuisset. Omnes sigillatim Isaacus, Dandulum inprimis, cæcus cæcum amplexatus: vni eorum cuique nominatim gratias ingentes egit. Sed qui in Isaaco & Alexio gaudij sensus, hocce primo occursu, fuerit, quisnam explicet? Quàm volupe Filio Patrem, pro lacernâ purpuram indutum: atque ex ergastulo eductum, solio iam insidentem cernere? Quanta lætitiâ gestire oportuit Parentem, qui ab exilio tam longo, ancipiti, diuturno, reducem filium vnicum, imperijq; hæredem amplecteretur? Hæc in Dei inprimis, tum sociorum auxilium beneficia ab vtroque, palam magnis vocibus referebantur; qui Palæstinæ curâ tantisper positâ, tam arduum negotium

ANN. 1203.
Pacta Isaacus confirmat.
Alexium iuniorem in vrbem socij deducunt.
Amplectitur Isaacus.

ANN. 1203. non piè magis susceperissent, quàm generosè perfecissent. Ad omnes ædes sacras supplicatio, deoque ac cælitibus omnibus primùm gratulatio: tum etiam conuiuia per totam prope vrbem, quà à Rege indicta, quà à ciuibus instituta: maiorine eorum, an sociorum gaudio ambigo. Illi siquidem Principes suos, & pacem receperant: hi difficili, atque periculoso defuncti bello insperatâ quiete, gloriâque fruebantur. Postridie eius festi (Guntherus plures dies ait in vrbe socios posuisse) quia pronum erat Græcorum animos, non satis Latinis æquos, tanto sociorum numero, qui in vrbe erant, offendi, & turbari: vel certè ex eorum insolitâ consuetudine dissidiorum aliquid enasci; Principes Isaacus sociorum rogauit: vt se ipsi, suosque trans Sinum recipere, atque iuxta eum locum, quem Estanorem vocant: hospitia curare vellent; quod illi promptissimè præstiterunt. Huc ergo cum exercitu translati, magnâ pace, & rerum omnium abundantiâ fruebantur. Nemo tamen è totâ societate fuit, qui non sæpe Constantinopolim: & è ciuibus multi vicissim ad castra commearent. Hi quidem, vt fortissimum exercitum, eiusque agendi modum: illi vt Regiam vrbem lustrarent oculis: & quæ opus ad cultum erant, sibi compararent; nam quæ ad victum pertinent, Imperatoris iussu ea vltro venalia abundè in castris erant.

Socij trans Sinum diuersantur.

1. §. 3. Ipsis * Calendis Augusti anni eiusdem CIↃCCIII. die Diui Petri vinculis sacro, Alexius iunior Romanorum, seu Græcorum Imperator dictus, & coronatus est: adstantibus, ac primos, post vtrumque Imperatorem, locos obtinentibus socij exercitus principibus: veluti vtriusque Regis, & Reipublicæ seruatoribus. Inde promissa ex pacto iisdem pecunia solui cœpta. Theophilo, quem fisco Præfectum conijcio, vincula iniecta: quòd ei solutioni moras & obicem interponeret. Hic more suo declamat Nicetas: eas pollicitationes huiusmodi fuisse asserens: vt ad gloriam & emolumentum Latinorum, Græcorum verò fraudem & dedecus, nihil posset accedere. Nam Alexius, inquit,

Alexius Imp. inauguratur.

Nicet. Logoth. Com. S. Paulo. Villehard. Gunther.

 ANN. 1203.

inquit, vecors, & rerum imperitus adolescentulus, in id vnum intentus, vt paternum Imperium recuperaret: quàm iniquæ sibi eæ futuræ essent conditiones, non considerauit: neque quàm infesti Romano Latini essent nomini cogitauit. At tali tantâque Imperatorij fastigij depressione, aditum in vrbem mercatus, Patri assedit, eius Collega in Imperio adscitus. Dein plenâ manu profundi in Latinos visum est, quicquid cùm ab Euphrosynâ eiusque cognatis, tum à fisco auri atque argenti, facti, atque infecti, potuit extorqueri. Quæ cùm illi genti auarissimæ parum essent, in templorum ornamenta, Diuorum imagines, atque aliam omne genus suppellectilem est inuolatum: nec sanctioribus vasis parcitum est. Quam impietatem, pius scilicet Auctor, euersæ funditùs vrbis caussam fuisse autumat. ego verò omnino secus. qui Villeharduynio, Comiti Sancti Pauli testibus oculatis, tum Gunthero, supra cęteros omnes, hâc in parte, maximè verò Græcos schismaticos, & acerrimos Latinorum hostes, fidem adhibendam esse censeo. Vt enim Guntherus ex auditu ea narret: quia tamen ab Martino Lintzio, huic expeditioni Constantinopolitanæ nunquam non iniquo, atque adeo non pauca Principum acta carpere solito, ea accepit: credendus non est hæc prætermissurus fuisse si vera essent. Illi autem, cæterique è nostris omnes, non liberaliter modò, sed & beneuolè eam pecuniam ab Imperatoribus erogatam aiunt, nullâ vel leuissimâ sacrorum vasorum mentione factâ. Nec verò id fieri necesse erat: quando non tota summa, sed eius aliqua dumtaxat pars promissi æris socijs soluebatur. Ex hâc porrò pecuniâ militibus, vt quisque in naulo Venetijs pensitando, grauatus fuerat: pro portione plus minusúe restitutum. Deinde de Græcorum Ecclesiâ ad Romanæ normam componendâ, ab Sacerdotibus studiosè agi cœptum.

Quid de pactis sentiat Nicetas, & de pecuniâ socijs solutâ.

Sed refellitur.

§. 4.

Noua pacta Alexij cum socijs.

Villehard.

Ad Principes sociorumque exercitum non rarò Alexius inuisebat, multus cum illis erat, plurimum singulis honoris & beneuolentiæ deferens. Venit aliquando ad Bal-

Ann. 1203. duini Comitis diuersorium: & cum eo familiariter collocutus, Dandulum cæterosque Duces eòdem acciri voluit. Hîc ille, posteaquam professus erat se Sociorum beneficio Imperium possidere, cuius memoriam, quoad viueret numquam esse commissurum, vt ex animo suo vlla deleret obliuio: monere eos instituit initæ cum Venetis societatis terminum ad festum S. Michaëli diem ab ijs esse præstitutum; sibi verò tantillo temporis interuallo promissorum fidem liberare non esse integrum. Igitur obsecrabat illos, atque obtestabatur, vt nisi non modò caput hocce suum, verùm etiam Byzantinum Imperium tanto ab ijs labore, & periculo comparatum, funditus interire vellent, in Pascha proximum isthic etiam subsisterent. Daturum se operam, vt à Venetis interea classem, à se verò annonam, stipendiumque Socij acciperent. Plurimorum enimuero, cuiusuis ordinis, animos ideo à se abalienatos, quod Latinorum armis paterno solio restitutus, ijs obnoxium caput suum, adeoque Græciam vniuersam fecisset: veteris autem Romæ Pontifici obedientiam à suis popularibus exigi, id verò ferre eos iniquissimè. Sperare se nihilominus vt Sociorum armis interea temporis auctoritatem suam alioquin adhuc nutantem confirmaret, Prouinciarum fidem, & magnatum animos in officio contineret; atq; modico subiectis sibi populis imposito vectigali eam argenti vim conflaret, quæ à se factis nominibus expungendis satis esset. Non longum sanè sibi diem sumere, nec enim antea aut classem à se in Palæstinam instrui licitum: nec eò illos importunâ anni tempestate deferri consultum esse. Vtrisque vtilem, rationique consentaneam Alexij orationem, Principes ducesque exercitus omnes iudicauere; quòd tamen non vnum idemque erat in socios omnes imperium: vtpote, quorum voluntarij, atque diuersæ à duce suo nationis essent plerique; nec nisi certis conditionibus militari Sacramento in id bellum adstricti: quas immutari illis inscijs, aut renuentibus æquum non erat: ad totum exercitum, vel certè ad potiorem eius partem,

partem, deferri debere omnes censuerant. Quod reuerso in vrbem Alexio, posterâ luce factitatum: atque vt ij annuerent Imperatoris postulatis ægerrimè impetratum. Quæcunque enim Corcyræ à defectionis auctoribus allata esse memorabamus, eadem nunc, & cum fœnore in medium adducta sunt. Alij quibus mens erat sanior, Deoque occultè Balduino diadema texenti obsecundans, incommodam anni tempestatem, annonæ, & argenti inopiam, & sexcenta huiusmodi proferebant. Qui tandem, vti aliàs, etiam nunc euicerunt. Ergo de integro in Principum verba, militum turba iurauit: & hi vicissim cum Venetis (quibus Alexius pro nauigijs mercedem è fisco præbuit) noua societatis fœdera pepigerunt. Omnes inde socij in castris hærere, atque otio tempus conterere, dum Ver maria aperiat, in animum inducunt. Sed alia omnia ex Orco prælia, è Cœlo rursum laureæ parabantur. Ann. 1203.

CAPVT II.

Ecclesia Græca Romanæ adiungitur. De Balduino fabula. Vrbis incendium.

PIetatem, & rectum Numinis cultum regnorum esse fundamentum ipsi adeò Gentiles agnouere. Orthodoxam fidem quo pacto à suis finibus ablegarunt Græci, & Christi tunicam disciderunt: eodem & labem Reip. suæ illatam, & diuulsas à Barbaris Prouincias suas senserunt. Caussas porrò quin agnoscerent, odium quo in Latinos ardebant, obstabat. Hoc amica sociorum manus quia dispulisse videbatur, etiam vt Schisma resarcirent eniti omnibus modis cœperunt. Quando igitur primum caput icti à socijs cum Alexio fœderis illud erat, vrgebant seriò atq; operosè cùm Sacerdotes, tum Principes sociorum, vt, quò potissimum §. I.

Rhm. S. Paulo.

Græcus clerus & populus Romano se Pontifici submittit.

ANN. 1203 totâ hac expeditione collineauerant, Patriarcha Constantinopolitanus, cæterique Græciæ Præsules, & Monachi, toti populo in præstandâ Romano Pontifici fide, atque obedientiâ præirent; Imperatore Isaaco potissimùm, vti videbatur, adnitente: res ex voto confecta tandem est. Quippe Patriarcha solemniter &, nisi fallor, coram Petro Duacensi Cardinali Capuano, Apostolicæ sedis Legato errores eiurauit: Innocentium eius nominis tertium, Petri successorem, Christi summum in terris vicarium, Episcoporum Primatem, Patrem Patrum, & vniuersi Christi gregis Pastorem esse, suo, Imperatorum, totiusque populi nomine, asseruit: iureque iurando recepit, primâ se opportunitate, Romam transmissurum, quo ipsi Papæ coram Sacramento diceret, in eius potestatem transiret, atque ab eo preces sacras, & Pontificium pallium de more deposceret. Ad has profectò cærimonias præ lætitiâ Balduinus, ac reliqui omnes socij, præsertim Sacerdotes exiliebant; nec iam laborum quemquam pœnitebat, quos tam vtiliter, & gloriosè Christo, eiusque sponsæ Ecclesiæ posuissent. At scenica hæc, atque histrionica omnia, fucum & Imperator, & Patriarcha Latinis faciebant: non Deo; qui impiam huiusmodi simulationem vltum ibat. Hactenus Sancti Pauli Comes, eâ quæ à socijs à Veneto portu, ad hanc vsque diem gesta erant persecutus, epistolâ ad Ducem Brabantiæ in Belgium missâ. vndè Molanum, Miræum, cæterosque passim refellas, qui Henricum Brabantiæ Ducem huic expeditioni, & Constantinopolitanæ expugnationi interfuisse scribunt: quem toto eo tempore è Belgio constat haud procul abscessisse. Postremo autem huius epistolæ capite, sic eum Sancti Pauli Comes affatur: Nos igitur socijque omnes ab Imperatore emolumenta permaxima, & à Cœlo commodam nauigationi tempestatem opperientes, ad Constantinopolim in Hybernis esse decreuimus; quod nostrum hoc consilium commilitonibus nostris, qui in Palęstinam traiecerunt, significari curauimus; vt ipsi huiusce lætitiæ participes,

Ficta omnia.

Dux Brabantiæ ei expeditioni non interfuit.

C. S. Pauli epistola.

aduentum

aduentum nostrum præstolentur. Scias etiam velim, inquit, nos equestrem ludum aduersus Babylonis Sultanum, ad Alexandriam Ægypti indixisse. Quare si in Belgio superent aliqui, Christo, cui seruire regnare est, emancipari, & nomen tam sanctæ gloriosæque militiæ dare studiosi, Crucem illi induant: Christum sequantur, & ad id genus hastiludium: quò ab ipso Seruatore vocantur, accurrant. Hæc ille. qui bellum, & Alexandriæ conceptam oppugnationem hastiludium appellat: noto æquè, ac grato militibus eius temporis nomine. quo eos faciliùs ab eiusmodi insanis damnatisque ludis auocatos, in seriam & gloriosam militiam traducat. Cæterum eius epistolæ loco aliam proferemus, quam ipse Balduinus statim atque ad Imperij fastigium euectus erat: ad Adolfum Coloniensium Archiepiscopum, & ad Cistercienses scripsit: vtramque refert Godofredus Monachus, eius temporis, aut non multò secus, Annalium scriptor: & Miræus ex manu scripto codice Sonegiensi vulgauit. ANN. 1203.

Oudegherst. Ante autem, quàm incœptam narrationem prosequar, duorum Historicorum errores: ne ad eos lector offendat, libet indicare. Oudegherstius Flandricorum Annalium scriptor, non ineruditus quidem omnino, sed in multis certè incurius, narrat Balduinum Comitem, post redditos Imperio Isaacum, atq; Alexium, blandimenta & Græcas delitias pertæsum, quibus alij Principes societatis emolliti, diutiùs quàm par erat, ad Constantinopolim hærere decreuerant: (in quo fortissimis viris mollitiei notam immeritò inurit) fide publicâ à Saladini fratre obtentâ, Ierosolymam religionis ergò, inde in Flandriam negotiorum caussâ traiecisse: atque Mariam coniugem secum Constantinopolim, quò appulerit anno CIƆCCII. aduexisse. quæ omnia ex ijs quæ mox subijciemus falsa esse constabit. Nam neque quoquam abijt Balduinus, nec Ierosolymam ille, aut Constantinopolim eius vxor, morte vterq; præuentus, viderunt vnquam. Turpiùs vel magis ridiculè Vltramosanus Leodiensium Historicus, fabulas de Baldui- §. 2. De Balduino narrationes fabulosæ.

Vltramosan.

ANN. 1203. no madidúsne, an siccus, vel somnians dubium, narrat. Lepidus hic auctor à Balduino cacodæmonem fæminę specie ductam esse vxoris loco refert; ex quâ post plures connubij annos Ioannam & Margaretam tulerit. In huius criminis expiationem, Byzantinum, iussu Pontificis, bellum ab eo esse susceptum: Constantinopolim tum ab Aquilante Saracenorum Principe circumsessam, Imperatricem Philippi Regis Gallorum filiam, & Henrici Imperatoris, Hannonij Comitis filij viduam fuisse. Byzantium à Balduino obsidione liberatum; Ierosolymam expugnatam: Bethleëmi bouem ab eo, asinumque repertos esse, qui iam inde à Christo nato, sine cibo vitam ducant. In reditu Ioannis de Alto-folio Aruerniæ Comitis proditione ab Saracenis interfectum esse. Risum teneatis amici? Et tamen anxiè similes nugiuendulos Bibliothecæ asseruant, quibus potiùs eiusmodi auctores, quàm docti viri antiquorum monumentorum scrutatores, eliminandi erant. Hæc tædio lectoris leuando scripta sint. Ad rem venio.

§. 3. Matth. Montmorencij obitus. His ita vt dicebamus constitutis acerba sanè, iuxta atq; detrimentosa societati vniuersę Matthæi Montmorencij mors accidit; viri si nobilitatem æstimes, qui paucissimis concederet; si virtutem fortasse nulli. Erat is Bucardo, & Laurâ siue Laurentiâ Balduini Animosi sorore genitus: atque adeo Balduini Augusti consobrinus. Elatus est luctu omnium incredibili, & regiô prope funere, in Sancti Ioannis Hospitalis Ierosolymitani tumulatus. Iustis illi persolutis Alexio Constantinopoli exeundum fuit, & Græcia obiter peragranda, quo parere recusantes, si quæ reperirentur, vrbes in potestatem redigeret. Magnâ cum militum Græcorum manu processit, & è socijs Bonifacius Marchio (quem secum, nisi sexdecim auri centenarijs donatum, abducere nequijsse, fingit suo more Nicetas) Hugo Comes Sancti Pauli, Henricus Balduini frater, Iacobus Auesnensis, Guillelmus de Chamlite, & Hugo de Colemy, pluresque alij in eâ ipsum expeditione

Alexius Græciam sibi subijcit.

secuti

secuti sunt; Balduino Flandro, Ludouico Blesensi, cæterisque in castrorum custodiam remanentibus. Alexius Patruus præ cæteris hoc bello petendus erat; qui Debelto relictâ, atque Adrianopoli occupatâ: imperij abiecti reliquias colligere tentabat. Facile fuit eum longiùs in fugam agere. Nam quacunque ingressus est Alexius cis transque Hellespontum, vrbes omnes sub imperium coegit: incolas quà vi, quà metu in deditionem, & fidem recepit; excepto Ioannizâ Valachiæ Rege: de quo pluribus postea agendum erit. Vsque ad Cypsella felicissimè progressus, quæ Thraciæ vrbs est non longè ab Aeno posita, Constantinopolim rediit. ANN. 1203.

Nicet. Villehard. Antè verò quàm rediret Alexius: grauem à Latinis cladem vrbs regia perpessa est. Quàm statim societatis aduentantis in Græciam rumor Byzantij vulgatus est. Latinorum nomen plus satis antea exosum, nunc etiam horrori multitudini ciuium è plebe fuit. Illi ergo tumultu concitato eas ædes, & tabernas quas mercandi causâ Occidentales, seu Latini homines ad maritimam eius vrbis partem statuerant: nullâ amicorum, hostiumúe discretione, solo funditus æquarant, & prope dispuluerarant. Eos ne contra se insurgerent, Alexius senior spe fore, vt obsidione liber eas omnes domos repararet, damnaque resarciret lactatos, tamdiu continuit: dum, ipso in fugam dato, Isaacus dignitatem ablatam reciperet. Hic enimuero quò Latinorum auxilia, amicitiamque sibi ampliùs confirmaret, Pisanos cum Venetis, inter quos vetus odium, & simultas intercesserat, conciliauit. Omnes igitur Latini nominis, siue institores, seu milites Itali, Belgæ, Galli, Germani, Angli familiariter inter se, & coniunctis animis victitabant. Nescio qui ex ijs, quorum ædes deletæ fuerant: inter potandum, vt fit, cum Belgis, quos Flaminios vel Flamiones, hoc est Flandros, vocat Nicetas: de illatâ sibi à Græcis iniuriâ & damno queri cæperunt. Vino Græco omnes incaluerant. Inter pocula decernitur Byzantij quidem, non in Græcos tamen, sed Saracenos: quibus

§. 4. Flandri Italis mixti vrbem incendunt.

fœdam

ANN. 1203. fædam Synagogam Imperatores in vrbe indulserant, iniuriam illam manu vindicandam esse. Mox Sinu transmisso, armata manus Pisanorum, Venetorum, & Belgarum, his præeuntibus, in vrbem irruit. Erat is dies Augusti nonus & decimus, indictione sextâ, anni ab orbe condito, ait Nicetas, sexies millesimi septingentesimi vndecimi: qui in CIↃCCIII. Christi annum incidit. Furiosa porrò horum militū turba, quum nemo esset, qui eorum vel accessum vel impetum cohiberet: in Saracenorum * Synagogam, vulgo Mittaton (Messitam rectiùs) dictam irrumpunt: & omnia per vim diripiunt. Saraceni ex improuiso occupati, furori Latinorum primò cesserant; tum verò cognitâ eorum paucitate, atque aduocatis Græcorum auxilijs, arma in eos expediunt: partem vulnerant, partem in fugam agunt. In eâ porro fugâ, militum aliqui, cuius nationis fuerint, parum refert: quum constet vbiuis gentium nebulones nimio plures reperiri: qui si militiæ se dedant, tametsi sanctissimę, animum atque audaciam, præterquam in malis facinoribus non exerunt. quidam ex prædonibus hisce, quos pudebat fugæ, infamiam maiori dedecore pensare aggrediuntur, & nefarium ignem in obuias ædes inijciunt. Incredibile dictu est, quàm latè, & atrociter vagatum sit, incendium: cui extinguendo aut opprimendo, neque aquarum vis, neque tomenta valere vllatenus potuerunt. Cernere erat flammarum globos ab immani illo incendio, quasi cacodæmonum ope auulsos, remotiora loca, intactis medijs, comprehendere: vt hæc vtrimque subinde coeuntibus flammis, citiùs deflagrarent. Plurimis in locis ab Aquilone impulsus ignis, posteaquam aliubi sæuierat: ab Austro mox aliò referebatur. Id pestis templum maximum corripuit: & quæcunque ad Milij * fornicem vergunt, atque cum Macrone, & Synodis cohęrent, corruêre. A Synagogio Saracenorum, quod Septentrionem spectat, ijsque locis quæ ad mare, & * Irenes ædem pertinent cœpit quidem: tum deinde Orientem versus ad templum summum, seu Sanctę Sophię: ad Occasum

Saracenorum Synagoga diripitur. 1.

Ignis in ædes inijcitur.

2.

3.

verò

verò vſque Perama graſſatum eſt incendium. Milliarij latitudine continens flamma vagabatur, inquit Villeharduynius. Profectò, vt de Iſaaco Græciſque, quorum pars flammis hauſti, pars depauperati fuerant, nihil dicam: Balduinum & ſocios omnes ea res ſic affecit: vt lachrymas miſerationis, iræ permixtas, non tenuerint. Intuebantur illi è Perçâ, ſeu Galatæ regione, tam nobilem ciuitatem deſolari: tot magnificas, quà Diuorum, quà Principum virorum ædes, ſuorum ſcelere in fauillas redigi fremebant. Illico è Purpuratis aliquot in vrbem tranſmiſſi, Iſaaco ſignificatum, quàm intimo doloris ſenſu, hoc ſcelus à Latinis perpetratum eſſe intelligant; daturos ſe operam, vt in eius auctores quæratur diligenter: & de conuictis pro merito pœnę ſeueriſſimæ exigantur; vt Græcis palam fiat, ſi qui ex ſocio exercitu milites delinquant, non ducum id voluntate, aut impunè fieri. Cæterùm binâ hac deflagratione miſerè deformata, atq; hiulca patuit ciuitas: nec eius flagitij Auctores vlli deprehendi potuere. Quia verò vehementer irritata aliàs Græcorum erga Latinos odia, hoc facto recruduerant: quotquot eius nominis in vrbe ſupererant, omnibus conuaſatis Galatam commigrarunt, atque ad ſocios ſe adiunxerunt. Erant autem ij ſupra quindecim hominum millia. Exinde minùs frequens Græcos inter & noſtros conſuetudo haberi: è contrà diſſidia, iurgiaque increbreſcere viſa ſunt, magno quidem Principum mærore. Hunc porrò auxit Laudenſis Cænobij, Ciſtercienſis ordinis, prope Inſulas Flandriæ Abbatis, obitus, toti ſocietati importunus: vtpote cui virtutum exemplo, iuxta & conſilio viuens non parum profuerat.

In Auctores quæritur.

Villehard.

Abbatis Laudenſis obitus.

Nicet.
Villehard.

Redit Byzantium Alexius iunior.

Circiter Idus Nouembres, rebus ex animi ſententiâ confectis, Byzantium iunior Alexius redijt; ijs lætitiæ ſignis, quæ victoribus, & acceptis populo Principibus exhiberì ſolent: ab omnium ordinum, vtriuſque ſexus hominibus exceptus, cui officio Socij Principes, militeſque minimè defuere.

CAPVT III.

Imperatorum animi à Latinis abalienantur. Eorum, populiq; Byzantini superstitio. Murtzuphli impia contra socios consilia.

§. 1. Alexius iunior à Nicetâ carpitur.

Nicet. Villehard. Bald. epist.



Imio, vt videbatur, erga sociorum Principes studio suorum animos offenderat Alexius Imperator: &, vt quidem Nicetas ait, pluribus grauibusque peccatis magnificum, & inclytum Imperij Romano-Græci nomen fædauerat. Vt cui familiare fuisset paucis comitatum in Barbarorum (ita scilicet Latinos Barbaries ipsa indigetat) tentoria traijcere, crapulæ & aleis, vnà cum illis, totos dies indulgere: pati vt collusores Regio capiti hirsutos suos laneos pileos, vicissim diadema suis ipsi capitibus imponerent. Ita ille: magni sanè, & inauditi criminis Alexium insimulans; quasi si Regem esse sit tragœdiam agere, & scenicum in modum, corporis cultu, & externâ oris, ac gestus compositione, à reliquorum hominum consuetudine perpetuò adhorrere. Sed hęc amicitiæ signa, si non ficta, certè parum fuere diuturna. Paulatim siquidem ille, siue innatâ Græcis leuitate, siue perfidiâ: quòd res suas iam firmatas, seque Latinorum auxilij minus indigum arbitraretur: siue, quod vero propius censeo, suorum consilijs: quibus credere, non modò æquum esse ducebat, sed necessarium, si eorum animos vellet sibi demereri, à Latinis sese abducere occœpit. Vix ad eos adire, si colloquendum erat, non iam familiariter, aut beneuole, vt aliàs; sed velut ignotos & ingratos caperatâ fronte, atque obliquis oculis; cæteroque id genus gestu,

Abalienatur à socijs.

socios

socios affari, quo Reges solent, cùm aulicos suos longiùs abs se amoliri contendunt. Potissimum vero infelicis iuuenis peccatum, quo in exitium præceps ijt, id fuit: quòd ijs omnibus, qui Alexio Angelo Patruo, non modò fauerant, sed etiam excæcandi atque exturbandi Isaaci, auctores fuerant, familiariter vti cœpit, eosque sibi à consilijs esse voluit. Indigna enimuero nostris omnibus, sed Isaaco res ista intolerabilis visa est; Quid enim acerbius seni obtingere poterat, quam vt hostes suos filio charos esse: cæcitatem ijs suam, quam ipsi tantùm non inflixerant, haberi ludibrio: vmbram sibi dumtaxat imperij superesse: auctoritatem omnem suam, non tam noui solis luce, quàm tenebris mendaciorum, quas nequissimi assentatores, filij menti offuderant, extinctam inultus ferre cogeretur? Audiebat in proclamationibus publicis, contrà quàm fieri assolet, filij nomen contentis vocibus priore loco: tum suum molliter, inquit Nicetas, & fractâ voce, quasi Echo resonare. Nihilo tamen & ipse suis Græcis acceptior fuit Isaacus: quem intemperijs agitatum, & magis atque ariolis, non minùs quàm antehac impotenter deditum cernebant.

Ann. 1203.

Hostes suos fouet.

Nicet.

§. 2.

Isaaci superstitio

Eò quippe insaniæ venit: vt Orientis, atque Occidentis Imperium, ipsam adeo totius orbis Monarchiam sibi cœcus seniculus polliceretur; tum futurum credens, vt cæcitate, atq; Podagrâ depulsis, & serpentis instar, veteribus positis exuuijs, iuuenesceret, Deunculoq; similis efficeretur. De Astrologorũ quoq; sententiâ, cùm alia fecit, tum aprum * Calydonium ex hippodromo, in regiam transtulit: eâ se ratione ab furiosæ plebis, quam cum apro non absurdè conferebat, tumultibus & seditionibus tutum fore existimans. Hæc igitur, aliaque eiusmodi Isaacum populo inuisum reddebant: filium ea quæ diximus: vtrumque, quod ijs iubentibus, Latinis tributa quasi pendere, Pontifici Romano parere, Innocentij nomen in diptychis quotidie enuntiare Græci cogerentur. Accedebat vrbis conflagratio, cuius ruinas nunquam oculis adspectabant, quin

1.

 Latinis

ANN. 1203. Latinis iuxta Principibus, suisque malè precarentur, iramque in vtrosque acuerent. Cum verò eius iræ in sceleris istius auctores exercendæ sibi vires aut animos deesse cernerent, in res inamines sæuierunt. Erat in foro * Constantini, Mineruæ Aegidem gestantis simulacrum æneum, triginta pedes altum, columnæ insistens: sic naturam referens, vt viuere diceres, ad miraculum artis, & vetustatis. Circumforanei quidam, & temulenti de plebe homines huius statuæ oculos in Occidentem prospicere commenti sunt, vel somniarunt: quum reuera Austrum versus aciem intenderet; & quia eòdem manum porrigebat: populo persuaserunt, eam statuam arte magicâ constructam, ex Occidente Latinos in Græciæ perniciem aduocare. Ergo certatim in eam ipsi imaginem ruere, maledictis proscindere, deturbare, & comminuere ingressi sunt. Eâdem superstitione olim alios duos Græcorum Imperatores captos, eadem insanijsse narrant Zonaras, & Nicetas. Cùm enim Manueli denuntiatum esset in foro Constantini, quà Occasum respicit, supra fornicem, iam inde ab antiquis temporibus, ex ære factas statuas muliebres duas extare: vnam Romanam, alteram Hungaram; ac Romanám quidem seu Græcam à suâ basi excedentem, propendere: Hungaram verò in suâ sede immotam stare; ille, vt erant Græcorum mentes non leuiter superstitione tactæ, existimans statuarum mutatione Romani, seu Græci Imperij mutationem portendi: misit fabros, qui Romanam erigerent, Hungaram demolirentur. Simeonem item narrat Zonaras Bulgarorum Principem, crudelem & inquietum, à Chrobatis victum esse. Sub hæc Græcorum Imperatori (erat is Romanus Lacapenus) venisse nescio quem significatum solidæ molis effigiem supra fornicem in Xerolopho collocatam, & spectantem ad solis occasum Simeonem designare Bulgarum: cuius statuæ qui caput abscinderet, eum Simeoni necem allaturum esse. Quod vbi factum esset, Bulgarum, ex violento mox stomachi dolore perijsse. Vel friuola fuit hæc obseruatio, vel magicum veneficium. Ad socios redeo.

2. Plebis superstitio & furor in statuâ confringendâ.

Manuelis olim simile factum.

Nicet.

Zonaras.

Ait

Nicet. Ait Nicetas, nostri nulli dicunt, Socios interea, quòd pecuniæ solutionem differrent in dies Græci, ac procrastinarent, suburbana prædia & ædes Propontidi imminentes, quà sacras quà prophanas direptas concremasse. Quo factum, vt Grçci, si qui paulò altiores spiritus sumerent, cum ijs congredi, & manu eiusmodi iniurias vindicare contenderent, atque Imperatores vrgerent: vti apertos Sociorum hostes sese profiterentur; quod illi detrectarunt semper. Inter eos porrò, qui apud plebem valebant auctoritate, censebatur facilè Princeps Ducas quidam Alexius, cui ob coniuncta supercilia, & velut oculis imminentia * Murtzuphlus vulgò cognominabatur. Græcæ linguæ ignari Morchuflum, alij etiam Myrtilum vel Murculfum vocant. Hunc, tametsi præ cæteris in Isaacum cum Alexio seniore insurrexisset, imò vt quidam scribunt suis ipse manibus Isaaco oculos effodisset, Patre cæcior Alexius in familiarium & domesticorum album retulerat, atq; Protouestiarij dignitate ornauerat; ab eo fidelitatem sperans, qui insigniter Regi suo perfidus, atque impius fuisset. Haud atrocius ab irato numine Principum scelera plecti posse existimo, quàm vt ij improborum, & infidelium consilijs circumagi sinantur. Murtzuphlus regni cupiditate flagrans, nihil prçtermittebat quo Latinis ægrè faceret, sibique hoc pacto plebis gratiam compararet. Paucis itaque comitatus ad saxum perforatum, & contiguum illi fornicem Socios bello petijt; sperans pugnæ rumore Byzantij vulgato, ab Imperatoribus, aut certè ducibus Græci exercitus ciuiumúe primoribus se adiutum iri; at contra cecidit: nam eos vterque Imperator, quominus armatos cogerent, vel egrederentur, cohibuit: & ipse Murtzuphlus, equo in genua prolapso, captus fuisset, nisi eum sagittariorum globus defendisset. Ille igitur periculo in hunc modum ereptus, cum neminem qui contra Latinos opem ferret, inueniret: ad defectionem plebem sollicitat.

ANN. 1203. §. 3. Socij viciniam populantur. 3. Ducas Murtzuphlus. Latinis infensus.

Villehard. Sociorum Principes huiusmodi dissidia, Imperatorum simultas, Alexij cum ijs agendi modus, pensi soluendi dilatio,

§. 4. Socij ad Alexium Imp. Legationem instruunt.

ANN. 1203. latio, aliaque multa angebant: & ne vere ineunte vacui dimitterentur, metuebant. Alios super alios in vrbem legatos missitare pecuniam flagitatum insistebant; sed eos Alexius ludere, verba dare, interdum æris aliquantum, cætera polliceri. Irasci Principes, arma meditari. Marchio Bonifacius, qui & sanguine, & beneficijs potioribus Alexium sibi habebat obnoxium, sæpius ad eum officij inprimis tum & periculi imminentis monitum accedebat. Sed amici sana consilia, post Murtzuphli, eius capiti insidiantis, pestiferas adulationes habebat. Ergo Balduino præeunte, Principibus sociorum placuit, postremò ad perfidum atque ingratissimum Regem Legatos mitti: qui pronuntiarent, pecunias ipsi confestim, vel arma expedienda esse. Hanc legationem obire pro Gallis Belgisque iussi sunt Cono Bethuniensis, Gaufredus Villeharduynius, & Milo de Braibans, è Prouins oppido, (quod Agendicum putant) pro Venetis tres itidem alij Duci Dandulo à consilijs. Hi omnes ensibus succincti, & equis vecti Constantinopolim, in Palatium vsque Blachernense, non sine metu aliquo progressi sunt. Mox senatu impetrato, ad maiorem ædis aulam deducti, vtrumque Imperatorem cum Imperatrice, magnâque Purpuratorum manu offenderunt. Cæterorum consensu Cono Bethuniensis libero ore, atque his verbis locutus est, teste Villeharduynio. Ad vos, Domini, Balduinus Flandriæ, atque Hannoniæ Comes, Dominus meus, Dux Venetiarum Dandulus, cæterique nostræ Societatis Principes eò nos allegarunt, quo menti vestræ collata ab ijs toti Græciæ beneficia, suggeramus; si modò ea à vestrâ, totiusque populi memoriâ aliquando abesse possunt. Dein vt promissa socijs ab vtroque vestrûm, sacramento, & sigillo regio munita, non tam refricemus, quàm extremùm exigamus. Tædet quippe nos toties debitam pecuniam, ceu stipem emendicare, totiesque ludum fieri. Vobis igitur coram populo vniuerso, Sacræ Societatis nomine, quæ in armis ad muros vrbis regiæ responsum auidè expectat,

Cononis Bethunij legati Oratio.

pectat, denuntiamus: vti pacta inter vos, & Principes exercitus nostri conuenta exequi maturetis. Quod si fiat, fidem vestram exolueritis, & amicos conseruaueritis; sin minùs ij vos deinceps, non amicos, non socios, sed hostes habituri, & ferro eam in vos iniuriam vlturi sunt. Scire autem vos volunt fore, vt ij, nisi renuntiatâ amicitiâ, & prouocatos bello Græcos nunquam aggrediantur, iuxta receptum patriæ suæ morem: in quâ victôrias furari, & imparatos opprimere, fædum censetur. Hæc est, Domini, legationis summa; cui vti sine morâ responsum detis, enixè flagitamus. Laconica enimuero, & tum Principum animis, à quibus mittebantur, tum Legatorum libertate, dignissima oratio: quæ vtique pro monstro Græcis fuit. Ij quidem palam, fremere, & tumultuari. haud visos vmquam à se eius frontis, atque audaciæ homines, qui Imperatoribus sic illuderent: vt in ipso palatio proteruè minarentur. Et verò Alexius, cæterique omnes atque adeo ipsi, qui nostris hactenus fauisse visi erant, indignabundi eam orationem exceperunt, & tantùm in eos non inuolarunt. Ergo ædes regias, indeque vicina compita, de eiusmodi habitâ ab legatis oratione disseminatus rumor, miros animorum motus in ciuibus excitauit. Perdendam esse, vnà cum oratoribus istis, * auaram, atque insolentem gentem, plerique omnes pronuntiant. sub hæc clanculum ipsi, furtimque sese è regiâ, vrbeque ipsâ Legati antè proripuere, quàm in eos quidquam super verba grauiùs consuleretur.

ANN. 1203.

Græcis displicet.

4.

§. 5. Alexius subdole socijs malum machinatur.

Bald. epist.

Furere interim plebs pergit, & Patriarchâ inprimis cum Murtzuphlo igni, quod aiunt, oleum subministrante, Alexium atque Isaacium non magnopere reluctantes ad bellum contra Latinos suscipiendum impellit. Quo porrò id pacto aggressus sit Alexius, nusquam reperi. hoc vnum Balduinus refert, in ijs quas ad Comitia totius Cisterciensis sodalitij, & Coloniensem Pontificem dedit, epistolis, incassum, nulloque perfidiæ suæ pretio Socijs infesta signa ostentasse; nec meliori successu ea ipsa nauigia, quibus ipse

ab

Ann. 1203. ab exilio, ad coronam regni capessendam, aduectus fuerat, igne Alexium & dolo Græcanico cremare studuisse. Nec tamen ijs conatibus ciuium mentes sedauit quicquam. Cùm igitur foris pugnâ, intus timore premeretur: leoninam tantisper ponere, & vulpinam resumere oportunius sibi esse iudicauit. Murtzuphlum malorum omnium, & seditionum facem, ad Sociorum castra allegat. per eum Principes rogat, vti ab se fractam fidem, violatamque amicitiam ne credant: neu putent se volente, nedum iubente, arma in eos illata à suis esse. Populum contumacem, & in iram præcipitem, cohiberi nequaquam potuisse. Nihil sibi cordi esse magis, quàm vt eos Amicorum, Patronorum, imò & Patrum loco habeat; idque officijs testetur. Per rebelles eiusmodi, alienum æs dissoluere, hactenus sibi non licuisse, daturum operam vt mox reliqua nomina expungantur. Huius suæ fidei pignus, & contra tumultuantem populum tutelam, dum pecuniæ reliquum perpendatur, Blachernias ædes se vltro ijs, vnà cum arce offerre; eam ipsi, vt præsidio sibi muniant, permissurũ, iureiurando affirmat. Ad hæc paulo post è Purpuratis aliquot suæ fidei obsides, dum ij Palatium occupẽt, ad socios emittit. Non mediocri Principes affecit voluptate ea legatio: quibus argenti promissi desiderium, non minùs, quàm noui belli metus incesserat. Die proximè insequente, cum idoneâ armatorum manu, ad vrbem Marchio progreditur, atque ad portam, cui palatium imminet, modestè & sine strepitu, ne ciues terreat, se sistit, spe ab Imperatore adfuturos, qui se clanculum in arcem immitterent. Verùm secus accidit. Nescio quas ciuium turbas, & insidias caussatus Alexius, Marchioni portas aperiri vetuit: eumque, nullâ obsidum ratione habitâ, ad castra remisit, maiori vtique deceptoris, quàm Sociorum fraude; quem, si saperet, nostrorum amicitia, atque armis, aduersus suorum machinationes defendi oportebat, nec longiùs eius perfidiæ pœnam distulit.

Murtzuphlum ad socios allegat.

Arcem Blacherniam socijs in vrbe offert.

Sed eos deludit.

CAPVT

Ann. 1204.

CAPVT IV.

Murtzuphlus Imperator creatur. Alexius iunior ab eo obtruncatur.

Nicet. Villehard. Bald. epist. Gunther.

§. I. Greci in Alexium hostiliter coniurant.

Rritati varijs, quas memorabamus, de caussis, Græcorum animi, nouo isto consilio, quo arx Blachernia Latinis tradenda dicebatur; quodque ipse Murtzuphlus per suos in plebem sparserat: incredibile est memoratu, quantùm irâ efferbuerint. Alexium absentem, præsentem, conuitijs proscindunt, patriæ pestem, Regis laruam, Latinorum mancipium, & id genus appellant, illius rationibus aures obturant, eligendum alium aptiorem, & meliorem conclamant. Alexius ergo mœrens & inops consilij, in conclaue se recipere, plebs cum primatibus, tam sacri, quàm profani ordinis, in Sanctæ Sophiæ templum irruere. Agebatur * Ianuarij mensis (à quo annum ordior in hac historiâ; 1.
quanquam auctores mei secus) dies vigesimus quintus, anno ab orbe condito sexies millesimo septingentesimo duodecimo, indictione septimâ, inquit Nicetas: hoc est ad calculum nostrum, à Christo CIƆCCIV. Hi omnes de eligendo Imperatore consilia agitare aggressi, Nicetam ipsum rogauerunt, vt Primatum cuipiam suffragaretur.

De exauctorando Alexio agunt, refragante Nicetâ.

Erat enim ille non minùs eruditione, & prudentiâ, quàm officio illustris; quippe qui magnum * Logothetam, se- 2.
cretorum Inspectorem, & Iudicem veli, sacri insuper Cubiculi Præfectum ageret. Is verò nunquam se eius mentis futurum esse respondit, vt Alexium, atque Isaacum exauctorari, atque aliùm ijs viuentibus suffici, æquum tutumúe esse existimaret. Vt enim iudicium hoc æquumne an iniquum sit taceam, aiebat, quis nescit Latinorum exercitum, aduersus nouum Imperatorem, qualis qualis

ANN. 1204 ille fuerit, adeoque ipſam vrbem rurſum arma ſumpturum? quo ſucceſſu, ex ijs quæ non tam paſſi ſumus, quam etiamnum patimur, facile eſt conijcere. Nihilominùs plebs vt ſimplex eſt & mutabilis, nec niſi libidinem in conſilio habet: Angelorum imperium diutiùs ſe laturam perſeueranter negabat, neque prius iſthinc diſceſſuram, quàm Imperatorem ex ſententia nacta eſſet. Varios igitur primùm è ſupremâ nobilitate viros conquirere, ſigillatimque eorum nomina proponere inſtitit, quorum cùm cæteri ſingulos improbarent, plebeios magiſtratus, & quoſdam noſtri ordinis, inquit Nicetas, manibus prehenſos, vt diadema nomenque Imperatoris aſſumerent, hortabantur: ſubinde etiam ſtrictis enſibus vrgebant. Quâ vt ſe ipſi moleſtiâ, atque periculo expedirent, in alterum diem comitia differri placuit, quod ægrè à præcipiti plebe impetratum. Huius autem ordinis viri, vt viderant triduo elapſo Primatum ardorem refrixiſſe: neque eos de huiuſmodi conſilio quidquam reſumere: Nicolaum quemdam Canabum, adoleſcentem domi nobilem, Imperatorem dicunt.

Nicol. Canabum Imp. eligunt.

§. 2. Haud ſecus vt par erat, hæc vt reſciuit Alexius enimuero pauitare: quid ageret, ad quemue, conſilij aut opis gratiâ confugeret, animi pendere. Murtzuphlum, fidum ſcilicet conſiliorum participem, ad caſtra Latinorum, in extremâ hâc neceſſitudine ſuppetias rogatum iterum deſtinat: & Marchionem Bonifacium accerſit; atque hunc Murtzuphlus in vrbē regreſſus, ad Alexium clam adducit. Vtrique viſum eſt copias aliquot in Blacherniam arcem immittendas eſſe: quæ & ædes regias, & ipſum Imperatorem tuerentur; populique furori obſiſterent. Ante autem pænè, quàm id conſilij Socijs Bonifacius indicaret, illud ipſum atque vnà aliud, quod diu mente conceperat, ſceleratiſſimus Murtzuphlus populo patefecit: & viam ad Imperium, quò iam pridem anhelabat, ſibi ſternere occœpit. Cognatorum nobilium turmam: (erat enim ipſe è clarâ Ducarum familiâ) tum Spadonem fiſco præfectum

Alexius Murtzuphlum ad ſocios deſtinat.

Murtzuphlus Imperium ambit.

præfectum conciliat: homuncionem auro expugnari facilem per eum Bipenniferos Regij corporis custodes in auctoritate suâ, vt sint, sibique vbicunque opus erit obsequantur, impetrat. Tum verò plebem monere cùm per se, tum per suos non desinit instantis periculi, nocte proximâ, ni arceant, Latinorum cohortes Palatium irrupturas esse; ipsi excubias tantùm agerent: sibique quod superesset, committerent. Nocte igitur concubiâ ad Alexij cubiculum adit perduellis, quod semper licebat * Protouestiario: quo eum officio & dignitate infelix Princeps exornarat: mæstâ tremulaque voce, atque attonito similis, Dominum excitat: si modò in tantâ consternatione, & continenti trepidatione somnum caperet; significat Primates quosque, plebemque vniuersam, imprimis verò Bipenniferos Barbaros ad fores Palatij, grege facto, cum telis ad eum irrumpere: sanguinem ipsius Regis, quòd Latinos in ædes arcemque euocarit, sitientes: nihilque propius esse quàm vt irrumpant, eumque iugulent. A sicario miserrimus adolescens, & à parricidâ consilium mortuo quàm viuo propior exquirit: in eius nunc fide atque amicitiâ vitę suę & spei scintillulam esse repositam. Ille eum talari tunicâ, & lato galero tectum sequi se iubet: tum per posticum atque ignotum vulgo ostiolum, in abditum quoddam tentorium educit, vbi satellites & lictores infelicem Principem opperiebantur: cui ocyus compedes iniecêre, atque in teterrimum, fædissimumque carcerem compegere. * Isaacus Imperator lecto iam antè affixus atque ex morbo æquè ac senio laborans, ad hunc tristem durumque nuntium sic cohorruit, atque angi cœpit: vt tantæ calamitati impar seniculus, paulò pòst expirarit. Vt intelligas non tam ei, eiusúe filio, quàm Balduino huiusmodi partam esse Victoriam. Et verò se indignum reddiderat Isaacus, qui à cruce signatis militibus fortunæ pristinæ redderetur: quando pridem edicto regio vetuisset, ne quis Crucem assumeret: & qui secus facerent, mox in vincula dare consuesset, inquit Rogerius.

[Right margin: Ann. 1204. — Alexium dat in vincula. — 3. — Isaaci obitus. — 4.]
[Left margin: Rog. Houed.]

ANN. 1204. rius. Ita igitur Isaacus perijt; quamquam vnus Logotheta ab Murtzuphlo item obtruncatum fuisse narrat. Georg. Logoth.

§. 3. Murtzuphlus concionem cogit. At verò Murtzuphlus diluculo populum frequentem cogit: quid egerit, quoúe consilio significat. Hostium se Latinorum consilia præuertisse, mali ipsius auctorem occupasse, atque obicem omnem amouisse; vt iam Bizantinis non modò Imperatorem nouum dicere, sed & coronare tutò, eumque Barbaris obijcere sit integrum. Quàm igitur telam ipsi orsi essent, hortari vt perficerent: atque animos solitò altiores sumerent; se porrò & sanguinem & vitam patriæ iam pridem deuouisse, iterumque deuouere. Vterentur ipsi vt libitum esset. Assensere omnes, & plausum dedere. Eum aliqui vrbi, alij exercitui præficiendum: plurimi etiam Imperatorem creandum esse vociferantur. Et hoc demum erat quod expectabat in sceleris sui premium perfidus carnifex. Imperatorem Ducam Murtzuphlum vno ore malè sana plebecula, atque exauctoratum Alexium pronuntiant. Non pauci tamen qui Nicolai partes fouebant, huic aduersari velle visi sunt. Et verò Murtzuphlo longè prestabat Nicolaus: vir leni ingenio, cordatus nec imbellis. Verum, vt fere fit, plebe peiora sectante, & Ducâ ærarij potito, Nicolai factio paulatim deferbuit, potentiorique cessit. Nicolaus ipse in Murtzuphli manus venit, atque ferro onustus Alexio comes datus est: vt eadem vtriusque fortuna miseros vtcunque solaretur. Mox Nicolaum socij omnes destituêre, & nemo prope vnus in vrbe reliquus fuit, qui non in Murtzuphli verba iuraret. Angebat tamen meticulosam tyrannidem, non tam Alexij vita, quàm Latinorum exercitus: cuius ope metuendum erat, ne aliquando, vt aliàs Isaacus Parens: cum ipso solio carceris ergastulum Alexius, & cum carcere ipse Murtzuphlus vicissim solium commutaret. Atque adeo quando ea fortunæ vicissitudo, non tam ab hostium armis, quàm à ciuium mutabilitate, atque inconstantiâ pendebat: qui, quem oderant paulò antè, amare soliti postea erant si aduiueret: infelici Alexio vitam

Nicetas & alij S.

Imperator dicitur.

Canabum capit.

Alexium obtruncat.

vitam eripere maturauit. Priùs ergo bis ei venenum propinauit: lethale quidem illud, & pręsentissimũ: cuius tamen vim siue adolescentis robur, siue antidota, quibus, clam instructus, vtebatur, refregerunt. Quocirca moræ impatiens, crudelissimus homo, in carcerem aliquando descendit, & carnificis ministerium occupans, infortunatum Regem per supera inferaque nequidquam adiurantem, & beneficia, honoresque à se in eum collatos, pro se afferentem, suâ ipse manu laqueo præfocat. nec eâ diritate contentus, horrendè latus eius clauâ ferreâ pulsat, mortuoque ossa contundit. Regnarat iuuenis menses sex, dies octo, vnde positis calculis in Februarij diem octauum, eius necem referri necesse est; quandoquidem ipsis Augusti Calendis, anni superioris coronatum fuisse ex Nicetâ retulimus. Hunc vitæ exitum sortitus est Alexius, cunctis mortalibus, Regibus potissimùm tria quatuorve relinquens documenta. Primum quidem, Regum vitam scenam esse: in quâ pauci Comœdias, plures Tragædias exhibeant. Tum verò hoc certè capite infelicissimos esse Principes, qui nisi per conspicilla, hoc est Aulicorum oculos, nihil vident; & per eos, ludibria oculorum, præstigiasque persæpe: veritatem rarissimè, nec nisi serius, & cum ea nihil prodest, intuentur. Stultissimum intutumque esse, ijs fidem adhibere, qui nullam aliquando habuisse noscuntur. Ingrati animi vitium homini quidem cuicunque indecorum, Regibus verò non probrosum modò, sed & exitiosum esse solere. Demum Politicorum nostri temporis axiomata paradoxa, quibus Deo hominiue vlli fidem, aut obsequium vetant præstari debere, nisi vbi commodi ratio postulat, hoc certè, sexcentisque id genus casibus falsissima esse deprehenduntur: qui omnes mutâ oratione clamitant: Deum Imperiorum & regnorũ fræna moderari: nec vnquam diu, eo conniuente, scelere & flagitio Christianorum Principum virtutem innocentiamque triumphari, atque conculcari.

Ann. 1204.

Nicet. Villeh. Bald.

Ex eius morte documenta.

§. 4.

Rerum, eo quo diximus parricidio, potitus Murtzuphlus in id incubuit totus, vt vi vel astu hostes amoliretur, &

Nicet. Villehard. Bald epist. Gunther.

Socijs Murtzuphlus fraudem parat.

ANN. 1204. & pacatum sibi stabileque redderet Imperium. quod facile se effecturum sperabat homo arrogans, æquè ac callidus; qui prudentiam in dissimulatione & cunctatione ponebat, beneficiorum tam immemor, quàm memor in-
5. iuriarum, Gallos quidem iuxta vetus * Græcorum prouerbium amicos, quàm vicinos habere maluisset; quando tamen ita fors tulit, vt propiùs quàm velit, vrbem circumsedeant: enititur artibus illos Græcis in laqueos pellicere, & ijs sese expedire. Alexij mortem Socios, si rescirent, vlturos esse nouerat; edicto igitur publico sub capitis pænâ eam peregrinis aperiri vetat. Dein vnum è suis domesticis, nomine Alexij, quasi ipse adhuc viueret, ad sociorum Principes amandat: rogatque ad se venire cum exercitus ducibus ne grauentur: auere se vehementer eos ad cænam, quam struxisset opiparam, adhibitos tandem voti pecuniarumque compotes aliquando facere. Sperabat equidem veterator societatis capita, veluti mures, in decipulam allectos, vno quasi ictu demetere: indeque truncum corpus nullo negotio vel delere, vel dissipare. Et profectò quidem huiusmodi nuntius, atque amica inuitatio plerisque de exercitu, Gallis Belgisque maximè placuit: & ij in diem sequentem Legato condixerant; homines nempe synceri & simplices: quique alios suo metiebantur ingenio. At Duci Venetiarum Dandulo, artes Pelasgas iam pridem vsu edocto, non perinde id consilium probabatur; quin omnia illa amicitiæ signa ostentui credebat. Eapropter socios rogabat, vt præsentia cum nuperis conferrent: cogitarent illi quàm lethale virus sub amicitiæ & beneuolentiæ vino propinasset. quos dolos, quantasque machinas, & quàm diu occultasset: vt ipse proditus in socios conceptum odium euomuisset, & rabiem plebis aduersus eos prouocasset. Vnde igitur repentinam istam mutationem? Insidias in caput eorum à perfido Rege, qui quiduis aliud, quàm beneficiorum memoriam, aut æris alieni nomen ferat, comparatas esse cæci ipsi videant. Cum vulpe igitur, quod aiunt, vulpinandum: mollibus

Dandulus rem subodoratur.

mollibus verbis legatum ſpeque tantiſper, ac Regem producendos, dum propiùs, quî ſe res in vrbe habeant, perſpiciatur. Hoc conſilium omnium tunc iudicio, maximè vero poſtea euentu ipſo comprobatum eſt vehementer ſociorum rebus conducere: qui aliàs ſe ipſi in paratas pedicas & mortem fortaſſe indutum vltro ibant. ANN. 1204.

CAPVT V.

Mors Alexij ſocijs innoteſcit. Murtzuphlus vrbem munit, & ſocios aggreditur.

Auctores S.  Ybmiſſi interim exploratores, qui, quid rerum in vrbe Alexius Græciúe agerent, expiſcarentur. & ijs ſanè vix quidquam opus erat; ita tanti parricidij & mutationis Imperij rumor intra Bizantinos muros cohiberi nequijt. Non vnus ſanè ex ijs, qui vel Latino nomini fauebant, vel non tanto eos odio, quanto Murtzuphlum, crudeliſſimæ rei auctorem, proſequebantur, ad Caſtra acceſſit: retulitque Iſaacum fato extinctum: Alexium verò à Ducâ Protoueſtiario immani barbarie trucidatum eſſe, ipſumque adeo carnificem, ſceleris ſui præmium, de Græcorum voluntate Imperium adeptum eſſe. Ab eo Legationem ad ſocios ſubdolè eſſe tranſmiſſam: quo eos, in inſidias adductos, omnes iugularet. Enimuero repentinus toti Societati inceſſit Græcæ perfidiæ horror, pro ſe verò metus & ſollicitudo. Quid enim porrò facturi ſint? Nouúmne rurſus bellum vix altero defuncti aggrediantur? ſed eámne verò iniuriam, & toti Latino nomini dedecus iniectum eſſe inulti patiantur? At periculi ſanè, minoris tamen, plenum erat præcedens prælium, quo impares quidem numero, cum ipſo tamen, & pro Imperij legitimo hærede, aduerſus Tyrannidem

§. 1. Socijs Alexij mors innoteſcit.

Quid facturi ſint ambigunt.

ANN. 1204. dem pugnabant, à quâ Insulas iam aliquot auulsas possidebant; atque ex ijs, tanquam ex horreo, annonam certam exercitui comparabant. Ad hæc non gratis, sed auri vi maximâ in stipendium promissâ certabatur. Nunc autem soli pugnam ineant, atque ab armis dumtaxat auxilium, ab sociorum virtute solatia, à Deo vno tutelam expectent necesse est: in regione hostili, diuitijs virisque circumfluente. Ergo annum totum incassum laborarint: Palæstinam expeditionem omiserint, vt ingratis & barbaris seruirent: à quibus pecuniæ & stipendij meriti loco, iniurias & ludibria recipiant? In eo igitur rursum solio, è quo alium expulere Tyrannum tetriorem atque truculentiorem sedere patiantur? & qui legitimi hæredis exilium non tulerunt, iniquissimam iuxta, atque dirissimam necem armis vindicandam esse non censeant? Mirùm quàm consentiente cum Ducibus milite decretum est, magnisque vocibus passim conclamatum: Aut mori, aut vlcisci. Non parum verò ea consilia iuuere cùm Sacerdotes vniuersi, qui in exercitu erant: tum maximè ipse Nuntius Apostolicus; qui identidem socijs occinebant: non de ipsorum tantũ honore agi modò, sed Dei: quem hâc impietate pessum datum iri cernebant. Nec enim Latinos modò expellere, nullâ vel exiguâ debiti solutione factâ, sed & ritus Romanos, & summi Pontificis obedientiam conculcare indubiè Græci decreuissent: atque ad pristinos errores & schisma, contra fidem Deo datam, reuertere: imò id reapse iam perpetrassent. Eos igitur homicidas, eorumque conscios & affines scelerum, Deo perduelles, ab omni Imperio, & bonorum possessione excidisse Legatus pronuntiat; atque adeo qui aduersus eos signa, & arma inferrent, non modò eorum prædia, atque diuitias sibi vsurpare tutò posse: sed & omnium noxarum veniam, haud secus ac ij qui ex voto Infideles cæteros bello petunt, ex Pontificis Indulgentiâ obtinere. Quæ oratio nescio quos Socijs spiritus, spemque victoriæ subdidit. Arma igitur expedire Socij: nec Græci in rem suam negligentiùs incumbere.

Murtzuphlo bellum decernitur.

Villehard. M.S. Cod.

Græcis

Nicet. Bald epist. Villehard.

Graecis Murtzuphlus, nec inuitis, vt coniectura erat, imperabat: & Philocalij soceri consilijs potissimùm vtebatur. Hunc, cùm aliter ad summum Magistratum euehere non posset, Nicetam Logothetæ officio, indictâ caussâ: nec enim alia suberat, amouet, eique socerum substituit. Et quia ærarium exhaustum funditus repererat, graui quęstione in eos habitâ, qui sub Angelis maxima gesserant imperia, & Sebastocratoris vel Cęsaris nomen meruerant, eos, ceu spongias premens, maximum inde pecuniæ modum elicuit; eoque labefactatos bellis prioribus vrbis muros, reparare instituit. Quod autem procliue erat, vt à mari, velut antea factitatum erat, à Socijs institueretur oppugnatio: tametsi murus isthîc vt alibi, lapidibus minutis, calce adstrictis, antiquo atque firmissimo opere, structus in summam altitudinem assurgeret: insuper lapideis turribus amplissimis, quinquaginta pedum inter se distantiâ, munirentur; nihilominus singulis harum turrium interuallis, alteram ligneam trium quatuorúe: quasdam etiam cæteris longè altiores, sex omnino tabulatorum interijci, apposito militum suo cuique præsidio; adhæc inter singulas eiusmodi turres machinam vnam Petrariam, siue lithobolon collocari placuit. Muro item altero, seu loricâ, alterisque fossis vrbis munimenta exteriùs circumcinxit: ne quà suffodi, aut scalis expugnari ea possent. Hæc quidem quo se tueretur, quo nostros verò perderet, aliud excogitauit. Sexdecim omnino naues pice & sulfure oblitas, atque aptâ ad concipiendum, vulgandumque incendium, materiâ refertas, igne apposito, velisque expansis in classem sociorum intempestâ nocte immittit. Erant eę omnes ad proram infernè inter se colligatæ; & Auster violentior puppibus incumbens Græcorum apprime conatus adiuuabat. Ergo in classem magno impetu delatæ, horrendum sanè spectantibus, & formidolosissimum classiarijs atque militibus præbuere spectaculum, sed non aliter nocuere. Diligenti siquidem atque contentâ sociorum industriâ factum est: vt classe opportunè subductâ, auda-

Ann. 1204. §. 2.

Nicetam Murtzuphlus officio amouet.

Vrbem munit.

Classem sociorum frustra igne oppugnat.

ANN. 1204. ciores aliqui hostiles naues vncis ferreis aliorsum egerint, vbi solitariæ conflagrarunt. Murtzuphlus tamen etsi minus id bellè processisset, secundò idem stratagema vsurpauit: luce palam, ijsque incensis nauigijs alia integra adiunxit præsidio; quibus vecti milites, socios, ne, vti aliàs, incendium à se amolirentur, prohiberent. Neque id meliùs successit. Socij quippe in celoces, & lembos allapsi, nequidquam obnitentibus Græcis, harpagonibus prehensas naues in altum educebant, & procul periculo exuri iubebant, in oculis totius populi: qui ad id spectaculi in portum effusus, horrendis primùm clamoribus, tum etiam in scaphas inuectus, sagittis, saxis, varijsque id genus telis, socios arcere conabatur. Huiusmodi vociferatio, vt in castris exaudiri cæpta est: exercitum duces mox in ordines ire, atque Græcos, si fortè irruerent, vsque ad Auroram expectare in armis iusserunt. Procliue namque erat suspicari hostes, non alio fine in classem cum ignitis machinis inuasisse: quàm vt in maritimum periculum versis atque occupatis sociorum animis, repentè terrâ imperatos in castris adorirentur. Sed vana fuit ista trepidatio; ab eâ siquidem parte nihil bellandum fuit. & in portu præter onerariam, quæ vnà cum mercibus conflagrauit, reliquæ intactæ seruatæ sunt: magnâ vtique Numinis Prouidentiâ. Etenim classe exustâ de sociorum exercitu actum erat; quem nec progredi, nec retro concedere valentem, facilè hostes vel oppressissent vel attriuissent.

§. 4. *Terrâ socios aggreditur.*

Mari porrò sic repulsus Tyrannus haud conquieuit: sed terrâ non iusto quidem prælio, velitationibus tantùm, & leuibus certaminibus castra vexauit: nihilo meliorem fortunam & hîc adeptus. Balduinus certè cæterique Duces non dormitabant: aut otium consectabantur: sæpe ad Blacherniam portam stantes, Cruce ordines præeunte, Græcos ad prælium deposcebant, milites & calones ipsi magnis vocibus eos lacessebant, & scommatibus, conuicijsque irritatos conabantur in arenam extrahere. Et verò vsu nonnunquam veniebat, vt equites, ac nobilitatis Principes nonnulli, quos *Auctores S.*

li, quos

Ii, quos suæ ipsorum ignauiæ pudebat, ex vrbe cum magnis copijs egressi nostris congrederentur, nullâ vnquam Sociorum clade; ita statim victoria, quasi si * alis careret, socijs & meliori caussæ adhęrebat. Interea loci Henricus Princeps (Balduinum posuit Nicetas) lectissimos secum equites Iacobum Auesnensem, Balduinum de Beauuoir Hannones, Odonem, & Guillelmum de Chamlite fratres Campanos, aliosque plurimos (mille omnino erant) sub vesperam è castris prædatum eduxit. Noctem totam ambularunt, & mane ad Phileæ vrbis muros, quæ in Thracij Bospori littore sita est, versus Pontum Euxinum (mare Russiæ vocat Villcharduynius) constiterunt. Quàm ipsi ex improuiso sic oppugnarunt; vt tametsi ciues strenuè sese defenderent, scalis tamen admotis irruperint socij, & vrbem hostilem in modum populati sint. Magnam enimuero prædam nacti cùm auri atque argenti vim, tum suppellectilem, pecora, captiuos magno numero; eorum parte nauibus ad castra transmissâ: triduò quàm expugnassent, cum reliquis quisque manubijs in viam se dederunt: atque pagos obuios, vicosque populabundi obierunt. Murtzuphlus huius expeditionis factus certior, clam, & noctu cum bonâ armatorùm manu Constantinopoli se subducit: & quà nostris transeundum erat, insidias ponit. Socij earum inscientes: &, vt solet cùm prædæ referuntur, incauti eas præteruehuntur; nec Græci antè illos adorti sunt, quàm Henricus extremæ aciei ductor in conspectu fuit. Tum ex insidijs prodiere, & socios ad syluæ ingressum magno impetu atque animi ardore auersos petiere. Illi ocyùs pedem referunt, vultumque hostibus intrepidè obuertunt. Atrox sanè & anceps aliquamdiu pugna committitur. Sensim tamen Tyranno Græcisque animus viresque deficere, nostris augescere videbantur. Henricus, Auesnius cæterique Hannones in vnum Murtzuphlum omnes irruere; & nihil verò propius fuit, quàm vt is viuus caperetur. Effugit tamen, & clypeo armisque abiectis, equi pernicitate salutem consecutus, plures è suis viros nobiles,

ANN. 1204.

I.

Henricus prædatum excurrit.

Phileam expugnat.

Iis Murtzuphlus frustra insidias struit.

ANN. 1204. biles, aliosque milites è vulgo eo prælio desiderauit; in-
2. primis verò vexillum Regium atque Icon * Deiparæ Virginis; quam Græci Imperatores, Nicetâ teste, belli sociam adsciscunt, à Latinis capta sunt.

§. 4. Deiparæ Icon intercipitur.

Ita quidem Nicetas, Villeharduynius, & Balduinus, quorum postremus Cisterciensi ordini eam imaginem destinatam esse ait, alij tamen, in quibus est Blondus, & Petrus Iustinianus, scribunt Murtzuphlum in castra ex vrbe erupisse, cum magnâ militum manu: quibus admixtus erat, vt in supplicationibus fieri solitum est, Sacerdotum chorus, Deiparæ Iconem, quam nisi in vltimâ necessitate, Solemni pompâ gestari insolens erat, præferentium: & varios hymnos sacrasque preces Deo, eiusque Matri præcinentium. Cætera sic illi prosequuntur. Potior atrociorque, inquiunt, Græcorum impetus eâ parte castrorum incubuit, quam Balduinus sibi tutandam delegerat. Is verò in armis excubabat, hostes opperiens: quorum ferociam sic retudit, vt prope prælium conficeret. Verùm vbi reliquæ copię ad Belgarum agmen sese adiunxerunt, Græcorum pluribus cęsis, alij saucij fugâ in vrbem effusâ sibi consuluerunt, at Dei Genitricis imago in Balduini manus venit. magno omnium Sociorum gaudio, qui eo omine in spem adduci cœperunt, vrbis breui potiundæ: quam eius tutela destituisset. Balduino verò Imperium portendere ex eo credita est virgo, quòd clienti atque cultori singulari suo, se ipsam atque vnà regiam sibique dicatam vrbem committere videretur. Illa verò eadem imago esse creditur, inquit Iustinianus, quam in Diui Marci æde Veneti asseruant: quamque in supplicationibus ad pluuiam coercendam, cùm nimia ingruit: aut impetrandam, quando humus exaruit, circumferri mos est; nunquam sine beneficio. Vt vt verò ea imago socijs obtigerit, quanto maximo eos gaudio, Græcos dolore atque desperatione compleuit.

(Blond. Petr. Iustin.)

§. 5. Murtzuphli ad socios legatio.

Murtzuphlus certè exitum meritò huius belli reformidans, ad Dandulum Venetiarum Ducem cæterosque Principes

(Nicet. Bald.)

Principes Legatum mittit, qui fidem vtrimque publicam daret,& impetraret; quo ipse cum Socijs Imperator de pace ageret. & initiò quidem nullam cum tam diro atque execrando Tyranno pacis mentionem plerique omnes è Societate ferebant, præter vnum prope Dandulum: qui non solius Iustitiæ, sed & communis vtilitatis rationem aliquam habendam censebat, atque ea propter tentandum saltem, si fortè opportunis Societati & Deo imprimis conditionibus, pax cum Græcis ici posset. Ergo Socijs annuentibus triremi iuxta Cosmidium appellit, eodem & Murtzuphlus equo aduehitur. Et huic quidem ille primùm omnium abominandum parricidium obiecit, affirmauitque ægrè à Latinis ei fidem adhibendam, qui nefariè atque crudeliter, contra naturæ & Dei legem, proculcatâ fide & iureiurando Dominum suum trucidarit. Conatus quidem est Tyrannus ea dicere, quæ facti sui inuidiam, si non tollere, saltem minuere videbantur; sed ijs vt à vero procul dissentaneis continuò per Dandulum refutatis, conditiones aliquæ pacis vltro, citroque in medium allatæ sunt. Quinquaginta auri centenarios societati mox pendi voluit Dandulus, atque alia quædam vt durissima, ita ijs qui libertatis, inquit Nicetas, dulcedinem sunt experti, minimè gentium accipienda adiecit. Ea verò ex Balduino haud alia fuisse constat, quàm vt in Pontificis Romani potestatem atque obseruantiam Græcos redire iuberet: terræ sanctæ, eo quo Alexius iunior modo pollicitus olim fuerat, opitularetur. Hic enimuero æstuare visus est scelestissimus vir, atque deierare sibi vitam eripi, Græciamque totam funditus euerti passurum se libentiùs, quàm vt Romano Episcopo Orientis Ecclesia subderetur. Eoque in vrbem ille, nostri in castra bellum vtrique animo agitantes rediere. Antè tamen, quàm vrbis oppugnationem describere aggrediar, quid classe illâ quæ Massiliam è Flandriâ appulerat, factum sit, æquum est me differere.

Ann. 1204.

Tum alloquium.

CAPVT VI.

Belgica classis, cui Ioannes Nigellanus praeerat, in Palæstinam nauigat. Bina Constantinopolis oppugnatio. Et expugnatio.

§. 1.



Yemem Balduinus cum suis in Græciâ, quà pace, quà bello contriuerat: camdem Flandrica, seu Belgica classis in Massiliæ portu, iuxta Comitis præceptum exegerat. Ineunte porrò vere, contra quàm statutum fuerat, in Syriam vela fecit: maximo Græcanicę expeditionis detrimento, addo & Palęstinæ. Erat nempe ea, supra quàm credi potest, ad omnem casum instructa classis, & plures sanè quàm ad Byzantium milites complectebatur. atque eâ re futurum procul dubio erat, si se cæteris coniunxissent, vt, non Græciam modò, sed & Orientis vniuersi Christi imperio regiones adijcerent; vbi vix quidquam, & ne vix quidem in Palęstinâ prosperè, atque opportunè ab ijs gestum est. Pestilentiâ quippe in Christianorum castris ad Acconem grassante, supra duo hominum millia, si Gunthero credimus, vno die absumpta sunt, &, eodem auctore, tam acre atque præceps sæuiebat malum: vt qui eo corriperentur conuasare, atque viaticum præparare necesse esset, certò intra biduum, triduumue vt summùm, morituris. Ad hæc Barbarorum perfidiâ inducias, quas in menses adhuc aliquot prorogari ex pactis oportebat, contigit infringi, & ij subitò in imparatos, nihilque eiusmodi suspicantes Christianos irruentes, binas eiusce classis naues per vim eripuere. Non impunè quidem eam iniuriam abire nostri siuerunt, & sex omnino Infidelium nauigijs frumento

Margin notes: Villehard. — Belgica classis in Syriam abit. — Pestis ad Acconem. — Gunther.

to alijsque mercibus onustis, quæ subinde capta sunt, prius damnum resarciuerunt; sed tamen quòd morbis alijsque incommodis in dies & robore & numero Christianus laborare pergeret exercitus, grauia atque atrocia ab hostibus perpetiebatur. Ergo ex ijs multi in patriam, non minoribus in viâ defuncti periculis, redierunt: alij & nobilitate sanguinis, & bellicâ gloriâ insignes ad Boëmundum Antiochenum Principem, eumdemque Tripolitanum Comitem, qui cum Leone Armenorum Rege hostiles inimicitias exercebat, se receperunt: sub eius signis stipendia merituri, ac contra Christianum, atque Orthodoxum Regem dimicaturi. ANN. 1204. Redeunt è Palestinâ multi.

§. 2. In viâ pereunt.

Verùm tam inhonestis consilijs Turcorum manu intercessit Deus; eius quippe nutu factum est, vt Barbari, de hâc re moniti, ijs insidias in itinere collocarint: &, tametsi nostri præclarè fortissimeque sese tuerentur: hostium tandem multitudini cesserũt, vel cæsi, vel capti, prope omnes. Atque ex hoc numero fuere Villanus de Nuilly, nulli, teste Villeharduynio, sui temporis homini virtute bellicâ secundus, tum Ægidius de Trasegnies Hannonius, & ipse genuinus, quod aiunt, Martis pullus. Hi duo in eo prælio occubuere. Bernardus autem de Montmirail, Reginaldus de Dampierre, & Ioannes de Villiers in seruitutem abducti sunt, prorsus vt, ex octoginta equitibus nobilibus, ne vnus superauerit, tantæ cladis nuntius, sapienterque plerique aduerterunt, eorum omnium, qui à Societate Cruce signatorum, ex quò Venetijs postremò coalita est, defecerant, ne vnum repertum esse, qui defectionem impunè tulerit. Marte, vel infortunio aliquo, vel dedecore mulctati omnes, cæteris documento futuri securiùs longè esse ad stipitem, quàm ad ramos, ait noster Auctor, adhærescere; hoc est viæ Regiæ potiùs cum sapientioribus pluribus, quàm auijs, atque ignotis tramitibus cum paucis insistendum.

§. 3. E Palestinâ ad socios Legatio.

Gunther. Cæterùm qui Accone supererant, his calamitatibus circumcincti, & ad extremam necessitatis metam redacti, ad castra contra Constantinopolim posita legationem adornant.

ANN. 1204. adornant. Eam obijt Martinus Lintzius Parisiensis in Germaniâ Abbas, quem suprà Romam ab Socijs Iaderâ missum absolutionis causâ, atque in Palæstinam, contra fidem datam, transijsse dicebamus. Ei nobilis in Germaniâ itidem vir Conradus Swartzembergi Aduocatus, quem plurimùm idem Abbas à virtute commendare solitus erat, socius legationis additus est. Et hi, triduo ante Diuo Martino festum diem, Accone soluerunt: atque ipsis anni huius CIↃCCIV. Calendis Ianuarij, Circumcisioni Seruatoris Christi Iesu sacris, portum Byzantinum tenuerunt. Balduinum, cæterosque socios illi orare ingressi, vt suppetias Palęstinis rebus irent, facilè animaduerterunt, vtrâque expeditione inter se compositâ, æquius multo esse, si è Palęstinâ in Græciam Christiani exercitus reliquiæ, quàm hi in eam regionem imparati & inglorij transirent. Ergo dum melior opportunitas sese aperiret, in castris hærere decreuerunt: atque exitum huius belli expectare. Interim dum subsistunt, Alexij mors, atque cum Murtzuphlo colloquium contigere. Nunc ad Murtzuphlum redeat oratio.

§. 4. Ex quo Alexius à Sociorum amicitiâ abduci cœpit; maximè verò ab eius obitu, ea quæ ad bellum erant necessaria sollicitè exercitus Duces prouidebant, seque ad oppugnandam deinceps vrbem Constantinopolitanam accingebant. Restitere nihilominus; & Ianuarium pæne totum, Februarium, insuper & Martium menses, quà in Velitationibus, quà in prædationibus, & colloquijs posuere. Iam ver annum aperuerat, & solemne Christianis ieiunium celebrabatur: quando, coacto Principum ducumque exercitus consilio, in sententias pauci diuersas abierunt. Censebant siquidem nonnulli, quòd muros vrbis propugnaculis militibusque recèns munitos, ipsumque Tyrannum animo, ac rei bellicæ scientiâ non parum Alexio seniore præstare cernerent, temerarium esse tantam denuo vrbem aggredi. consultius fore oppidis metropoli circumiectis, quod facile factu erat, expugnatis: & vicis agrisque vastis,

Trimestri toto se Socij ad oppugnationem comparant.

Villehard. Gunther. Nicet. Bald. epist.

De oppugnandâ vrbe consilia.

Constan-

Constantinopolim incruentâ pugnâ ad deditionem cogere. sed cæteri omnes reclamarunt. vt qui moræ impatientes, quam scirent sibi maximè aduersari, periculi plenissimum aiebant, tot prœlijs, quibus, etsi leuioribus, semper imminuerentur, tamdiu attineri. Difficile, ne dicam impossibile, tantam vrbem fame vrgere: quæ triplicis maris, quo alluitur, beneficio, aditum exitumque liberum præbet: nec nisi ingenti classe, ab annonâ comparandâ cohibere. Demum semel expugnatam, spes, aiebant, & spe auctior animus est, iterum superatum iri. Sibi priorem victoriam machinis potiorem esse; illos pristinæ cladis recordatione etiamnum territos nullam in munimentis salutem collocare. In naues ergo machinas omnis generis inuehunt, scalas, seu pontes in antennis, iuxta vsurpatum prioribus prælijs modum, statuunt. cunctisque rebus ad oppugnationem comparatis, eam in * ante v. Idus Apriles: qui dies in feriam sextam eius Hebdomadis, quam passionis dicimus, incidebat: militibus pronuntiari placuit. Sed antè consensu omnium, hæc decreta sunt, & in tabulas delata. Si Deo Opt. Max. socijs victoriam visum fuerit annuere, vrbemque per vim expugnari contigerit: præda omnis in milites quam æquissimè diuiditor. Tum deinde si eius ciuitatis, atque adeo regionis imperium penes victores constet, * Franci (quo nomine Galli, Belgæ, Burgundiones, cæterique à Venetis distincti comprehendebantur:) sex viros è suis, totidemque Veneti è suâ gente nominanto: quibus iuratis, se quàm aptissimum, dignissimumque dicturos, Imperatoris eligendi ius esto. Huic huiusmodi electo, & inaugurato quarta manubiarum in ciuitate collectarum, iuxta & totius deuictæ regionis pars, vnà cum * Blachernis, atque altero Palatio, quod Bucoleontis dicunt, cedito. Quod reliquum erit, bifariam Francos, Venetosque inter diuiditor, ijque omnes suam quisque ditionem ex Imperatoris fide possidento. Cui descriptioni faciendæ, ne quà fraudi, aut querelis locus pateat, duodecim Galli, totidemque

ANN. 1204.

1. Indicta oppugnatio.

Decretaque nonnulla.

De Imp. legendo. 2.

3. De manubijs.

Ann. 1204 Veneti, probatæ fidei & prudentiæ homines, ex vtriusque partis suffragatione deliguntor. Hi suorum cuique militi, Duci, Principiúe viro pro portione iustissimè, quoad fieri poterit, prædia, possessiones, feuda, officia, muniaq; Imperij, assignanto. Demum non ante exeuntem anni sequentis Martium mensem, vlli ab societate diuelli, aut in patriam redire licitum esto. Qui secus faxit, aut vllam legum harum infractam habuerit, diris deuouetor. Has tabulas Principes ducesque omnes exercitus, cùm suo, tum suorum nomine, vtrimque iureiurando, & sigillo confirmarunt.

§. 5. Oppugnatio vrbis.

His positis ad oppugnationem animum aduertêre. Naues, arma, sed animum inprimis, vti maximè decuit, procurarunt; atque omnes, quia mari dumtaxat vrbem, iunctis viribus, aggredi visum est: annonam, equos, reliquaque impedimenta: dein & se ipsi in nauigia, sexto Idus Apriles imposuere. Mox cuique aciei suæ naues, & triremes attributæ; dein omnes vnâ serie, nec longo inter se diductæ interuallo, obuersis in vrbem proris explicatæ. Iucundum primâ fronte spectaculum: eâ quippe classe dimidium milliare, ab Euergetæ Monasterio, ad Blachernas vsque, mare consternebatur. Murtzuphlus quoque, ne & ipse in tanto discrimine suo officio vrbiúe deesse videretur, rubra * tentoria in tumulo quodam, ad Pantepoptæ Monasterium, figi iussit: vnde & hostium naues, & quidquid illi agerent, conspici poterant. Vt verò condicta dies, Aprilis nona illuxit, velis remisque eodem prope momento temporis, ad vrbis mænia classis contendit. Portum occupandum, catenam socijs infringendam, Græcorumque naues vel arcendas, vel submergendas, capiendasúe fuisse, Guntherus memorat, quòd eæ nostros accessu prohiberent. Primam eum cum alterâ oppugnationem confundere, ex hoc suspicor, quòd Auctores nostri, qui ex visu rem narrant, de his dicant nihil. Varijs in locis sociorum naues appulere; & primo quasi impetu ad ipsa munimenta vrbis peruenere: quibus continuò scalæ

Villehard. Bald. epist. Nicet. Gunther.

4

Appulsis ad muros nauibus decertatur.

scalæ applicitæ, prælium que cominus gladijs, hastisque vtrimque exerceri cœptum: pari animo, iniquiore loco. Nam vt scalæ super nauigia sociorum protensæ, hostibus aliquando terrori & damno æquè fuerant: nunc ab altioribus istis turribus, quibus muros contabulatos esse dicebamus, longè superabantur; ex his quippe Græci nostros despectabant, & multi fere in eos missilia, ignesque Græcos conijciebant. Et numerus ipse munimenta tuentium tantus erat, vt quia in centum, atque eo amplius locis, pugna conserebatur: si qui è socijs paulò altiùs euaderet, creberrimis telis eodem tempore impetitus, fieri non poterat quin saucius plerumque, sæpe etiam exanimis è scalis deturbaretur. Ad meridiem nihilominus durauit oppugnatio; militibus quidem haud quaquam de ardore remittentibus, ducibus verò animi pendentibus: receptuíne canerent, an pergerent pugnare. Neutrum quidem arridebat: & pudebat, Balduinum inprimis, tam recedere ingloriè, quam suos sine spe fatigare. Vt verò non modò repulsam socij passim, sed & cædem pati visi sunt, periculumque esse, ne tota ab hostibus classis funderetur: qui iam etiam machinas nonnullas, ac tormenta maiora nostris eripuerant, prælio finis impositus est; socijque omnes in nauigia, quod ægrè quidem factitatum, magnâ celeritate, periculo maiori, se recepere.

ANN. 1204.

Socij recedunt ab oppugnatione.

§. 6. Vnde sociorum clades.

Societatis Principes ea clades vti vehementer perculit, sic & magnam fecit Græcis audaciam; & illi quidem eam peccatis suis, iusteque irato sibi numini acceptam retulere. Ego verò eiusdem sapientis Prouidæque mentis consilium hâc in re suspicio. Voluit equidem hoc pacto doceri eos, quàm parum ex se quantiuis roboris homines possent, quamque sibi destinatam, breuique obtinendam victoriam Deo soli tribui necesse esset. Deinde etiam palam esse voluit, quo illustrior sociorum virtus appareret, non ab imbelli turbâ, vt quidam fingunt, sed innumeris fortibusque viris propugnatam vrbem, atque Imperium, ab exiguis copiolis ad deditionem perpulsa esse.

ANN. 1204. Noua ij agitant consilia.

Sub vesperam Balduinus & Dandulus militarem senatum in quodam templo haud procul castris posito, contraxere. Varia hinc inde adducta prout variè eius diei clades animos eorum affecerat. Erant qui suaderent alteram vrbis partem, quà Barbyses & Cidaris influunt, quod ea infirmior esset, oppugnari. Veneti intercesserunt, affirmantes maius aliunde, quàm putarent oriri incommodum. Fluuios siquidem illos tanto cum impetu hîc aquas suas euoluere, vt nauigia, nisi anchoris iactis, aut certè continenti remigio, quorum neutrum in prælio, vbi modò standum, modò flectenda liberè nauigia sint, fieri commodè poterat, retrorsum agi, inferneque in Bosporum deferri soleant. Hoc tamen argumentum sapientioribus probatum, plerisque non arridebat: qui, & vento & fluctibus in Aegeum ipsum pelagus, deferri naues optassent; vt pote quibus pensi erat nihil, nisi vt hinc discederent, atque patriam repeterent, quod profectò mirum cuipiam videri non debet: quando tantum, adeoque præsens instaret periculum, ipsis adeo fortissimis viris metuendum. Id demum statuêre, crastinum, qui Sabbati futurus erat, atque Dominicum dies totos consilio agitando, rebusque quæ ad alteram oppugnationem facere videbantur, comparandis, datum iri; idque etiam placuit, vt singulæ naues, in quarum antennis scalę essent erectæ, secundùm latera alteri altera iungerentur, quo sic geminatæ turres singulas faciliùs expugnarent: experimento edocti huic operi vnam solitariam imparem esse, cùm turres, & subiecta ijs munimenta maiorem armatorum numerum continerent. *Villehard.*

§. 7. Vrbis altera oppugnatio.

Die lunæ, Aprilis duodecimo, postridie Dominicæ Palmarum felicioribus auspicijs & successu, quàm præcedens resumpta & instaurata est oppugnatio. Summo manę vrbis muri turresque armatis militibus, non tamen, vt ex vultu coniectare licuit, velut aliàs compleri cœpti. Victores licet, hostium virtutem experti, qualem sustinere summâ vi, & contentione vix potuerant: secundas curas, & *Villehard. Nicet. Bald epist. Gunther. Lozoth. M.S. Cod.*

conatus

conatus alteros, prioribus haud dubiè contentiores, expectabant; atque ex ipso sociorum ore: qui alacres, speique plenissimi, ex aduerso soluebant, formidinem concipere Græci visi sunt. Balduinus naues omnes quæ sua signa sequebantur, vti constitutum antea erat, quasi in classem vnam coëgit; quamuis in ijs, præter Belgas, quòd ij nauticam minùs callerent, etiam Veneti veherentur, & per singulas intrepidè simul & studiosè discurrens, milites suos, potissimùm verò Belgas, ad virtutem atque audaciam accendebat. Modò antiqua eorum facinora, modò patriam, atque auitam ijs fortitudinem obiectabat. Nunc indignam Alexij necem: quam vltum irent Iustitiæ Diuinę munus obeuntes, nunc Murtzuphli, Græcorumque ingratum animum, atque perfidiam: quam pro tot tantisque beneficijs, fide eiuratâ sibi rependerant, inculcabat. De summâ rei agi nunc intelligerent: scirentque aleam iactam esse, ex quâ vel sempiternum opprobrium, Græcis futuri deridiculo, aut gloriam immortalem, diuitiasque incredibiles compararent. Non enim iam, vti aliàs, pro Alexio pugnantibus, aureorum aliquot millia, aut Palęstinæ expeditioni subsidium, sed ipsos Constantinopolis thesauros, totiusque Thraciæ, Græciæ, atque Asiæ Imperium victoriæ præmia esse proposita. Tum verò non cladem nuperam, sed primam eiusdem vrbis expugnationem mentis oculis vti proponerent, iubebat; illam fortunæ, quæ varia est: hanc suæ virtuti adscriberent, Deique inprimis voluntati, cuius, vt læua forsan mens socijs fuerit, nunc eum, expiatis noxijs, iustæ, imò suæ caussæ esse haud dubiè patrocinaturum. Postremò Præconis voce, ei qui primus hostium muros subierit, centum argenti marcas brauij loco constituit. Nemo prope vnus è toto fuit exercitu, qui prœmium minùs, quàm honorem æstimans, primas sibi non proponeret in munimentis hostium superandis.

ANN. 1204.

Balduini oratio.

§. 8.

Prælium.

Mox tubæ belli signum canere, & Boreas quasi coniuratus ad classicum, magnâ vi velis incumbere, sociasque

Anno 1204. naues ad vrbem propellere, & eæ quidem primo isto impetu, longè quàm alterâ oppugnatione propiùs, ad muros admotæ sunt. Atrox profectò & præcedente crudelius prælium exarsit: illis pro libertate, his pro dominatione pugnantibus. Græcis dux, Latinis locus deerat; nam Murtzuphlus spectator magis, quàm actor videbatur: ita segniter officium Imperatoris exequebatur. Nostris cum mari & viris pugnandum erat, & qui ad littus euaserant, vix pedem figere: quia nauium appulsu fluctus inundauerant terram, ijs licebat. Qui scalas muris admouerant, non à viris modò, sed & ab imbelli fæminarum turbâ, igne Græco, quò minùs in superiora eniterentur, prohibiti, solo affligebantur. Balistarij sociorum è nauibus acerrimè Græcos vrgebant: & paulatim turbam præsidiariorum submouebant, dum enim toti sunt obsessi in scalis, quà infernè è littore, quà supernè è nauibus amoliendis, nihil oberat quin in eos, qui è turribus, murisue tantulùm prominebant, nostri collinearent: & in adeo densa capita vanum prope nullum incidebat telum. Iam ad meridiem ventum erat, variâ pugnâ: imò si Nicetæ credimus, in Græcos iterum inclinante fortunâ. Balduinus modò ducem, modò militem agere, manu hostes impetere: exemplo suos, & voce reficere: clamare: vrgere. Et ecce duæ tandem è classe totâ naues, quarum vni Peregrinæ, alteri Paradiso nomen erat, eo quo diximus modo colligatæ, cæteras anteuertêre: & scalas, seu pontem ex antennis, turri, proximè eum locum, quem Petrium dicebant, & vbi Imperator tentoria posuerat, applicuêre. In eam turrim continuò Venetus quidam, & cum eo Andreas de * Iurbise vir in Hannoniâ Nobilis insilijt murali vterque coronâ dignus; cæteris è sociâ naue illico sequentibus, à quibus cæsi fugatique Græci præsidiarij turrim deseruere. Nec omittendum censeo, quod accuratè Balduinus ipse annotauit, his geminis nauigijs vectos fuisse Suessionensem, atque Trecensem Episcopos: primaque è totâ societate Præsulum orthodoxorum

In muros vrbis socij euadunt.

5.

Omnes qui 6

doxorum

doxorum vexilla muris schismaticorum fixa fuisse: atque Peregrinantium voti caussâ Ierosolymam, & * Paradisum, siue æternam beatitatem potiùs, quàm fugacem, & terrenam ambientium, naues Peregrinam & Paradisum, primas hostes è munimentis deturbasse: atque alijs animum, aditumque in vrbem præbuisse. Auctor est Marchantius, Rerum Flandricarum scriptor, Bieruliitanos, quod primi in Bizantij muros euaserint expugnatæ vrbis insignia à Balduino Imp. meruisse; indeque factum esse vt quatuor B. etiamnum in scuto gestent: quibus Græcorum Imperatores innuebant se βασιλέας βασιλέων, βασιλεῦσι βασιλεύων. Hoc est Reges Regum, Regibus Imperantes. Sed profectò neque Nicetas ipse, quem alioquin eius suæ narrationis testem adducit, neque ipse Balduinus, aut alius quisquam idoneus eius temporis auctor vel leuiter eius rei meminit. Hi porrò in turrim inuecti indicibus digitis, manuum plausu, & clamore socios aduocant. Fatigatis hoc spectaculo noui animi viresque additi. Cæteri ergo omnes certatim è nauibus in littus effusi, scalas admouent: ascendunt: præsidium deturbant; & vno impetu quatuor alias turres expugnant; inde in ipsam vrbem desiliunt. Reliqui qui foris erant, tres portas ariete effringunt: turmatim in vrbem irruunt, & millenos, inquit Nicetas, singuli Sociorum in fugam vertunt. Vnum præ cæteris Petrum Plancium idem auctor mirè deprędicat: gigantęę propemodum molis hominem, qui cassidem, turritæ vrbis instar, capite gestans, solo vultu phalangas totas fugare posse censeretur. Audis Græculos ex metu delirantes. Hic cum cæteris, quasi leo ceruorum gregi, Bizantinis instabat, cædebat, metebat. Murtzuphlus acies coram tentorijs disposuerat, & stipatoribus in fronte collocatis, videbatur vel suos tutaturus, vel gloriosè occubiturus. Neutrum præstitit. Vix etenim Petrum illum, eiusque comites laxis equorum habenis, & hastâ in obuios intentâ procurrentes conspexerant: cùm armis abiectis, desertisque munimentis: nam in tumulis stabant, vnde facilè, ni galeati

Ann. 1204. 6.

Marchant l. 1.

In vrbem ipsam socij allabuntur.

Quid Murtzuphlus.

ni galeati

Ann. 1204. ni galeati lepores essent, nostros arcere poterant; quò quemque metus tulit, per auream terrestrem portam plerique diffugêre; alij per vicos, & compita obliquo cursu digressi, in Bucoleontis palatium se abdidere.

CAPVT VII.

Constantinopolis direptio. Murtzuphlus vrbe excedit. Lascaris Imperator eligitur. Manubiæ describuntur.

§. I. Nicetæ questus.

GRassantur in vrbe victâ victores, eo quo solet modo. Nec enim mihi integrum est, aut consultum his immorari. Nicetæ lacrymas, questus, & in Sociorum crudelitatem iactata conuitia, libens permitto. Miseris, & à tantâ calamitate prope amentibus, certè plusculum indulgendum est. Absit tamen vt credam, quod ille fusè prosequitur, loca sacra à victoribus impiè fædata, & conspurcata: venerabiles Sanctorum Exuuias pedibus conculcatas, ipsaque nostræ Religionis tremenda mysteria per ludibrium habita, & humi effusa; calices,& id genus vasa sacra, mensis prophanis adhibita: & sexcenta eiusmodi, quæ nostris Græcus auctor appingit. His temporibus quibus scribimus,à Caluinistis, Zuinglianis, alijsque eiusdem fæcis tenebrionibus in vrbium direptionibus vsurpari, mirum non est: quando ij Diuis, Deoque ipsi bellum indixere. Socij autem, vt dem inter eos improbos plures præcipitisque licentiæ extitisse, qui per fas nefasque pro militum more in victos sæuierint, & sacra indignè contrectarint: nulli certè hæretici, eorum ætate, aut Iconomachi, vel Eucharistiæ impugnatores vigebant: vt tanta sacrilegia impiè perpetrarent. Potissimùm verò sacram Sanctæ Sophiæ

Nicet. Gunther. Villehard.

* Mensam

* Mensam direptam, atque à militibus in frusta dissectam esse deplorat Nicetas. Quæ qualisue ea fuerit in Notis dicam. His ergo omissis ex Gunthero, & Villcharduynio quod in eâ populatione potissimùm accidit depromamus. Nonnulli Græcorum, pauci tamen, varijs è locis erumpentes, &, vt morienti lucernæ vsu venit flammæ aliquid repentè inclarescere, resumptis deficientis animi reliquijs, in nostros inopinatò arma inferebant, eosque prædæ quàm sanguinis auidiores à diripiendâ vrbe remorabantur. Quidam igitur è Germanâ nobilitate Comes, cuius nomen Guntherus eius popularis reticuit; quo se celeriùs ab eiusmodi impedimentis absolueret, experimento edoctus quantùm priori incendio edomita esset Græcorum ferocia: ignem iterum in aliam vrbis regionem subijci iussit. Non imprudenti sanè, & immiti magis consilio, quàm victoribus æquè, ac victis perniciabili. Victoriam namque maturauit quidem, sed attenuauit: & quantùm labori sociorum, tantùm & lucro detraxit. Orienti obiectam ciuitatem, ab Euergetæ Monasterio ea quæ ad mare inclinant, vsque ad * Drungarij ædes illud absumpsit incendium. Perpauci certè in eâ cæde è Græcis corruerunt; Sacerdotibus & Monachis in id studiosè simul atq; vtiliter incumbentibus, vt victores imbelli multitudini parcerent. Quod ita obseruatum est, vt in ipsâ vrbe supra bis mille cæsi non fuerint: atque eorum plerique non à militibus, sed ab aduenis, qui cum mercimonij caussâ Constantinopoli commigrassent, ab eâ subinde per Alexium, obsidionis prioris tempore, expulsi fuerant, perempti sunt. Hi etenim primi ciuitatem, quam exactè nouerant, populari aggressi: & ditiorum domos inuadere moliti, obuios, & obsistere contendentes neci dabant. E nostris verò quod fabulæ propius, quàm historiæ lectori videbitur, mihi verò miraculi simile, vnus dumtaxat: neque hostium telis, sed temerè & casu occubuit. Cum enim vir nobilis fugientium tergis auidiùs, atque incautè hæret, equum calcaribus concitatum, in foueam, &

ANN. 1204. 1.

Vrbis direptio.

Faces in vrbem iniectæ.

2.

Vnus è totâ societate perijt.

Ann. 1204. hiatum terræ altissimum sese præcipitem immisit: vnde viuus nunquam emersit. Cæteri quà saucij quidem, quà integri victoriæ sese seruarunt. Et in ipso in vrbem ingressu, præconis voce capitis pænâ interdictum fuerat, ne quis iniussu ducum, & ante datum signum populari ciuitatem aggrederetur. Vt ergo victoria nostris constare visa est, nec vllus è Græcis vltrà in conspectum datus: cunctis in latebras, vel in suburbana coniectis: tum demum clausæ portæ, & militibus diripiendi ædes facultas est concessa. Hîc senes, mulieres, & tenera puerorum turba domibus erepens, sociorum pedibus accidere: lachrymis atque ipsis etiam victoribus horribili eiulatu, digitisque in Crucis formam complicatis: quo se Christianos, & eo nomine miseratione non indignos profiterentur: clementiam Latinorum prouocare. Et siue: quòd, præter Marchionem Bonifacium, neminem inter duces sui idiomatis gnarum scirent: siue quia crediderant eum haudubiè Imperatorem futurum: magnis vocibus identidem inclamabant, vt refert Guntherus, Ἅγιος βασιλεὺς Μαρχιώ. ô Sancte Rex Marchio. Ijs omnibus porro supplicibus cæterisque omnibus, qui arma posuissent, vita & libertas cum patriâ est condonata.

§. 2. In vrbe socij pernoctant.

Nocte appetente tam à prælio, quàm à direptione fatigatis militibus, periculum imminere visum est, si porrò in tenebris, à se inuicem diuulsi, & fortassis etiam, vt fit, prædę caussâ dissidentes vagarentur; receptui cani iussum est: & in aream laxam, quæ intra vrbis ipsius erat promeria coacti, decreuerunt eam noctem in excubijs quidem, sed iuxta & infra ipsos muros, atque à se subactas turres agere. Reliquam enim vrbem, non ante mensem totum, in potestatem redigere vix spes erat; tanta in eâ erat turrium, arcium, atque palatiorum copia; in queis si præsidia imposuissent, & salutem armis, non fugæ committere ausi essent, nullo negotio non propulsari modò, sed etiam obrui Græcorum numero potuissent. Sed omnes in latibulis sese continuere. Sociorum ergo Principum cuique sua sedes Villehard.

sedes est attributa. Balduinus Tyranni tabernacula occupauit. Erant ea rubra, siue coccinea: cuius coloris vsus penes Imperatores modò, aut eorum singulari priuilegio, paucissimos magnatum erat. A Græcis fortassis acceptum, vt pleraque alia, etiamnum morem istum Turci obseruant. Vnus Sultanus, siue Imperator: tum Bassæ, Beglerbegique, in supremi magistratus notam, rubeis tentorijs vtuntur. Non temerè porrò quis dixerit & hic fortunæ Balduino imminentis omen, tabernacula Regia ab eo prærepta esse. Apud Persas sanè, tametsi cætera passim diriperentur, vnum Regis victi tabernaculum intactum omittebant milites, illudque ij ipsi qui exornauerant, tradito more, victori reseruabant, vt eum victi Regis tabernaculo exciperent. Henricus Balduini frater, pro foribus Blachernij palatij pernoctauit. Ipse verò Bonifacius Marchio, cum suis in maiori ædium populique frequentiâ, atque in ipso vrbis vmbilico stationem habuit. Ludouicum Blesensium Comitem, quartana febris totâ hyeme exedit, & ipso expugnationis tempore, in naui attinuit: frementem licet, & tantam gloriæ segetem à Socijs demeti, cuius ipse ne spicam colligeret, ægerrimè sustinentem.

Ann. 1204. — Balduinus Murtzupli tabernacula occupat. — *Q. Curt. l. 3.* — Principibus cæteris sedes tributæ.

§. 3. Murtzuphli fuga. — *Nicet. Logotheta. Villehard.*

At Murtzuphlus interea dum vrbs caperetur, Petri Plancij, & sociorum iram fugiens, per vrbis compita atque angiportus oberrans, studebat ille quidem populum pauore exanimem, ac palantem sub signa reuocare, & hostibus committere; sed ij neque eius auctoritate, neque monitis mouebantur. Omnes cùm transferendis & defodiendis potissimùm opibus occupati, tum quà ratione fugam arriperent solliciti. Nox interim terris incubuit: & Murtzuphlus, rebus desperatis nihil propiùs abesse sibi cernens, quàm vt in hostes incurreret, vel à suis ciuibus, victoris gratiam aucupantibus, socijs proderetur: copiolis suis, quibus in noctem vsque stipatus, vicos vrbis oberrarat persuadet: se Latinos iam prælio fatigatos, & semisomnos ex improuiso adoriri velle: facilius nihil fore, quàm vt eos de victoriâ securos, atque ideo vigiliarum oblitos,

ANN. 1204. fundat sternatque. Et sanè haud iniquius nostris consilium potuerat excogitare, nec vllum faciliùs exequi. Sed magis ipse ex fatuitate, aut trepidatione, quàm nostri ex somno, laborabat. Certum erat Numini eius scelera vlcisci, eique partum per impietatem imperium auferre. Igitur consilium passus est ipsi suggeri, ne opere verò compleretur, intercessit. Et ille, cùm turmæ expectarent in acies ordinesque disponi, clam in Bucoleontis palatium, quod maius vocat Nicetas, continuò illapsus corradit quidquid isthic rerum pretiosissimum fuit. Tum omnibus in nauigium impositis (siquidem Bucoleontis palatium mari prope alluebatur) conscendit: vnà cum Euphrosyne Alexij senioris vxore, atque eius filiâ Eudociâ, quam deperibat, quamque postea incestis nuptijs, alterâ etiamtum coniuge superstite, sibi copulauit. Dein quicunque è Græcis voluere, Tyrannum secuti mari sese, suaque commisere; inscio Sociorum exercitu, qui lupum, quod aiunt, auribus tenentes vnum maximè cauebant, ne improuisò ab hostibus oppressi, victoriam sibi elabi paterentur. Capta est hoc modo

Vrbe potiuntur socij.

3. Constantinopolis * Aprilis XII. anni secundùm Græcos ab orbe condito sexies millesimi septingentesimi duodecimi: indictione septimâ, feriâ secundâ post Dominicam in Ramis Palmarum: anno igitur Christi CIↃCCIV. Regnauit Murtzuphlus menses duos, dies quatuor. Si prior Alexij iunioris regni calculus exactus est; non verò dies XVI. vt ponit Nicetas, quem in alterutro, vel eius Librarium, errasse certum est.

§. 4. Quis porrò credat in vrbe victâ, ab hostibus occupatâ, exustâ, ambitioni in animis ciuium locum esse potuisse? quis existimet futurum vt de eo sceptro litigaretur, quod in victoris manu positum esset? Quis demum arbitretur, tam cæcâ dominationis, veriùs tituli nominisque cupiditate teneri Græcos, vt in vrbis suæ cineribus, atque in oculis victoris exercitus diadema sepultum ambirent, quod non toto anni vnius curriculo tam funestum tribus Regibus extitisset? Et tamen vt Murtzuphli fuga innotuit, Nicet.

Theodori

Theodori duo, Ducas vnus, alter Laſcaris iuuenes, bello pariter, & ſanguine nobiles, de Imperio contendunt. Conſtantinum vocat Balduinus eorum alterum, & vter quaſſati nauigij clauum teneat, ſeriò diſceptant. In Sanctæ Sophiæ ante ſolis ortum vterque concedit: ſequitur populi turba, & ipſe Patriarcha, cum clero. Diu acriterque rationibus, atque argumentis vtrimque diſputatum: pendentibus Iudicum animis, & cui palmam ferrent ambigentibus. Euicit tandem Laſcaris, & omnium voce prope conſpirante, Imperator eſt pronuntiatus. Abſtinuit tamen ille eiuſmodi Auguſto nomine, & Deſpotes, quàm Imperator, interim dum collapſas res Græcorum reſtitueret, dici maluit. Quid hic titulus ſibi velit dicam poſtea. ANN. 1204. Theodorus Laſcaris Imp. eligitur.

§. 5.

Laſcaris Imperator Græcis datus, vt erat vir, ſi quis alius eius gentis, maximè ad regendum, & bellandum idoneus, cum Patriarchâ in locum, qui Milium dicitur egreſſus, ad confertam ciuium multitudinem verba facit: eoſque vt hoſtibus reſiſtant; tum blanditijs, tum argumentis cohortatur. Numine non parum Græcis propitio factum eſſe contendebat, quòd hoſtium paruæ copiæ in vrbem ipſam, quaſi piſces in ſagenam, vel feræ in retia vltro incurriſſent. Facilius nihil eſſe, ſi modò viri ſint, quàm vt omnes, vel mactentur, vel in ſeruitutem abducantur. Et vt id labore ac periculo prœlium non vacet, at tentandum tamen eſſe, ſi ſe Byzantini ab ipsâ nece, & ſeruitute intolerabili aſſertos velint. Pro aris focisque pugnandum, & moriendum potiùs, quàm crudeli & barbaræ nationi Græcia, hoc eſt ipſius orbis flos, & ſapientiæ domicilium miſeram ſeruiat ſeruitutem. Seruiendum barbaris aut per manum retinendam eſſe libertatem: quod poſtremum operosè inculcabat. Tum ad bipenniferos Danos, Anglos, alioſque Cæſarei corporis cuſtodes, conuerſus, magnis prœmijs, & periculo ijs, non ſecus atque ciuibus, imminente propoſitis, ad bellum aduerſus Latinos, ſecum ſuſcipiendum impellere nitebatur; Laſcaris oratio. Cuncti ciues arma detrectant.

ANN. 1204. sed surdis & his & illis canebatur. Græci in pedibus salutem posuerant: & bipenniferi vrgens illud periculum callidè nundinaturi, nisi persoluto stipendio, auxilium negabant vllum se præbituros esse. Nimirum is est peregrinorum, & mercede conductorum militum hodie quoque vsurpari solitus in externis bellis modus; qui non gloriæ, aut Patriæ amore: sed solius lucri spe ad arma vocati: virtutem, fidemque stipendio, & socij exercitus salutem, imò & suam aliquando, insanæ libidini posthabentes, non semel se cæterasque copias in exitium traxere.

Vrbis direptio.

His ita comparatis orto sole, & luce liquidâ, socij Principes, postquam classicum cani cœptum est, arma & equos expediunt, milites in ordines ire iubent, victoriamque prosequi festinant. Pedites prædę auidos, tubarum & tympanorum sonum præuertisse tradit Balduinus. Iustum hostium exercitum, & vt in extremâ necessitudine assolet, à desperatis hominibus summam vim, atque impetum, quantum anteà nullum, expectabant: certi tamen & ipsi non cedere, mortemque potiùs, quàm turpem fugam oppetere; aut pati sibi palmam in manibus refringi; sed falsi enimuero suâ illi fuerunt expectatione. Vix enim Græci cataphractorum equitum speciem, atque incessum peditum, qui omnes Martium nescio quid, & insolitam vultu, totâque corporis compositione audaciam præseferebant, conspexere: quin Lascaris cæterique eius asseclę, haud aliter quàm ad auroræ exortum noctuæ, bubones, & reliquæ aues lucifugæ, momento diffugere temporis, nec vnus repertus est, qui contra socios staret. Tum primùm nostri, Murtzuphli fugam alicunde edocti, tantam solitudinem mirari desiuerunt. Sacerdotum dumtaxat, atque imbellis populi multitudo Cruces, Diuorum lipsana, atque imagines præferens, supplicantium in morem obuiam victoribus prodijt, atque eorum omnes pedibus prouoluti, manantibus vbertim per omnium ora lachrymis Sociorum animos Balduini maximè, vt erat ad misericor-

Imbelli turbæ parcitur.

misericordiam totus à naturâ factus, vehementer commouerunt. Et verò Principes summo studio, & lege sancitâ cauerunt, ne cuius vitæ aut pudicitiæ, quoad fieri posset, vis inferretur. Cætera militibus permissa. Qui quam die præcedenti occœperant, vrbis populationem confecerunt; eâ moderatione, quam Auctores nostri summe commendant opere: quibus in hac parte maiorem, quàm Nicetæ fidem tribuendam censeo: quamuis & ille legis huius, aduersus stupra & homicidia per Principes societatis latæ, meminerit. ANN. 1204.

Villeh. Distracto igitur sociorum exercitu, & partitis in singulos Principes, vrbis regionibus, Marchio Bonifacius ad Bucoleontis palatium oppugnandum, cum aliquantâ suorum manu sese contulit. Sed præsidium, cæterique qui in eas ædes confugerant, confestim vitam pacti incolumem, deditionem fecere. In eo repertæ plures Principes fæminæ; atque inprimis Agnes Ludouici septimi, Francorum Regis, filia: Alexij primùm Emanuelis filij, tum Andronici coniux: quæ demum post Imperij in Latinos translationem, Theodoro Branæ nupsit. Cum eâ inuenta etiam est Isaaci vidua, Hungariæ Regis soror, quam postea Marchio ipse secum matrimonio copulauit. Multæ præterea ijs ædibus eductæ sunt fæminæ, nuptæ atque innuptæ, magni nominis: ingens præterea auri atque argenti modus. Eodem tempore Blachernæ palatium in potestatem Henrici Balduini fratris venit. Non minores in eo, quàm in Bucoleonte repertæ diuitiæ: quas vtrasque diligenter asseruari, atque ipsas ædes præsidio imposito muniri curauerunt. Qui per ciuitatem populabundi milites vagabantur, nihil intactum reliquere: & abditissima quæque scrutati, magnam pecuniæ vim, suppellectilem omnis generis, pannos sericos, purpuram, pellesque inprimis insolentes, & pretiosas diripuere. Dein quisque, vt libuit, sibi hospitium in primarijs ædibus delegit. Quid porrò ipsi Nicetæ acciderit, de se ipse hunc in modum refert. Multi ex familiaribus meis, illo tristi & verè nefasto die,

§. 6. Palatia vrbis occupantur à socijs.

Nicet. Nicetæ fuga.

Ann. 1204. die, in meam domum propter obscuritatem, aditu difficilem (nam pulcherrimæ & amplissimæ ædes nostræ, in Sphoracio sitæ, altero incendio perierant) confluebant: & alioqui opportunus erat inde in maximum templum, cui vicina erat, receptus. Verumtamen quia nihil imperuestigatum milites relinquebant, vt tempus tulit, rebus nostris consuluimus. Erat mihi familiaris atque domesticus, Venetus quidam natione, qui perutilem in eâ necessitate nobis operam commodauit. Nam armis & militari habitu, pro mercatorio, sumptis, prædatores aliquamdiu fortiter ingressu ædium depulit: quasi si ipse eas prior occupasset. Cum autem illis cateruatim irruentibus, Francis præsertim (quo nomine & Belgas complectitur) qui cæteris, nec ingenio, nec corpore similes, id vnum se vereri iactant, ne Cælum ruat, resistere non posset: & domo, & vrbe discedendi nobis auctor fuit. Ille igitur nos in alias ędes, captiuorum in modum, manibus traxit: vbi à famulis inhumaniter destituti, quinto post captam vrbem die, duobus liberis, qui per ætatem pedibus ingredi vix valebant, in humeros sublatis, cum vxore prægnante, & Patriarchâ Constantinopolitano, magnâque exulum multitudine, die sabbati fugam iniuimus, & Selybriam incolumes peruenimus. Hæc de se Nicetas.

§. 7. Referuntur in commune manubię. Dominantur interim in Reginâ vrbium Constantinopoli, Latini milites, & victoriæ insperatæ, atque incredibilis fructus edunt suauissimos: in altissimâ requiete. Vix illius victorię fidem, nec se ipsi capiunt, adeo insolens præterque rerum ordinem, huiusmodi accidit mutatio: vt extorres modò, pauperes, Venetis obærati, prioris victoriæ per mortem Alexij haud vllum, præter gloriam, emolumentum consecuti: atque ad extremas angustias redacti, momento pene temporis Imperij maximi caput, gazas regias, victoriæ laudem, & decus sempiternum, expugnatâ vrbe munitissimâ, amplissimâ, populo refertissimâ obtinerent. Hebdomadam sanctam (nam in eam Villehard.

cecidit

cecidit Bizantij expugnatio) vereor vt ſanctè, in tantâ licentiâ, & ſolemnis ieiunij finem, delicijs opibuſque circumfluentes ſobriè decurrerint. Haud dubiè in Pæane & Alleluya cantandis, Paſchatis tempus præuerterunt. Eum tamen diem ſacrum, feſtumque, ſi vnquam aliàs, habuerunt: & ſacrificium laudis, ac Euchariſtiæ, ſiue gratiarum actionis, Deo immolarunt: cuius beneficio acceptum ferebant tantum prodigium: quo viginti, vt plurimùm, hominum millia, de quadringentis, eoque amplius militum millibus, validiſſimam ampliſſimamque totius orbis ciuitatem tutantibus, triumpharint, inquit Villcharduynius. Idem Auctor narrat Principes militibus ſocijs edixiſſe, vti ſinguli manubias ſuas repræſentarent, atque in commune referrent: iureque iurando affirmarent, ſe nihil ex prædâ occuluiſſe. Adiecere Præſules anathematis pœnam, ſi qui legem hanc violarent. In eum finem tria vrbis templa delecta: & eorum cuique, è Venetâ, Gallicâque nobilitate viri ſpectatiſſimâ, & optimâ fide, qui prædas cuſtodirent, attributi. Non eâ tamen fide, quâ par erat, ſuas milites prædas retulere. Plurimi ſiquidem, vt nunquam in huiuſmodi rebus non vſuuenit, cupiditate diuitiarum: quæ radix & origo malorum eſt, quaſi peſtilentiâ afflati, pleraque clam habuere: & quibus hactenus Monachorum inſtar, omnia erant communia, nunc pro ſe quiſque diuitijs ſtudere, atque alios pretioſiſſimarum rerum copiâ vt ſuperarent, eniti cæperunt. Quod eis fraudi fuit. Nam quos ob fidem, & ſimplicitatem Deus adhuc amauerat, & læto negotiorum ſucceſſu beauerat: nunc ab eâ virtute tranſuerſum actos, minùs colere, & propter eorum ſocietatem, etiam bonos infortunijs variè plectere aggreſſus eſt. Hæc Villeharduynius, aptè ſanè non ad rem modò, ſed & ad dicentis mores: quos vel ex hâc, ſimilibuſque, quibus hiſtoriam interſpergit, orationibus, conſtat habuiſſe optimos, vir ſanguine, & Chriſtianâ, bellicâque virtute nobiliſſimus. Porrò vt ad inſtitutum reuertamur: præda omnis bifa-

Ann. 1204.

Prædæ diuiſio.

ANN. 1204. riam Venetos inter & Francos, secundum pacta ante prælium inita, diuisa est. Tum ex eâ quæ Francis obtigerat sorte, quinquaginta marcarum argenti millia detracta, & Venetis pro nauli reliquijs pensitata sunt. Quod superfuit in milites, pro portione gradus, aut officij, quod in militiâ gesserant, erogatum est: eo pacto vt equestris ordinis, seu vt aiebant, Armorum vir duplum quàm pedes obtineret: & hic eâdem portione equitem satellitem, aut sagittarium excederet. Qui verò fraude, doloúe malo aliquid è totâ portione surripuisse, vel manubias occultasse deprehensi sunt, graues pænas dedere. Et verò vnum aliquem è suis virum nobilem, eius furti reum in crucem egit Comes Sancti Pauli: scuto (ad maiorem infamiam, & nobilitatis probrum) ad collum appenso. Cohibuit id exempli genus plurimos quidem, sed non omnes. Varij enim, vt solet, maiore cupidine auri, quàm legum religione tacti periculum contempserunt, & euaserunt. Cæterùm missis ijs, quæ in sortem Venetis, aut debiti nomine cessere, aut quæ clam habita in libros rationum relata non sunt: Francis supra quadringenta marcarum, & decem equorum millia obtigere. Quam argenti summam à tantæ ciuitatis direptione, non magni æstimat Vigenerius: ego verò, cum Villeharduynio, paulò sanè maioris. Centum enim marcarum myriades, siue, vt loquimur, millionem vnum in tabulas referri vidimus: tantumdem, siue à militibus, siue à Græcis humi defossum esse existimandum est. Quæ iuncta ducenas myriades marcarum, seu (cuique marcæ vncijs octo assignatis) quadraginta florenorum milliones conficient. His, si libet, adde cùm quę in primâ vrbis expugnatione, duplicique incendio periêre, tum ea, quæ ab Imperatoribus Alexio, Murtzuphlo, Lascari, cæterisquę tam Purpuratis, quàm inferioris ordinis hominibus, quibus per Bucoleontis palatij portum egrediendi, suaque efferendi facultas fuit, aliò transportata sunt; & non immeritò Victorum prædam permagnam fuisse censebis.

Prædæ summa.

CAPVT

CAPVT VIII.

Balduinus Imperator Constantinopolis eligitur.

Villehard.

§. 1.

Electores duodecim creantur.



HIs ita vt dicebamus constitutis, conuocato senatu, prima Principum cura fuit: vt, quo modo ante vrbem expugnatam, statutum fuerat, Imperator è societate vnus eligeretur. Sed eo die tot, tamque varij eâ de re sermones seri cœpti sunt, vt differri placuerit. Id modò cunctis decerni visum est, à toto cętu duodecim viros esse deligendos, qui pro suo iure Imperatorem ex pluribus suffragijs dicerent. Plures haud dubiè eam dignitatem, & honoris culmen ambiebãt: haud tamen obscurũ erat in Balduinum, vel Bonifacium sortem esse casuram. Eâq; perspectâ re ab quibusdam, quà huic, quà alteri parti fauentibus, viris iudicio atque prudentiâ pollentibus, quorum dux erat Villeharduynius, periculo imminenti ij obuiam iêre, cæteros ita allocuti: Haud leuis, commilitones, nobis metus incessit, ne si alteruter è duobus hisce candidatis in Imperatorem eligatur, alter cæterique Principes, qui quàm non indignos se eo munere arbitrantur, tam alteri se posthabitos ferent iniquiùs, suas forsitan turmas secum in patriam abducant, & regionem hanc, atque Imperium multo sanguine comparatum destituant, adeoque in manus Græcorum redire nullo negotio patiantur. Et hoc certè modo quin Ierosolymis fieret parum abfuit. Ægidianus namque Comes prælatum sibi Godefredum Bullonium non ferens, parum habuit suos ipse secum milites educere, ni & alios plerosque omnes socios ad reditum sollicitaret; quo factum est, vt, quia pestiferum inuidiæ virus latiùs serpit, & contagione inficit, potiori militum parte eius exemplum secutâ, parta Christianis victoria fulgetro, quod eodem prope mo-

Villeharduynij oratio.

ANN. 1204. mento temporis, & paret & euanescit, fuisset simillima; ni quam Deus dederat, idem ipse conseruasset. Quando igitur optare quidem nobis magis, quàm sperare licet, qui repulsam patietur suâ sorte contentum fore, eam velitis iubeatis auctiorem esse. Ita Villeharduynius. Certè quidem non tam Balduino, quem nouerant à modestiâ, & temperantiâ commendatissimum, atque ideo prope iam Imperij certum, quàm Bonifacio hoc pacto consultum ij voluêre atque imprimis ipse Villeharduynius Bonifacij studiosissimus. Cæterùm in hanc sententiam concordibus animis à cunctis Principibus & Tribunis itum est: eique, qui è duobus hisce candidatis spe excideret quæcunque trans Hellespontum ad Turcarum regionem pertinent, vnà cum Cretâ Insulâ addixere. Sub conditione eas omnes in Imperatoris fide & clientela terras possidendi. Vt vel hinc constet ante hæc Cretam, quod vult Cuspinianus, Alexij beneficio haudquaquam Bonifacium tenuisse.

Candidatis consulitur.

§. 2. Electores.

Die constitutâ Principum Tribunorumque Senatus in templum coactus, de duodecim viris Imperatorem delecturis, agere instituit consilia. Iustinianus Venetorum Historiographus non veretur affirmare, certum & exploratum sibi esse, quindecim ad id munus delectos fuisse; videlicet pro Venetis: Othonem Quirinum, Nicolaum Nauigaiossum, Pantaleonem Barbum, Vitum Dandulum, & Bertutium Contarenum. A Comitibus Flandriæ, & Sancti Pauli lectos esse Ducem Saxoniæ, Campaniæ Marescallum Villeharduynium, Arnoldum de Marchol, duosque alios, quorum nomina exciderint. Marchionem insuper Bonifacium, Ducemque Sabaudię voluisse, vt ijs Iacobus Nauarrinus, Nicolaus de Pizuolis adiungerentur. Demum electores, an candidatos incertum, adscribit, Comitem Balduinum, cum Henrico Fratre; & Marchionem Bonifacium. Mihi verò, quantùm velit ille reclamet licet, pro comperto est catalogum hunc confictum esse: totamque eam narrationem à veritate longissimè discrepare. Nec enim de Duce Saxoniæ, Iustinian.

aut

aut Sabaudiæ Ludouico, vllus hactenus sermo, nec vllum Sabaudia id temporis Ducem, vel eius nominis Comitem habuit. Ab Flandriæ Historico hi quindecim nominantur: Bethleemiticus, Acconensis, Suessionensis, Trecensis Episcopi: cum Abbate Lucedij: inde Flandriæ, Blesensium, Sancti Pauli, & Briennæ Comites: tum Marchio Montisferrati, cum Venetis quinque: & huic sententiæ subscribit Bergomas. Vterque non rectè. Vt enim taceam perperam Briennæ Comitem hic recenseri, quem constat tum bellis Apuliæ implicitum, huic expeditioni longiùs abfuisse: aliam certe Electorum seriem ipsemet Balduinus in eâ, quam ad varios dedit epistolâ, texuit. Sic porrò ait suis ipse verbis.

ANN. 1204.

Meier.

Bald. epist. in Godofr. Monach. Rubea Vallis.

§. 3. *Rebus quo diximus modo compositis, ad electionem Imperatoris vnanimiter, & deuotè procedimus: atque omni ambitione seclusâ* (ita scilicet pius Princeps de se testatus, haud

1. secus de alijs opinatur) *cum sex* Baronibus Venetorum* (eo nomine viros magnates quidem, sed Principibus inferiores insigniebant) *venerabiles viros Episcopos nostros Suessionensem, Halberstadensem, & Trecensem Episcopos, atque*

2. ** Bethleemiticum: qui à partibus transmarinis auctoritate Apostolicâ nobis fuerat delegatus, eundemq; Acconensem recèns electum, & Abbatem Lucedij Imperatoris nostri, sub domino constituimus Electores.* Pergit porro ipse, & vnà Villeharduynius: Hi omnes iurarunt se fideliter, sincereque nullo amicitiæ, aut fauoris habitâ ratione, quem scirent & Imperio regendo aptiorem, iuxta & socijs omnibus commodiorem, electurum. Dies porrò secunda Maij, anni CIↃCCIV. altera à Paschate Dominica, quæ *Misericordia* vulgò Sacerdotibus dicitur, electioni condicta est.

Villehard. Bald. epist. Nicet.

Electionis modus.

Eo die Principes, & Tribuni, Ducesque exercitus in Veneti Ducis ædes, quas ad regium splendorem, & cultum magnificè extructas, iam verò exornatas fuisse, auctor est Villeharduynius, conuenere. Fora, & vicina his ædibus compita innumerâ mox vtriusque gentis multitudine compleri visa sunt: cunctis ad Imperatoris crea-

Ann. 1204. tionem suspensis, & his illi, alijs alteri, prout cuiusque desideria ferebantur, tam augustam sortem vouentibus. Duodecim-viri in eius palatij sacellum coiere: Ædem
3. * Apostolorum ait Nicetas, qui hæc subdit: More patrio decreuere, quòd quatuor essent candidati (haud alios procul dubio, quàm Comitem Flandriæ Balduinum, Bonifacium Montisferrati Marchionem, Ludouicum Blesensem; atque Hugonem Sancti Pauli Comites fuisse existimo) quatuor calices, quorum in sacris vsus est, tres quidem vacuos, vnum Venerandum Christi Corpus & Sanguinem continentem, super altari constituere: quorum singulos totidem Sacerdotes ad cuiusque Principis nomen tollerent, cui verò sacrosancta mysteria obtingerent, penes eum futurum Imperium. Id porrò consilium postea improbarunt, credo quòd rem tantam sorti committere stultum iudicarent, atque temerarium. Sic ille. Ego verò non arbitror eam mentem Principibus vnquam, nedum Electoribus iniectam esse: quos diximus ante ipsam expugnationem, communi sacramento electionem duodecim-viris destinasse: nec eius ritus meminit Villeharduynius, rem sibi alioquin ex visu exploratam accuratè describens. Et tamen neque id animaduertit Bzouius, Bzouius. neque Nicetam, ne Latinum quidem intellexit, hanc sortitionem reijcientem: sed Balduinum pergit in Annalibus suis dicere casu Imperatorem esse factum.

§. 4. Balduini electio. Duodecim-viri, inquiunt Balduinus ipse, & Villeharduynius, Dei O. M. & cælestium ope suppliciter exoratâ, eodem omnes conspirante consensu, Balduinum Flandriæ & Hannoniæ Comitem, Romano-Græcorum Imperatorem pronuntiarunt: idque, vt cæteris suo omnium nomine indicaret, Neueloni Suessionum Episcopo, demandarunt. Qui confestim cum reliquis è sacello prodiens ad Principum Magnatumque cætum, in maiori Palatij aulâ auidè rei exitum præstolantem, hæc elocutus est: Deo vota vestra & nostra secundante, Illustres viri, vnâ omnium suffragatione Imparatorem delegimus. Quam

vti

vti ratam, quod iuramento promisistis, & fixam esse velitis, iubeatis rogamus. Vobis ipsâ, quâ Christus Mundi seruator, natus est horâ (debuit igitur mediâ nocte id fieri, nisi fortasse secus quàm passim omnes, de Christi natali sentirent) Balduinum Flandriæ & Hannoniæ hactenus Comitem, Romanorum modò Imperatorem pronuntiamus. Quàm læta, iucundaque omnibus ceciderit huiusmodi electio, vna Principum, militumque vox, fausta ei apprecantium, & more patrio, viuat Imperator, acclamantium testata est. Momento temporis hic plausus, tubarumque clangor longè lateque per vrbem vulgatus, ipsos etiam Græcos sensu iucunditatis affecit; & quando exteræ nationis imperium pati eos necesse erat, neminem inter omnes maluisse se, quàm Balduinum sæpe sępiusque confirmarunt. Principes porrò omnes, ducesque exercitus, humeris sublatum, in templum deportarunt. Ipse adeo Marchio, quo sibi eam sortem ademptam, & Balduinum electum esse non grauatè ferre demonstraret, manus etiam admouit, & in ædes sacras elatum, primus omnium rite, vt Imperatorem suum, veneratus est; quo in officio cæteri omnes subsecuti sunt: populis interim identidem, Latinis quidem: Viuat Balduinus Imperator: Gręcis verò suum Polychronion, hoc est: Ad multos annos ingeminantibus. Et is honos Imperatori deferri solitus erat, interim dum solemni pompâ coronaretur; quod diutius differri non est visum, sed sequente Dominicâ, quam *Iubilate* dicimus; septimo Idus Maias Balduinum inaugurari placuit, more & ritu Græco, quo sic eius nationis homines sibi demereretur. Eam ego pompam, ex Cantacuzeno & Codino depromptam, huc referre operæ pretium iudico.

ANN. 1204.

§. 5. Coronationis ritus.

Cantacuz. l. 1. Codin. de offic. Leuncla. Tand.

Pridie eius diei sub orientem vesperam, ad magnum Palatium (quod Bucoleontis esse diximus ex Nicetâ) venit Imperator, cum Principibus viris, & familiaribus suis: ibique pernoctauit. Sub diluculum congregari cœpti proceres exercitus, quem * fossatum Græci dicebant, ac pro- 4.

miscua

ANN. 1204. miscua ciuitatis multitudo. Augustus vero Patriarchæ, vel eius vices fungentibus Apostolicæ sedis Legato & Episcopo, suâ scriptam manu fidei suæ ex formulâ confessionem tradidit. Post hæc ascendit ad amplissimum Palatij triclinium quod appellant Thomaïtes, cuius ad Augusteonem (seu forum cupedinarium teste Suidâ) prospectus est: atque eò vniuersa plebs confluxit. Huic antequam Imperator se conspiciendum præberet, per aliquem de Senatu, cui id ipse munus commiserat, iacta sunt in populum Epicombia. Hæc autem huiusmodi sunt: frustilla ex pannis resecant, & in quolibet segmento tres aureos totidemque argenteos numos, tresque obolos illigantes, in multitudinem confertam proijciunt: eo numero quo Imperatori placuit idque ex Augusteonis gradibus. Spargi solitos, ait Cantacuzenus huiusmodi fasciculos circiter decies mille.

Epicombia.

5. Inde nouus Imperator in * scuto (iuxta veterum Germanorum morem) sessitans tollitur in altum, & à multitudine infra stante conspicitur. Clypeum porrò ipsum tenebant Venetiarum Dux Dandulus, Marchio Bonifacius, Blesensis, & Sancti Pauli Comites: populo & exercitu faustis acclamationibus personante. Tum è scuto demissus, ad Sanctæ Sophiæ templum deducitur. Est autem ibi ędicula lignea, in hunc vsum extructa: in quâ nouum Imperatorem purpurâ & diademate, piâ priùs Episcoporum precatione consecratis induunt. Capitis ornamentum pro suo * arbitratu gestat Imperator, siue sertum illud sit,

In scuto tollitur.

6. seu quiduis aliud. Interim solio, dum peragitur Liturgia, insidet aureo; quod podio pannis rubris strato impositum longè super reliquos eminet. Inter sacrificandum, ex adytis egrediens Pontifex, cum alijs Episcopis suggestum ascendit, & in Crucis formam Imperatoris caput, post multas preces, sacro oleo inungit: præcinente ipso Pontifice, cæterisque Trisagion accinentibus. Tum corona regia, quam Episcoporum plures adytis eductam in ambonē deportarunt, Imperatoris caput à Pontifice coronatur, magnâ voce incinente: Ἄξιος siue dignus; (scilicet est eo fastigio) idemque

Liturgia.

idemque tertio qui in ambone ſunt, & poſt eos populo acclamantibus. Sub hęc Imperator ex ambone: non quà aſcenderat, eâ ſcilicet parte, quę ad ſpecioſas portas reſpicit: ſed ex alterâ, quæ Soleæ (chorum aliqui noſtrum interpretantur) & ſancto tabernaculo eſt obuerſa deſcendit. Hîc adornatur ſupplicatio. Stans autem adhuc foris Imperator, mandyam aureum (chlamydis, ſeu mantelli genus eſt) ſupra purpuram induitur, ac dextrâ quidem geſtanti Crucem, ſiniſtræ ferulam ſeu ramum tradunt. Ad vtrumque latus * Barangi (velut corporis cuſtodes, vel ſtationarij milites) cum ſecuribus; & nobilis armatorum, aut etiam inermis iuuenum circiter centum, compoſitè ſequitur globus: rectaque poſt ipſum ſerie Diaconi & Sacerdotes ordinati incedunt. Peractâ ſupplicationis pompâ, ad thronum redit: ſuoque tempore ad altare accedens, ſacro epulo reficitur. Solebant Græci Imperatores Chriſti corpus accipere in manus, tum ori admouere. Pari modo Chriſti ſanguinem bibebant; non quo vulgus, tubulo in calicem immiſſo, ſed de ipſo cratere, ſeu calice, Sacerdotum more, inquit Cantacuzenus. Num etiam Balduinus ſacra myſteria ſub vtrâque ſpecie participarit, necne, parum habeo affirmare. Equidem quando cum Eccleſiâ Græcâ vtrumque eum ritum potuit vſurpare, quo ſe magis Græcis ille probaret, vſurpaſſe exiſtimo. Diacono & Subdiacono Pontifici ſummo miniſtrantibus, ipſi quoque Imperatori Occidentis, ſi Romam veniſſet, inaugurationis gratiâ, vtraque ſpecies olim concedebatur. Vt vt ſit poſt ſacram ſynaxim celebratam, & panem ſanctum, quem * antidôron vocant, piamque à Pontifice apprecationem acceptam, Epiſcoporum manus oſculatus in locum, qui catechumena, vel catechumeneion, hoc eſt locum in quo catechumeni rei diuinæ operam dant, ſubit: vt ab omnibus repentè conſpectus, fauſtis acclamationibus excipiatur. Poſtremò ſolus equo inſidens, cæteris omnibus ponè ambulantibus, domum reuertitur: ibique accumbit: Magno domeſti-

Marginalia: Ann. 1204. — 7. (beside "dunt. Ad vtrumque latus * Barangi") — Sacra ſynaxis. (beside "ad altare accedens") — Aug. Patri. Franc. Turr. tia. (beside "niſtrantibus") — 8. (beside "& panem ſanctum")

Anni 1204. co, & Despotâ ministrantibus. Quis Despota tum fuerit mox dicam.

§. 6. Christiana cerimonia.

Mihi non fit verosimile omissam in hac coronatione præclaram, & Christianis dignam cerimoniam: quam ab Imperatoribus Græcis obseruari solitam refert Petrus Damianus. Vt regia Imperator accepit insignia, ipso in acclamationum, & canticorum æstu ingreditur: eique sese offert nescio qui, vnâ manu vasculum mortuorum ossibus plenum, ac puluere gestans: alterâ stupam lini subtiliter pexam, ac pilis pensilibus insignem, cui protinus ignem subijcit. Quasi Imperatori cogitandum suggereret: illo quidem, quid ipse, cuiusúe conditionis esset: hoc verò quid iam consequeretur. Hominem sciret se è luto effictum, haud aliter quàm reliquos, in cineres abiturum: nec ita præsenti honoris, & dignitatis specie abriperetur; quin attenderet quidquid vspiam est sub cælo magnum & augustum cum igne rectè comparari; qui stupam radiantem quidem, & collucentem redderet ad breue: corriperet tamen, & in fumum ipsam seque ipse verteret. De cætero Balduinus hoc titulo vsus est: *Balduinus Dei gratiâ fidelissimus Imperator in Christo Constantinopolitanus, à Deo coronatus, Romaniæ moderator, & semper Augustus, Flandrensis & Haynoensis Comes.* Interea verò temporis quo & vxor è Syriâ Balduino repetitur, & ad Europæ Principes, prouinciasq; vniuersas, Belgicam nominatim læti huius electionis nuntij deferuntur: de ipsâ Constantinopoli, pauca edisseram.

Petr. Damian l. 1 ep. xvij.

Finis Libri Tertij.

CONSTAN-

CONSTANTINOPOLIS BELGICA.

LIBER QVARTVS.

CAPVT I.

Constantinopolis origo. Incrementum.

§. I. Commodus eius vrbis situs.



Onstantinopolis, vti supra dicebamus, in eâ Thraciæ peninsulâ sita est, quâ ab Asiâ exiguis Bospori faucibus Europa disiungitur. Eam autem peninsulam efficiunt trina maria: Pontus, Bosporus, & Propontis; portuosa omnia. Quia verò in eas, quas dixi, fauces ipsa prominet: arcem veriùs Europæ, quàm Thraciæ vrbem dixeris; totius orbis emporium nobilissimum, & deliciarum, diuitiarumque propriam sedem. Eius quippe beneficio Euxinum mare cum Propontide & Ægæo fœdus coit atque commercia: totiusque Ponti Imperium Bosporo, ceu vno ostio clausum cohibens, eius diuitias, siue importatas, siue exportatas in suâ tenet potestate.

Auger. Busbeq. iter. Constantinop.

Ad hæc nemo vltro citroque traiectiones Asiæ, Europæque facere potest inuitâ vrbe Byzantinâ: *Videtur* (inquit Busbequius) *vrbi dominaturæ facta à natura sedes.* Cùm sit veluti pons, & porta vtriusque orbis; solum dicerem, nisi Hellespontus esset; qui tamen infinitis prope partibus Byzantino inferior est; vel hoc solo nomine, quòd Euxino Ponto obnitentibus Byzantinis non vteretur. Ea propter tametsi Troya, Cyzicus, aliæque plurimæ vrbes

Cum alijs vicinis confertur.

ANN. 1204. vrbes in Hellesponti, aut Propontidis orâ conditæ caput in cœlum aliquando extulerint: ex quo tamen corruerunt nunquam deinceps vel emerserunt è ruinis, vel decus aliquod nomenque resumpserunt. Hæc fortunæ vices experta sæpius, capta, diruta, & tantùm non sepulta: reuixit semper, ac pristinæ Maiestati restituta est. Libet hic Synesij de eâ elogium attexere, de Morellij versione: *Vrbs hæc est, vt vnius corporis, totius terræ alter oculus, imo cor & vmbilicus, & quidquid dixerit quis in artubus præcipuum. Duarum continentium commissura; maris vniuersi portus; nauigabilis & peruij commercium. Ornamentum perutile Romani Imperij. Neque enim procul est remota extra meatum, vt delubrum: nec Imperatores abducit à communium cura, si vrbi vacent: sed vndequaque, & quasuis ad res appellentibus necessaria statio est, in totius Imperij meditullio. Iam si eam extra vsum consideres; licet habere ob oculos cœtum gratiarum, cestū Veneris, peplum, terra mariq; contextum, epulum festi diei, officinam hilaritatis, penum felicitatis*: Ita ille.

Sinesij de eâ elogium.

§. 2. De vrbis nomine.

I. Byzantium primo vocatum esse constat; à quo, vel vnde non constat. A Carthaginensibus eam conditam vrbem, & Phœnicum nomine * Bethzona; hoc est cauponæ domum, dictam esse scribunt: quia, Philarcho teste, supra Græcos omnes pergræcari, & in cauponis assidui esse Byzantini solerent. A Byzante, seu Byzantio, Megarensium duce veriùs id nomen alij deducunt; qui vnà cum suorum popularium coloniâ leges, atque idioma Græcorum etiam eò transtulerit, non sine Pythij Apollinis ductu. His enim consulentibus, vbi suam vrbem conderent: ille, sedem cœcis aduersam esse deligendam, oraculo respondit. Quâ verborum ambage Chalcedonij monstrabantur; qui priores illuc aduecti Byzantinæ peninsulæ Asiaticam oram longè inferiorem prętulissent. Varijs exinde Principibus, prout fors tulit, paruit; quos prætereo. Id vnum tacere non possum: post Thracas & Bithynos, etiam Gallos subinde in Asiâ dominantes coluisse; denique in singulos annos illis octoginta talenta pensitasse,

Steph. Eustath. Codin. Orig. Synes. Bizarr. Gyllius. Polyb. Diod. Sicul.

Conditore.

Quibus paruerit.

Tit. Liu. l. 38.

pensitasse, vt scias illam vrbem Gallis parere non insuetam, iterum nostrorũ Gallo-Belgarum iugum subijsse. Antoninæ nomen ab Antonino Baßiano Seueri filio inditam, aliquamdiu gestasse auctor est Eustachius. Verum Constantino nomen gloriamque suam æternam acceptam refert. Anno Christi CCCXXIV. Siluestri Papæ vndecimo, Constantinus Imperator exactis Imperij annis nouemdecim; siue nominis gloriæque suæ propagandæ studio, vt ait Sigonius; seu, quod vero propius est, Senatui populoque Rom. offensus: cuius odium Religionis Christianæ professione in se concitarat, nec adhuc minis blanditijsue mitigare, nedum ad eundem veri Numinis cultum adducere potuerat: Babylonem hanc destituere, atque aliò domicilium suum, Imperijque sedem transferre cogitauit. Lustratisque Asiæ, atque Europę Prouincijs Sardicum Asiæ agrum delegit. Deinde Sigæum Promontorium, tum Chalcedonem, postremò Byzantium: ita Zonaras. Cedrenus verò auctor est Thessalonicâ profectum Chalcedonem: iactis vbique vrbium fundamentis. Sozomenus porrò & Zozimus omissis illis vrbibus, inter Ilium & Hellespontum vrbi nouæ condendæ solum sumsisse: fundamenta iecisse, partemque muri excitasse: prodigijs verò quibusdam euocatum Byzantium. Nam vel fabrorum instrumenta sub noctem ab ijs relicta, mane in alteram ripam transferri, cuius operâ incertum, solita esse tradũt nonnulli: vel ipsum perpendiculum ab Aquilâ Byzantium delatum esse, scribit Zonaras. Quod de lapillis memorat Cedrenus. Constantino alij dormienti vetulæ speciem obiectam volunt, decrepitæ, rugisque deformatæ, quæ momento temporis iuuenescere visa sit, & in pulcherrimam puellam transformari. Imperatorem eius capiti diadema, purpuramque humeris adiecisse, Helenamque coram adstantem visam esse Constantino prædicere, hanc vxorem ipsius futuram: eumque formæ nitorem illibatum æternum seruaturam esse. His ergo visis admonitus Imperator Byzantium sese, cogitationesque suas transtulit; & vrbis nouæ ambitum,

[Margin, right: ANN. 1204. — A Constantino M. instaurata. — Prodigia in eius fundatione.]

[Margin, left: Baron. Zozim. Sigon. Zonar. Sozom. Beda. Glyc. Cedren. — Gunther. Appendix ad acta Siluest. — Nicephor.]

Ann. 1204. ambitum, atque pomeria hastâ, siue spiculo præscribere aggressus; inquit Nicephorus, cùm latius ea extenderet: sciscitantibus Architectis, atque comitibus, vbi tandem sisteret; respondit Constantinus: vbi sistet is, qui me ducit, quemque præeuntem sequor. Bonus procul dubio genius, eiusque vrbis tutelaris. Et ad hoc ostentum alludebat, si rectè conijcio, Iustinianus Imperator, cùm melioribus multò auspicijs nouam, quàm veterem Romam esse conditam ait. C de vet iure Enuc l §. sed & si qua.

§. 3. Vrbis dedicatio. Dedicata consecrataque est Constantinopolis Deo Opt. Max. Maij mensis decimo vel vndecimo, Anni Christiani CCCXXX. ritu ceremonijsque, non prophanis & impijs: vt mentitur Zozimus; (qui Constantinum commentus est Idolis templisque dæmonum vrbem adornasse:) sed sanctis & diuinis. Simulachra equidem varia in vrbem, inquit Augustinus, aduexit; non quo ea veneraretur; sed quasi erepta de impietate, & superstitione trophæa, Ecclesiæ pedibus appenderet, aliàs populi ludibrio exposita. Menol Graec Zonar. Baron. Aug. de ciuit. l. 5. c. 25

2. Potissima autem * pijssimi Imperatoris cura incubuit, in reliquias martyrum congerendas, eisque magnifica templa exstruxit. Verum enimuerò sicuti Romæ veteri non ęmulam modò, aut ęqualem, sed & præstantiorem vrbem Eusebl 3.

Noua Roma. condere in animum induxerat; ita & voluit, vt ea Νέα

3. Ῥώμη, * noua Roma vocaretur: edicto in columnâ lapideâ, atque ad Prætorium collocatâ, inciso. Pariter quoq; vti veterem, sic etiam hanc in quatuordecim regiones descripsit, Socrat. l. 1.

4. Capitolio, * Milliario aureo, Circo, Amphitheatro, foro multiplici, porticibus, & id genus ædificijs publicis instructam; & vt inquit Hieronymus, reliquarum omnium vrbium spolijs ditatam atque decoratam. Hieron. chron.

De magnitudine Constantinopolis (sic nempe ab externis semper vocata est, tametsi Græci Romam dicerent) eiusque incolarum frequentiâ, hæc habe ex Zozimo. Zozim.

Eius magnitudo. Maximam vrbem à Constantino ędificatam, eum secuti Principes ampliarunt; Ij enim, quòd in eam, quà negotiorum, quà domicilij figendi, ex vniuerso orbe quotidie infinita

infinita prope hominum multitudo conflueret: pomeria dilatarunt, muris nouis cinxerunt, varijsque priuilegijs & largitionibus cumularunt. Atque in his præcipuè enituit Theodosius senior; de quo agens in oratione quadam Themistius Philosophus: Reuera, ait, Si porrò vrbem hanc deperire pergit Imperator: anno proximo eius pomeria augeri, atque nouos muros extrui necesse erit. Tum verò disputari poterit: Numquid hæc Theodosij ciuitas tantò Constantinianæ præstet, quantò hæc Byzantis vrbem excellit? Hoc autem ita factum esse, ex annis plurimis, quibus post recitatam hanc à Themistio orationem, aduixit Theodosius, conijcio. Et eò rursum euenit, vt è triplici Byzantis, Constantini, & Theodosij vrbe vna noua Roma coalesceret; vt non immeritò, tametsi hyperbolicè dixerit Nazianzenus: vt Cœlum terris, ita cæteris orbis vrbibus Constantinopolim præstare.

Themist. *Gr. Nazia.* Ann. 1204.

§. 4. Ciuium multitudo.

Agath. Socrat. Lips. de magn.

Quamuis verò ad eam magnitudinem sic excreuisset, qualem diximus: at Agathius tamen Iustiniano ætate æqualis, auctor est, adeo densata, & inter se cohærentia fuisse ædificia, vt ægrè aream à domibus vacuam, rara omnino atria, aut cauædia, è quibus liber in Cœlum prospectus, esset reperire. Et vt ex vngue, quod aiunt, leonem; vel ex pollice Colossum metiri licet, ita ex hoc vnico Socratis loco populi Constantinopolitani frequentiam facile lector perpendet. In vetere Româ id instituti Principes tenuerunt, vt plebem egenam, aut tenuem perpetuâ frumentatione pascerent; siue annonam magno labore, atque sumtu comparatam & aduectam populo gratis distribuerent. Eius frumentationis partem Byzantium Constantinus transtulit; & Ægyptiam classem, atque annonam Romæ veteri ablatam, ad eam vrbem & populum applicuit. Constantius porrò eius filius in parte frumentationem hanc abstulit: offensus plebi Constantinopolitanæ ob Hermogenem ducem, ab se eo missum, in seditione interemptum. Mulctauit ergo, inquit Socrates, vrbem: auferens frumenti, in dies singulos à Patre eius adtributi, super quatuor myriadas.

Frumentatio.

Octo

ANN. 1204. Octo enim circiter myriades præbebantur frumenti, ex Alexandrina vrbe aduecti. Octoginta habes clarè, modiorum an medimnorum? millia cottidiana, è solâ Ægypto aduehi in dies solita. Modios vult Lipsius viginti sex librarum singulos. Quorum octoginta millia octingentis hominum millibus alendis sufficiant: cumque ij qui hoc frumentationis beneficio fruerentur, tenuiores essent: cæteros opulentiores si adieceris, infinitus prope ciuium numerus excrescet. At verò quantum ij Principes eius decora auxerunt, tantò maiorem ambitionis, atque adeo dedecoris consciscendi, & demum in exitium ruendi occasionem ciuitati præbuerunt. Constantinopolitani namque Patriarchæ veteris Romæ dignitatis æmuli, & Imperatorum præsentiâ elati, * Oecumenici seu Vniuersalis nomen impiè iuxta, & superbè sibi arrogarunt, Christiq; Vicarij auctoritatem conculcarunt. Quare rectè Michaëli Imperatori Nicolaus Pontifex Romanus exprobrat: Constantinopoli, vt ex latrocinijs & rapinis ditatæ, sic iure Isaiæ comminationem congruere: *Væ qui prædaris, nonne & prædaberis?*

Patriarcharum ambitio.

5.

Isa. 33.

Carceres angusti.

Adde rem dignissimam, quæ hîc commemoretur. Constantinopolis ædificia laxiora multò, atque angustiora reddidit Constantinus; carceres verò & custodias nihil ampliauit. Ampliauit Phocas bipedum nequissimus, eosque omnis ordinis & sexus viris, partem maximam insontibus, cumulauit. Quod exemplum eius passim successores tam hominibus inuisum, quàm sibi exitiabile sunt secuti. Hæc de vrbe quidem; ad Imperij opes nunc excurrat oratio.

Glycas.

§. 5. Diuitiæ vrbis & Imperij.

Orientis Imperium aliquatenus in ipso eius exordio suprà definiuimus; eius incrementa aut decrementa minutim persequi, mei non est instituti. Constat quidem eius Imperij res postremâ ętate per Turcas & Saracenos attritas, cum priori illa felicitate, quâ sub initium suę conditionis fruebatur, haudquaquam esse comparandas; ne cui tamen eò paupertatis & humilitatis sub extrema hæc, de

quibus

quibus scribimus, tempora decidisse Constantinopolis videatur: vt ei de splendore atque opulentiâ pristinâ reliquum fuerit nihil; duo dumtaxat testimonia depromam. Zonaras quidem refert Basilium Imperatorem (vixit ille sub annum Christi, non octingentesimum, vt scribit Lipsius, sed CIↃXXV. vt Curopalata, Baronius, Genebrardus alijque testantur:) totum ærarium & ipsos aditus viasque pecunijs confertim stipatis implesse. Habuit, inquit, in thesauris ducenta millia talentûm auri. Nam alterius pecuniæ nec numerus iniri poterat; adeo vt terræ eam infoderet: ęrarijs aut repositorijs vbique repletis. Quin & arculas habuit lapillis, gemmisque pretiosis plenas, cùm alijs, tum illis, quæ candent, & quas propriè margaritas appellamus. Ducenta porrò millia talentûm auri, ad Lipsij trutinam, reddunt ipsos mille & ducentos milliones. Argentum autem illud infinitum haud infra aurum fuisse, idem Lipsius arbitratur; gemmas & lapillos itidem æquasse: duc calculum, si libet: & sexies ac trigesies centenos milliones reperies, eo tempore quo Saraceni nobiliores Orientis atque Asiæ prouincias, non populabantur modò, sed iam pridem possidebant. Hæc quidem etiam paulò altiora, si cui videantur.

Ann. 1204.

Zonar. Lips. de mag. Rom.

Basilius Imp.

§. 6.

R. Beniamin. Tudel. Itin.

Alterum recentioris ætatis testem dabo Beniaminum Tudelensem Hebræum, vt ferebant tempora, inter suos doctissimum, cuius itinerarium edidit Arias Montanus. Hic talisque vir Constantinopolim sub Emmanuele, hoc est annum circiter Christi CIↃCLXXXIV. viginti antè annis, quàm à Balduino caperetur, cum oculis vsurpasset, de eâ sic ait: Constantinopoli vrbe amplissimâ, & regni Iauan, quod Græciam dicunt, Metropoli: regnat Emmanuel Imperator, cui subsunt duodecim Reges, (*Prouinciarum Præfectos procul dubio intelligit*) & his in eâ vrbe totidem sunt palatia. Vrbs in ambitu octodecim Italica milliaria complectitur; partim ad mare; partim ad continentem sita. Institorum officinis refertissima, qui eò ex cunctis orbis partibus commeant: nec est alia quàm cum hâc conferas.

Emmanuel Imp.

ANN. 1204 conferas, præter * Bagdad Ismaëlitarum, seu Saracenorum
6. Metropolim. Hîc templum S. * Sophiæ visitur, totius
Templum S. Sophiæ. orbis, seu ædis structuram, seu vasa consideres, opulentissimum.
7. Emmanuel verò, super ea palatia, quæ à maioribus acceperat, sibi aliud ad littus exstruxit: Bilbernas
Blacherne. vocant (*Blachernas dicere voluit.*) Huius ædis columnas, ipsos quoque parietes aureis argenteisque laminis ingentibus conuestiuit. In ijsque sua, maiorumque prælia insculpsit. Ibidem solium posuit in quo præter aurum, & gemmas videas nihil: eique corona imminet aurea, paris cum throno diametri, tota gemmis collucens. Subdit postea: in eâ vrbe vidi res, atque opes inenarrabiles; deferuntur enim in Principis palatium, de quo memoraui, quotannis
Tributa regni. tributa, quibus turres implentur, coccineâ purpureaque veste, & auro: ita vt nullibi terrarum par sit congestæ
Vrbis vectigal. pecuniæ exemplum reperire. Affirmatur etiam ipsius solius
8. vrbis vectigal ex * foris venalium, & portu, ac mercatorum pensionibus collectum, ad vinginti millia aureorum in singulos dies accedere. Hæc ille, quæ quidem primâ fronte fidem superant; Hæc enim portoria, & vrbis solius vectigalia septem aureorum milliones annuos, & pœnè quadrantem efficient; vt turres auro, ac gemmis arculas refertas omittam. Tamen ipse Lipsius, vir, si vllus, harum rerum peritissimus æstimator, fidem adhibere non veretur; imò aureos illos veteres fuisse, hoc est duplices ad hos nostros opinatur. Hæc eò Fusiùs narrata volui, quò nonnullos sciolos refellerem, qui vel historiæ inscitiâ, vel libidine alienæ gentis victorias laudesque eleuandi, nulliùs prope tum pretij eam vrbem, Græcumque Imperium fuisse existimant: atque adeo pręclaros hosce Societatis sacræ Principes de Gręcis, quasi de Tartarorum nescio quâ hordâ, aut Heluetiorum Cantone triumphasse; & imaginarij imperij titulos, in Balduinum contulisse arbitrantur: cum ea, quæ in medium protuli testimonia, quæque passim totâ hâc historiâ à nobis commemorata sunt, vel erunt dicenda, fidem faciant non modò ante hanc

hanc memoriam, verum etiam hoc iniquo tempore, quo à Saracenis Turcisque plurimum ærumnarum & detrimenti, Græcorum accepit Imperium, florentissimum fuisse, nec vlli omnino Europæ regno non præferendum; maximè si Principum Christianorum in eo desudasset industria: vt hanc victoriam ipsi suis auxilijs plenam redderent; & quod nullo negotio perfici poterat, Lascari, & Trapezuntinis, cæterisque Regulis edomitis, totum Græci Imperij corpus vni Latino capiti subderetur. ANN. 1204.

CAPVT II.

Electionis Balduini synceritas adstruitur. Patriarchæ electio. Munerum distributio.

§. I. Nicetas refellitur.



IMperatorem, aut Regem nasci felicitatis est, eligi virtutis. Vrbs vrbium, seu Regina Constantinopolis (quo modo eam Græci indigetant,) eique subiectum regnum, hoc est nobilissimæ, ditissimæque Christiani orbis regiones Dei nutu, & virtutis intuitu quidem: sed de syncerâ incorruptorum Iudicum sententiâ: Balduino Valentianensi, Flandriæ & Hannoniæ Comiti capita submiserunt anno CIↃCCIV. Iudices certè fauoris nemo arguerit, quos Venetos, Germanosue, aut Ierosolymitanos dedimus: neminemque ex ijs Belgam, vel aliàs Balduino obnoxium. Cæcutijt profectò Nicetas, quum Henricum Dandulum, ob cæcitatis vitium regno inhabilem, Flandro sortem hanc fingit esse moderatum; quasi verò ille non modò Reip. à prudentiâ, & mirâ in agundis rebus dexteritate commendatissimæ præesse, sed & exercitum ductare potuerit: tam commodum verò Venetis Imperium saltem sortiri nequiuerit.

Nicet.

Dandulus cur Imp. non fuerit.

ANN. 1204 Legationem quippe apud Gręcos obeunti oculorum vsum ademptum fuisse diximus. Id tamen non obfuit, qũin ille à suis ciuibus, qui vtique non oculis, manuũe, sed iudicio ac lingua gubernari regna credebant, Venetorum dux crearetur. Et verò nihil oberat quoque, quò minùs, si non sibi, at Reip. suæ Imperium adeptus, pro Imperatore regeret; & aliorum, filij sui maximè, operâ vteretur; vt oculos ille corporis, & brachia parenti seni: vicissim mentis lumina filio senex accommodaret. Venetis certè eam mentem iniectam esse, & Imperium ambijsse obscurum non est: si modò, quod eorum Historici passim narrant, pacti sunt cum socijs: sibi vel diadema, vel Patriarchales Infulas, si alterutrum Francis obtingeret. Quò maius videri debet ex tot Electoribus, quorum media pars à Venetis erat, altera ex variâ gente, collecta, aliquot saltem sic demereri eos non potuisse sibi, vt huic Reip. Græciam addicerent. Illa enim quo his regionibus vicinior, mariq́ue potentior, eo facilius, tutiusq́ue multò, quàm remotissimorum Belgarum Princeps eas ab hostibus vindicasset, conseruassetq́ue. Ioannes certè Villanus, domo Florentinus, & eius temporis fere æqualis, non modò Gallorum, sed & Venetorum omnium conspirante consensu, Balduinum, propter eius bonitatem, prudentiam, & fortitudinem, Imperatorem lectum esse confirmat. *Io. Villani.*

§. 2. *Balduini laus ex Niceta.*

A Deo sanè Imperatorem accepit Græcia, cuius Numinis consilio, beneficioq́ue tam clarè Balduini virtutes, quà militares, quà Christianæ totâ hâc expeditione in Sociorum oculis radiarunt: vt Diogenem imitari, solemq́ue lucernâ quæritare viderentur, si, non Græci aut Orienti, sed mundo vniuerso alium quàm Balduinum pręficiendum, sibi deligerent. Quas virtutes ipsius Nicetæ calamo appingere lubet. Is enim vbi ea, quæ refutauimus, argumenta proposuit, cæcitatem inprimis, quibus Dandulus Imperio excludebatur, eum Flandro adhæsisse, & fauisse narrat: tum ob alia, tum quod is vtique vir esset *Nicet.*

hilari

hilari facilique ingenio, parumque ambitioso; quiq; Venetorum duci toto studeret pectore, eumque coleret, vt Patrem. Necdum enim, inquit, Balduinus * trigesimum secundum ætatis annum exegerat; & alioqui vir erat in Deum pius, in victu moderatus ac temperans. Aduersus fœminas verò ita se habuit, vt vel ab earum aspectu sibi temperaret, quamdiu à sua coniuge abfuit. Diuinis vacabat laudibus, necessitudine pressos subleuabat, suæ sententiæ aduersantes æquo animo audiebat. Quodque est singulare, bis qualibet hebdomada vesperi pronuntiari iubebat, ne quis in suo palatio cubaret, qui alienam mulierem attigisset. Addit ex alio Codice Wolfius: fortis in quantâuis necessitate, nec vnquam fluctuans. Hactenus Nicetas. Hoc veritas, quæ certè potentissima est, etiam ab hoste testimonium Balduini virtuti expressit: magnum profecto & luculentum, quodque eius Principis memoriam, vt alia deficerent, sacrosanctam & venerandam posteris reddat.

ANN. 1204.

I.

Villebard. Dum Imperatoris inaugurationi parantur necessaria: Bonifacius Montisferrati Marchio Isaaci defuncti viduam, Hungariæ Regis sororem, vxorem duxit. Eodemque tempore Odo de Chamlite Campanus, vir pluribus nominibus commendabilis, maximo omnium, Guillelmi inprimis fratris luctu diem obijt, & in Sanctorum Apostolorum æde honorifico funere est tumulatus. §. 3.

Bonifacij nuptiæ.

Iustinian. Naucler. Cuspinian. Vegner. Statim ab electo Balduino, Veneti Thomam Maurocenum Patriarcham Constantinopolitanum nominarunt; isque continuò Romam, quo à Pontifice confirmari sibi eam dignitatem peteret, profectus est. Quatuor è sociâ classe triremibus stipatus seu in itu, seu in reditu, Epidaurum vrbem (Ragusium hodie vocant) ab Venetiarum potestate, per defectionem abductam, ad deditionem, primamque fidem compulit; Dyrrachium vrbem haud meliora molientem, in officio continuit, præsidio imposito. Tum Constantinopolim appulsus, Balduinum sacro oleo vnxit, & coronâ redimiuit. Ita Veneti, & eos secuti

Thomas Maurocenus Patriarcha Constantinop.

 passim

ANN. 1204 passim Historici narrant; quàm verè, illi viderint. Villeharduynius certè, atque ipse Balduinus vbi accuratè tum pacta ante oppugnationem, tum Imperatoris electionem describunt, Maurocenum ne nominant quidem: & de Patriarchæ electione prorsus tacent; asserunt autem alterâ à Paschate Dominicâ electum; tertiâ verò, quæ in Maij nonam diem ceciderat, coronatum esse. Quî fieri porrò potest, vt vnius alteriusúe hebdomadis spatio, Romam ire & redire, nedum vrbes expugnare Maurocenus potuerit? Iam verò Dyrrachium in Venetorum potestate tum temporis haudquaquam fuisse, ex ijs quæ infra memorabuntur, planum erit. His missis ad ea quæ inaugurationem secuta sunt, me conuerto.

§. 4. Bonifacius Rex Thessalonicæ creatur.

Balduinum Imperatorem rogauit Marchio Bonifacius, vti iuxta ea quæ à Socijs ante eius electionem legitimè fuerant constituta, atque confirmata: eas terras, quæ, trans Hellespontum, sunt Turcis confines, cum Insulâ Cretâ sibi clientelæ nomine possidendas traderet: quod vltrò lubensque Augustus annuit, easque solenni ritu ei addixit. Sed mox parum ipse eâ sorte contentus Bonifacius, institit sibi Thessaliæ regnum dari, quod Hungariæ vicinum rebus suis opportunius duceret. Regis quippe Hungariæ Sororij sui auxilio, & ope futurum esse, vt id Regnum occuparet facilius atque tueretur. Id verò in vtramque partem ancipiti consilio agitatum fuit: multis graue, periculique plenum opinantibus Regem in Imperio creari; quod dignitas illa, & regionis amplitudo Imperatori æmulum posset procreare, resque concordiâ vix bene partas, discordiâ lacerare, vel corrumpere. Euicit tamen non tam petitionis æquitas, quàm ipsa Bonifacij virtus, & nota probitas; à quâ infidelitatem, aut inobedientiam metuere, erat conceptæ à militibus, æque ac Principibus de eo opinioni detrahere. Thessalonicæ ergo Rex inauguratus quo ritu nescio; Latino-Græco opinor. Cęsarem eum aliqui dictum esse volunt; sed eo credo erroris inducti, quòd ab Isaaco antea eum titulum

Villehard.

Nicet.

tulum Frater eius Conradus indeptus esset. Despotam creatum Dandulum tradit Franza; cui facile hâc in parte assentior. Huic etenim viro, cùm plurimum deberet non ipse solùm Balduinus, sed & Societas vniuersa; & tamen definita Venetis portio, non tam illi, quàm Reip. cederet: æquum est arbitrari, cum particulari quapiam possessione eum illi honoris titulum esse delatum. Mihi tamen Despotam Henricum, à fratre creatum fuisse probari non obscurè potest ex sigillo, quo ipse vsus est, dum pro Imperatore captiuo Græciam moderaretur. In eo enim Despota Henricus legitur, quemadmodum in notis declarabo. Despotam quidem apud Græcos eum vocari mos erat, qui primas ab Imperatore teneret. Alter ab hoc fuit Sebastocrator; quod nomen Alexius Comnenus commentus est, quo Isaacum fratrem honoraret. Sebastocratorem sequebatur Cæsar, tum magnus domesticus; inde Panhypersebastus, aliaque id genus nomina veriùs, quàm dignitates aut officia, tum potissimè inuenta, cum senescere Orientis Imperium videbatur, vt quò minus lucis habebat, plus fumi venditaret.

Franza. | Ann. 1204. | Dandulus creatur Despota. | Quid Despota. | Codin. Offi.

Historici Veneti aiunt à Marchione Bonifacio mille auri marcis Cretam suę Reip. esse venditam; eoque cum idem Marchio ad Adrianopolim ageret: Marcum Sanutum, & Rabanum Carcerium esse missos. Quorum operâ fuerit eiusmodi venditio consummata. Villeharduynius quidem nihil horum tradit; & permutatio primæ sortis cum Thessaliâ videtur non modò Regiones Asiæ, sed & ipsam Cretam inuoluere, quibus ipse pro eo regno se abdicarit: quia tamen certum est Cretam exinde Venetorum in potestate fuisse, haud erit absonum opinari Asiaticas dumtaxat terras eum cum Thessalonicâ commutasse; Cretâ Insulâ sibi insuper reseruatâ.

Iustinian. Blond. Naucler. Cuspin. | Creta Venetis vendita.

Thessalonicensibus Latinæ Religionis & gentis homo *Warinus Archiepiscopus datus est.

Monum. Aquic. | Thessalonicensis Archiepisc. 2.

§. 5.

Ludouico Blesensiũ Comiti Nicęam Balduinus cũ ducatus titulo, & subiectâ regione addixit:* Bythiniâ videlicet: cuius

Blesensis D. Nicęę. 3.

ANN. 1204. cuius regia id temporis vrbs Nicæa erat. Renero de Trith

Renerus de Trith Dux Philippopolis.

* Philippopolim Thraciæ, cum simili titulo attribuit Imperator: de quo Renero est quod dicam.

4. Blasius Vigenerius, vir cæteroquin doctus & diligens, Villeharduynium edidit, eo quo ab Autore scriptus est idiomate & stylo; gallico nempe rudi & vetere. Huic ille ex aduerso versionem apposuit, non vsquequaque fidelem: ita passim nomina corrupit. Et vt alia taceam plurima, vbi auctor Renerum de Trith disertè & clarè nominat: Blasius modò de Trecht, modò d'Vtrecht (hoc est Traiectensem ad Rhenum) in suâ reposuit versione; quod videlicet Traiecti nomen, quàm Trithij notius esset. Theodorus Dousa Georgij Logothetæ metaphrastes, tum Leidenses Poëtæ, qui ei in eo opere accinunt, auidè Blasij errorem amplexati vanè sibi de Renerio Vltraiectensi Philippopolis Duce, ciue suo blandiuntur, & applaudunt. Sciant igitur, si lubet, Renerium istum, quem iure meritò ab incredibili patientiâ, fide inuictâ, summâque in obeundis periculis audaciâ cum Villeharduynio ipsi dilaudant, Valentianensem fuisse, eius vrbis VI-virum siue Parem: Trithij, qui vicus est, vix primo ab eâ lapide ad Scaldim, toparcham. Et coram hoc Renerio, cæterisque Valentianarum Paribus: cum inter Flandrum, & Hannonem dissidia suborirentur, bellumque instaret (de quibus obiter sub annum à Christo nato CIƆCLXXXIV. meminimus) Iacobus Auesnensis, cuius meritò fides in suspicionem vocabatur, sacramentum dixit. Hic idem inter Iudices cooptatus, de duello Gerardi à S. Auberto, contra Robertum de Beauren sententiam tulit; & Balduino domi militiæque assiduus fere comes adhæsit: eumque cùm Vormatiam ad Imperatorem, tum in Galliam sæpe: ad extremùm in Græciam secutus est, teste Gilberto eorum temporum æquali & Guisio, qui & alibi sæpe de eo viro multa commemorant. Idipsum in Vigenerio annotauit Aub. Miræus correxitque. Hæc dixisse sufficiat, vt eum à Traiectensibus vindicatum, ciuibus meis vnà cum ipso Imperatore

Renerius de Trith Valentianensis asseritur.

In Notis ad l. 1.

Not. ad l. 1. c. 4.

Not. Eccles. Mir.

Imperatore Balduino afferam. Quæ porrò alijs Principibus viris, ducibusque exercitus sors obuenerit ex ipsâ narrationis nostræ serie elici poterit: nec enim ante Septembrem exeuntem generalis terrarum Imperij diuisio peracta est. Ann. 1204.

§. 6. Reliquias SS. varia in loca Balduinus destinat.

Vt igitur socijs pro cuiusque dignitate & merito factum est satis: alterum Balduini studium enituit in largitione tum sacræ, tum prophanæ suppellectilis, quam ad Europæ varios Principes transmisit. Quo cunctis testatum faceret, quàm altè esset euectus, quamque opulenta illa foret regio, quâ iam potiri quidem aggressus esset: sed aggressus tantum: & cui perdomandæ suppetias à Christianâ nobilitate imploraret.

Bzou. Epist. Innoc. — Ad Innocentium PP.

Primùm ergo Innocentio Pontifici Max. hæc munera destinauit: Carbunculum pretij mille marcarum argenti: cum annulo & gemmâ haud multò minoris. * Hexamita quinque, altari vestem pretiosissimam; statuas binas: ex auro vnam, pondo trium marcarum, argenteam alteram marcarum decem: cum insigni Sacrosanctæ Crucis particulâ, gemmis magnificè exornatâ. Duas alteras Cruces opere & materiâ spectabiles. Gemmas topasios, smaragdos, & pyropos numero supra ducentas. Vas è crystallo, cantharos argenteos duos, sacellam cum ampullâ, atque arculas binas, argentea omnia, & in his argenti marcas quinquaginta. Hęc omnia Barrochij cuiusdam Templariorum in Longobardiâ Præfecti (Priorem ipsi dicebant) fidei commissa sunt; hic verò in ipso Methonis portu in Genuenses incidit, à quibus hi thesauri direpti sunt: subinde tamen Pontifici reposcenti redditi. 5.

Rigord. — Ad Philippum Fr. Regem.

Philippo Augusto Francorum Regi plurimas Diuorum reliquias transmisit, quas ex Bucoleontis palatij Sacello eruerat. Eiusmodi autem sacra pignora in vnâ vrbe Constantinopolitanâ plura fuisse Villeharduynius affirmat, quàm in reliquo Christiano orbe toto. Narrat verò Rigordus eius æui scriptor, & oculatus testis, non antè à Philippo Augusto eas receptas esse reliquias, quam ille

ANN. 1204. animum suum ieiunijs, & longâ precatione præparasset. Erant autem eiusmodi. Pedalis viuificè Crucis pars: Christi pueri capilli. Spina vna è coronâ illâ horridâ, quâ Seruatoris caput redimitum fuit. Panniculus, quo Christum in præsepi mater inuoluit. Purpureæ eiusdem chlamydis pars. S. Philippi Apostoli costarum vna, & dens vnus. Dionysiani Monachi quibus hæc pretiosa Philippus donauerat cimelia, supplicationis in modum, & pedibus nudis ingressi ea receptum processere, atque in æde suâ honorificè deposita, etiam hodie asseruant. Niuelo Suessionensis Episcopus reliquiarum itidem vim magnam, ab Imperatore Balduino acceptam, S. Ioannis Suessionensis, quem ad vineas dicunt, Cœnobio donauit. In quibus multum eminent Brachium S. Ioannis Baptistæ, & caput S. Iacobi de Perside.

Petrus le Gris Chron. S. Ioan. ad Vineas.

Digitus D. Ioan. Baptistę Valentianas defertur.

6\. Eiusdem Imperatoris dono nescio qui (nomen vtique non proditur) vir apud Belgas nobilis Diui * Baptistæ digiti articulum acceperat. Hic domum repetens inter maris nauseam, & longæ nauigationis incommoda cum morte conflictatus Petro cuidam Valentianensi ciui ex testamento hasce legauit reliquias, & obijt. Eas Petrus postea eiusdem Præcursoris Monasterio, quod est Canonicorum Regularium in eâ vrbe, concessit anno Christi CIↃCCXXI.

Lud. Fontan. S. Ioan. Monum.

§. 7. Et quando reliquiarum meminimus haud magis erit absonum eas sigillatim enumerare, quàm melioris etiam notæ historicis fuerit, quot in victis vrbibus auri, argentique talenta, quot purpuræ pondo, aliaque id genus rerum pretiosissima victor aliquis repererit, enarrare.

A Mohano Comite multas Varij accipiunt.

Mohano Comiti Ierosolymis in Belgium redeunti Henricus Balduini frater multa largitus est, quæ ille quadrifariam diuisit. Et quidem S. Lamberto Leodiensi gemmas plurimas, nempe sapphiros LXXIX. pyropos XXIV. smaragdos XXX. topazios C & L, vndecim Chrysolitos donauit. Philippo Namurcensium Comiti Balduini Imp. fratri dentem S. Petri Apostolorum Principis molarem. In cuius rei gratiam idem Philippus sacellum in

Vltramos. Brustem.

arce

arce Namurcensi exædificauit, & D. Petro dicauit. Crucis Christi partem Mohanus Floressiæ dedit; & demum D. Gertrudis Sacello, quod Mohæ est, lipsanothecam sacris Martyrum ossibus refertam, quam Ioannes Arkelensis Leodiensium Episcopus, vacuam reliquit. Ann. 1204.

Sacrar. Namurc. * Philippo itidem Namurcensi Henricus frater per Danielem Sclaussinum Imperatori à manibus, quem ad eum amandarat, hæc munera deferri curauit: Magnam sacri ligni partem aureæ & gemmatæ Cruci inclusam. Spinas aliquot è Christi coronâ. De eiusdem purpurâ, panniculis, & linteo, quod lauandis discipulorum pedibus præcinxit. De Deiparæ zonâ. Pars capitis D. Pauli, & D. Iacobi Minoris Apostolorum, gemmasque permultas. A Neuelone vel Niuelone autem Suessionum Episcopo idem Comes Christi sanguinem venerandum, qui in D. Albani æde Namurci colitur, accepit. §. 8. Namurci quæ sint. 7.

Ibidem.

Petr Herental. Catal. Abb. Floreff. Sacrar. Namur. Floressiensi Asceterio Præmonstratensis ordinis, cui olim ipse se deuouere, sacrumque habitum assumere in animo habuerat, multas quidem Henricus Balduini frater reliquias transmisit: inprimis autem Crucis viuificæ frustum auro scite illigatum. Quod anno inquit Herentalius, primùm CIↃCCIV. (seriùs id factum oportuit) dein etiam CIↃCCLIV. eiusdem ligni Inuentioni sacro die copiosum sanguinem stillauit: qui lineis pannis exceptus varijs hodie in locis magnâ cum veneratione asseruatur. Floressiæ.

Monumen. Traiect. Ægid. de aur. Val. 8. * Traiectum ad Mosam Belgij oppidum Byzantio item asportata est Crux geminata, ex auro gemmisque artificiosè confecta: quæ partem eiusdem Christi Crucis continet. Tabula item aurea Diuorum reliquijs scatens; quam olim Constantinum Magnum, cæterosque deinceps Orientis Imperatores ad pectus gestasse fama est. Vtraque in D. Virginis æde Traiectensi colitur. De quâ in Notis fusiùs agendum erit. Traiecti ad Mosam.

Monum. Aquil. Dentem S. Ioannis Baptistæ Phanopinensi Cœnobio: pedem integrum Sanctæ Marthæ, cum alijs non paucis Diuorum lipsanis à Balduino Imperatore dono acceptis, Aquileiensi.

 * Warinus

ANN. 1204. * Warinus Thessalonicensis Archiepiscopus Aquicinctensi in Belgio Monasterio largitus est.

9\. Ambiani. • Vt verò in vrbium direptionibus multa clam surrepta alio quà à victis, quà à victoribus deportari solent: Græcus quidam è Byzantinis clericis, cui nomẽ Gallo fuit, Ambianum anno Christi CIↃCCVI. S. Ioannis Baptistæ caput attulit. Alij Laudunum S. Laurentij brachium, Huum coronę spineæ fragmentum: Dalmatius de Serciaco, & Pontius de Busseriâ Cluniacum S. Clementis Papæ & Martyris caput transtulerunt quod anno Christi CIↃCCVI. cum Thessalonicâ Constantinopolim delati essent, in eâ vrbe surripuerant. *Vltramos. Mag. Chron. Belg.* *Biblioth. Cluniac.*

10\. * Eximium est Lætiense in Hannoniâ sacrarium: in eoq; Henrici Constantinopolitani Imp. donum sacræ maximeq; spectabiles asseruantur reliquiæ numero fere infinitæ. In ijs eminet Crucis viuificæ pars; item arundinis, spongiæ, lanceæ, coronæ spineæ præsepis, sepulcri, panniculi, vestis albæ, vestis purpureæ, columnæ, vinculorum; quæ omnia Christus viuens, aut patiens diuinæ suæ carnis contactu honestauit. Præter hæc Dei matris, & cuiusuis ordinis, atque ætatis sanctorum vtriusque legis in eo reliquiæ reconduntur: quas fere Henrici Imp. munificentiæ adscribunt. Martinum Lintzium in Germaniâ Parisinum Abbatem Lipsanis sacris onustum Constantinopoli ad sua redijsse refert quidem; quę verò ea fuerint non prodit Guntherus. Et de his quidem satis. *Monum. Laetien.* *Gunther.*

CAPVT



CAPVT III.

Mariæ Campanæ obitus. Copiæ sociorum Constantinopoli eductæ. Murtzuphlus à socero excæcatur. Balduini cum Bonifacio dissidium.



AD cumulum felicitatis & gaudij, Balduino deesse nihil videbatur, quàm vt charissimam sibi coniugem, quę in laborum communionem ita venire cum eo voluerat, vt longam molestissimamque simul, ac periculi plenissimam nauigationem susciperet: etiam coronæ & purpurę suæ, dignitatisque participem faceret. Illa quidem, obtentâ, vti dicebamus, à marito discedendi veniâ, eandem cum ipso expeditionem & iter suscipere ardebat: ne quà vel tantillum ab eo abesse cogeretur. Quia tamen nondum enixa fuerat; & Balduinum Venetijs condicto die adesse, & curare oportebat, diuelli ab eo tantisper, vt arbitrabatur, sese passa est: eique vale non adeo mœsta fecit: tametsi illud postremum fuit. Pòst paulò alteram Valentianis, vbi & Ioannam antè pepererat, puellam edidit, quæ in D. Ioannis æde baptismatis sacramento initiata, & Margaretæ nomen sortita est; rexitque, post Ioannam sororem, Flandriam atque Hannoniam satis turbidè. Mox à puerperio cum Ioanne Nigellano Brugensium Prætore soluit è Flandriâ, & Massiliam appulsa est. Inde Nigellano, reliquisque classis ducibus Methonem Peloponnesi, vti Balduinus præceperat, abire renuentibus Ptolemaïdem, seu Acconem delata maritum auidè, patienter tamen operiebatur. At verò vbi is Constantinopolitano bello longiùs quàm sperauerat prouehebatur: ea enim verò mo-

§. 1.

Ann M.scr. Diploma. Margaretha Hist. Valent.

Maria Margaretam Valentianis parit.

Ptolemaïdem appellit.

Ann. 1204. ram illam paulò iniquius ferre, & prope iam obedientiæ suæ, cui potius quàm amori indulsisset, pænitere. Recreauit tamen illam subinde de expugnatâ primùm, tum etiam de occupatâ Constantinopoli nuntius: sed incredili quodam gaudio affecit Balduini in Orientis Imperatorem electio. Ipso namque propemodum, quo is legebatur, momento expeditissimum Balduinus in Syriam paronem misit: quo vxorem huiusce rei faceret certiorem: significaretque, se non tam sui, quàm dilectæ coniugis gratiâ de adeptâ dignitate gaudere, quam cum illa communicaturus esset.

Tum deinde vt licuit naues aliquot ipso cultu in regium modum exornatas, virisque cùm è Belgicâ, tum è Gallicâ, Græcâque ipsâ nobilitate instructissimas destinauit: qui eam Constantinopolim adducerent, solenni pompâ coronandam.

§. 2. Moritur. Verùm siue insolitus nouæ huius felicitatis sensus tam diuturnâ absentiâ mœstam atque afflictam violentiùs, quàm ea ferendo esset, affecit: siue febris, quâ iampridem implicabatur, confecit: non eâ quidem ex abortione, (vt falsò quidam scripserunt: quandoquidem vel ante editam Margaretam à viro semper abfuit:) sed ex auræ intemperie, atque æstu insolenti contractâ, antè paulò è vitâ discessisse Legati compererunt, quàm illuc appellerent. Huiusmodi Maria Campana mortem obijt, ingratam quidem vel hoc nomine, quòd maritum postremò alloqui, eique gratulari non licuisset; at eo tamen leuiorem, quod tali in loco Balduinum relinqueret. Et illa quidem in ipso felicitatis limine, quam ex auditu solo perceperat extincta est; vir eius primoribus labris degustatam breui expuet. Cadauer eius de more conditum, & plumbeo inclusum sarcophago Constantinopolim Legati detulerunt; vbi solenniter funeratum esse, & in S. Sophiæ tumulatum asserit Oudegherstius. Quod vero non est absimile, tametsi auctor noster eam rem subticuit. Coniugis proculdubio, tum ob castitatem, tum ob prudentiam singularem, aliasq; animi

Oudegh.

animi pręclaras dotes sibi charissimę mortem grauissimam, atque acerbissimam quidem, eâ tamen quâ talem virum decebat, constantiâ tulit Balduinus. Et quamquam ipsum ætatis Ver ageret, suaderetque recèns initæ dignitatis ratio, per nouas nuptias hæredem successoremque maturare imo firma imperij munimenta; (hæc enim Tacitus in numero liberorum constituit) nunquam tamen deinceps id cogitauit; quin statuit ipse, quam fidem amoremque Mariæ viuenti dederat, à mortuâ nequaquam auellere; & quod erat reliquum vitæ cælibem traducere, quo supremo Numini arctiùs adhæresceret. Ann. 1204.

Tacit. l. 4. hist.

§. 3. Murtzuphlus sese colligit. Latinæ copiæ in eum ducuntur.

Villehard. n. 1.

Murtzuphlus interea Debeltum sese receperat. Alij vt libuit, aut vsus tulit, Græcię Purpurati, quà cis, quà trans Bosporum dilapsi, res Imperij dissipatas vel colligere, vel sibi quisque earum partem subijcere meditabantur. Nec deerant qui Murtzuphlo seipsi, viresque suas coniungerent. Quorum ille auxilio fretus, & quasi è graui somno euigilans Heracleam (Herculoten vocant nostri) in Cherroneso ciuitatem, quæ Balduino parebat, intercipit, atque diripit hostilem in modum. Eo cognito Constantinopoli ad arma conclamatum. Quantulacumque mora hosti erat opportuna; quâ nutantes populos, atque incertos cui se dederent, primus occuparet. Non omnes tamen copias educere consultum videbatur, ne qua Byzantinis, quos solus in officio, atque fide, si quam habebant, timor continebat, defectionem moliendi ansa præberetur. Ita ergo agmina sunt distributa: decretumque, vti Ludouicus Blesensis, quòd à morbo nondum penitus conualuerat, cum Conone Bethunio, & Dandulo, quà in Blachernis, quà in Bucoleonte palatijs vrbem tuituri remanerent. Gaufredus Villeharduynius, cum Milone de Braibans, & Manasse ab Insulâ, eorumque copijs Imperatorem in eâ expeditione comitarentur. Priùs verò quàm ij ex vrbe discederent, Henricum fratrem Balduinus cum centum lectissimis equitibus nobilibus (exiguâ profectò, atque longè impari tam arduis, atque intricatis initijs manu) præire

ANN. 1204 præire iussit; qui oppidatim fidem & sacramentum à singulis Imperatoris nomine excepturus discurreret. At hîc quidem mihi monendus videtur Lector: vt cum centum hastatos equites, siue cataphractos ad tam arduas expeditiones mitti: aut eos iustas profligare copias, atque vrbes expugnare in hâc narratione audierit; non continuò sibi animo fingat centum dumtaxat eiusmodi virorum manipulum, omni prorsus nudum præsidio educi, ac millibus aliquot hostium opponi. Id quippe fabulam potiùs, quam historiam redolens, fidem non reperiat. Verum sciendum est ex antiquo Gallorum instituto singulis eius generis equitibus alios cùm milites, inferioris illos notæ quidem: sed in equis tamen etiam pugnantes: tum pedites adiungi solitos esse pauculos. Vt cum centum equestris ordinis viros dicimus: sexcentorum, aut non multò secus, capitum turma ex consequentium ratione, intelligenda veniat. Ad hæc, vt ad institutum redeam: sub sua Henricus signa, extra eum de quo memorabam, numerum: quem militaris eius temporis ordo postulabat, gregariorum aliquam militum turbam augendo numero quin habuerit, nullus dubito. Quia tamen ex his & illis conflatę copiæ prorsus erant exiguæ: & totius robur exercitus à cataphractis illis petebatur, horum tantummodo ratio haberi, numerusque iniri solebat. Et Henricus quidem non feliciter minùs, quàm strenuè munus obiuit suum: ciuitatesque has continuit in officio, illas ad id deficientes reuocauit; Adrianopolim inprimis vrbem magnitudine, & opibus insignem ad Hebrum fluuium, centum viginti circiter milliaribus Italicis Byzantio dissitam, de quâ pluribus suo loco agendum erit. Hanc igitur vrbem Henricus tametsi nullas propemodum copias duceret, partim minis, partim blanditijs in potestatem Balduini redegit: ab eaque fidei recepit sacramentum; tum in eam cum copiolis suis ingressus fratris aduentum operiri constituit.

Cataphractis equitibus alij semper additi.

Henricus Adrianopolim occupat.

§. 4. Murtzuphlus qui non longè agebat, Henrici aduentu cognito, tridui itinere ab eo per fugam dilapsus, propter Mosyno-

Murtzuphlus à soceto excæcatur.

Logoth. Nicet. Villehard.

Mosynopolim (quasi dicas turritam vrbem) constitit. Ann. 1204.
Huc porrò antea diuerterat Alexius senior, Isaaci frater. Ad eum ergo Murtzuphlus mittit, qui suo nomine omne ei officij, & opis genus offerat; rogetque num se ipse vti in commune patriæ commodum velit. Gratissimum sibi eius aduentum esse renuntiat Alexius. se illum, perinde vt erat, generi loco habiturum: Eudociam siquidem is Alexij filiam duxerat. Accedit igitur propius Murtzuphlus, & sub ipsa vrbis mœnia, vbi castra fixerat, cum socero colloquitur. Data inuicem, & recepta fides; icta fœdera; nihil vltro citroque ad amicitiæ, & societatis confirmationem desideratum. Hocque pacto dies aliquot illo foris, hoc in vrbe remanentibus extracti Alexij dolo; dum Murtzuphlo metum omnem, atque suspicionem mali tolleret. Vt id constitit; cum Alexius in vrbem inuitat, epulo admouet, inde ad balneum inducit; quo vix pedem intulerant, cum soceri iussu infelix Murtzuphlus ad terram affligitur, eique oculi exculpuntur: haud aliâ de causâ, quàm quòd tam impio homini Eudociam parente insciente nupsisse indignè ferret Alexius. Cethegum scilicet Catilina, Verres Clodium accusat. At vide; ambo te, mi Lector, inquit Villeharduynius, num clementer haberi mererentur eiusmodi homines, qui in tantâ, tamque generali patriæ calamitate inter se nullâ cognationis habitâ ratione tam impiè, crudeliterque sæuirent. Murtzuphli porrò milites variè dispersi sunt, nonnulli Alexio se adiunxerunt.

§. 5. Balduinus Græciam sibi subijcit.

Interim felici passu Thraciam obibat victor Balduinus, & ciuitates omnes atque oppida ad deditionem compellebat. Didymotichum ad Hebrum fluuium (pro quo Nicetas corruptè Eurum ponit) Philippopolim, aliasque occupauerat vrbes, & Xanthiæ imminebat: quando eius regionis incolæ Duce Sennacheribo insidias ei opportuno in loco comparant. Et verò in eas incautus se induturum ibat Balduinus, si tam fortes quàm astuti hostes fuissent. Sed sic vel armorum fulgor, & equorum hinnitus Græcu-

ANN. 1204. los terruere, vt incompositi, solutisque ordinibus in fugam ierint præcipites, & se pauidi in latibulâ abdiderint: Tandem Adrianopolim, siue Orestiadem peruenit Balduinus, in eamque à fratre Henrico admissus aliquantisper se suosque refecit. Huc de excœcato Murtzuphlo fama delata, Sociorum Principes in Græcos, quos nouis in dies experimentis feros & immites esse noscitabant, vehementius accendit. Et plerique omnes vt Mosynopolim Balduinus confestim cum omnibus copijs adoriretur, in eâque Alexium occuparet, suadebant. Intercesserunt Adrianopolitæ, sibique copiarum partem præsidio relinqui flagitarunt, quo se à Ioannizę Valachorum, & Bulgarorum Regis incursionibus, quas ille frequentes exercebat, defenderent. Ea propter Imperator Eustachium de Saubruic Belgam, egregium in paucis ducem cum quadraginta equitibus nobilibus, & sagittarijs itidem equitibus, seu satellitibus centum ei vrbi præsidio esse iussit. Tum deinde Mosynopolim festinauit; locorum vrbiumq; interiectarum incolis obuiam ei passim prodeuntibus, suaque illi permittentibus, quod & Mosynopolitani pręstiterunt, eumque in suam vrbem, quâ iam antea Latini exercitus appropinquantis metu Alexius fugerat, Balduinum receperunt.

§. 6. Bonifacius à Balduino dissidet.

Hîc Imperator Marchionem Bonifacium, lentius ob vxoris & puellarum comitatum, incedentem præstolatus est. Qui mox eòdem appulit: & in ipsius vrbis conspectu propter fluuium tentoria sua fixit. Imperatorem sequenti die salutauit; rogauitque vti promissis, pactisque initis *Villehard.*
stare vellet. Ad se recentem nuntium à Thessalonicensibus transmissum significare pacata isthic, & tuta esse omnia aduentum suum auidè expectari, rogarique vt eius regni possessionem adire festinet. Neminem prorsus esse, qui ei sacramentum dicere abnuat. Quia verò eam vrbem, atque regnum vniuersum beneficio Imperatoris obtineret, id occupare nolle nisi annuat. Vbi verò Prouincia in vtriusq; auctoritate erit, confestim Imperatoris excepturum iussa

huc

huc esse aduolaturum: & commeatum, cæteraque exercitui necessaria abundè suppeditaturum. Ad hæc Balduinus, quin Thessaliam sibi subijceret Marchio nihil impedire velle aiebat; quo tamen hæc tutiùs, faciliùsque agerentur socia se eò agmina velle traducere. Et credo ego haud aliam certè ei tum mentem fuisse; secus tamen suspicari Marchio, fraudem metuere, instare ne Imperator porrò pergeret. Haud magnis, nedum cunctis copijs opus esse, nisi vt eæ Prouinciæ exederentur, & solitudo fierent. Iret potiùs obuiam Ioannizæ, Bulgarorum Regi; qui Græci Imperij spolijs locupletatus, quod eius supererat iam spe deuoraret. At siue quòd quantò vrgeret acrius Marchio, quàm rei dignitas postularet, eò magis suspectum sese reddebat: seu quod arbitratur Villeharduynius Marchionis aliàs studiosissimus, & si bene conijcio, aliquantulum in eum quàm in Balduinum propensior, maleuolorum, atque Bonifacij fortunæ inuidentium consilijs inductus Imperator in sententiâ suâ perstitit. Enimuero parum abfuit quin eæ, quibus aulæ scatent, assentatorum pestes malè materiata, & infirma huius Imperij fundamenta, quæ sola prope posita erant; hoc dissidio euerterent, diruerentque. Balduinum vt videt Marchio animum obfirmare, atque dilatis, vt aiebat, tantisper alijs negotijs Thessalonicam pergere; preces ingeminare atque armare aggressus minis: Domine inquiebat, quando liquet operam tuam alibi non modò vtilem, sed & necessariam: in Thessaliâ inutilem & superuacaneam esse, postremùm, opere quàm possum maximo oro, obtestorq; Maiestatem tuam, vt pedem retro referre velis. Sin minus palam profiteor occasionem mihi luculentam præberi suspicandi non bono id mihi, sed fraude maximâ iter apparari; atque ideo me meosque à cæteris seiungo, aliòque quò mea me feret fortuna, abeo. Ita totidem verbis Auctor noster. At minus nihilo proficiebat: Balduinum in sententiâ obfirmabat tam importuna vehemensque obluctatio, adeo non dissuadebat. Ergo iuit hic, abijt ille:

ANN. 1204.
In Thessaliam meditatur Balduinus, auertere eum Bonifacius conatur.

ANN. 1204. ille: exitiabili pæne toti Societati consilio; quo non solùm victorum palmæ, sed & vitæ in vltimum periculum adductæ sunt.

Bonifacius à Balduino desciscit.

Bonifacium non sui modò milites, sed & alieni, ducesque inprimis egregij secuti sunt: atque nominatim Iacobus Auesnensis, Guillelmus de * Chamlite, Comes Catzenelleboglus cum potiori Germanorum parte. Malè omnes, pessimè omnium Auesnius; quem non decuit hominem Belgam, cùm Flandriæ, tum Hannoniæ Comitis clientem ab Imperatore, cui multiplici nomine obnoxius erat, ob tantillam rem abscedere; atque ad externum se Principem applicare. Cæteri Balduinum Thessalonicam versus comitati in fide permanserunt.

§. 7.

Thraciam populatur.

Bonifacius retrorsum, & prope in furorem actus, multa contra Balduinum iactare; leuem, inconstantem, Græcis ipsis infideliorem; atque fraudulentiorem nominare: & sexcenta eiusmodi conuicia, quæ rationis expers ira suggerebat, euomere. Nec linguâ magis quàm manu in Dominum suum iniurius esse perrexit. Didymotichum namque quam Dimot Auctor, Dimotuc alij dicũt, obsidere aggressus, illico cuiusdam ciuis ope deditione acceptam præsidio firmauit. Hinc in reliquam Thraciam plusquam hostiliter effusus omnes pæne eius regionis vrbes populatus est, præter Orestiadem siue Adrianopolim: quam, vt mox dicam, tentauit tantum; quòd eam Balduinus, & commeatu & militibus instructissimam reliquisset. Cætera Dominum agit; vectigalia describit, Græcos palantes cogit; & quo sibi eos arctius agglutinet: palam affirmat à Latinorum se societate, & fœdere desciuisse: quos vt hostes iam auersetur. Fidem adstruit nouo dolo. Manuelem vxoris suæ ex Isaaco filium Imperatorem dicit; eique in omnibus defert. Astu hoc quasi visco capti, graculorum instar, animi Græculorum turmatim ad eum aduolabant, eiusque tam exercitus numero, quàm ditio amplitudine in dies augescebat. Ipse autem, inquit Nicetas, ea non prorsus ex animo faciebat, neque vnquam à socijs mentem

mentem abduxerat. Id modò hisce consilijs enitebatur, vt quando rectus à puppi deficeret, quolibet alio obliquo abuteretur vento, vt ad portum appelleret. Iniqua enimuero, ac periculosa consilia, quæ ab successu metiri, quid aliud est, quàm ex talo statuam æstimare? Cæterùm inconstantiæ Bonifacium Nicetas arguit, in eo elogio, quo Balduinum depingit.

CAPVT IV.

Discordia inter Imperatorem, & Bonifacium sopitur. Hic Thessaliam sibi subijcit.

Nicet. Villehard. §. I. Balduini victoriæ.

BAlduinus interim iter suum, victoriasque prosequebatur.* Christopolim munitissimum & arte & naturâ loci oppidum, non tam obsidere, quam tentare aggressus, supra spem mox ad deditionem compulit. Inde & Blacham nihilo inferiorem alterâ vrbem eâdem comitante, viamque sternente fortunâ, in fidem recepit. Serræ, ciuitas insignis, munimentis suis freta vim expectare, nec minis blanditijsue cessura videbatur. Castra ergo circum eam posita, machinæ collocatæ, cæteraque oppugnantium in morem adornata. At ea belli species satis fuit; triduo postquam Balduinus aduenerat, ciues super vitam, & fortunas, etiam libertates, atque antiqua iura, & consuetudines pacti, quibus sub Græcis Imperatoribus fruebantur, in Latini Principis potestatem transiêre. Ita ille prospere quidem hâc parte curabat.

Bonifacius Adrianopolim obsidet.

Bonifacius non infelicius, imo enimuero Societati infelicissimè, res in Thraciâ suas curabat. Et cum multa alia oppida occupasset, Adrianopolim, siue Orestiadem coronâ cum suis Italis, Græcisque asseclis cingere ingressus, incolas ad deditionem hortabatur. Eustachius de Saubruick,

Ann. 1204. bruick, quem præsidio, & vrbi præfectum à Balduino relictum esse dicebamus, parum habuit milites suos, eiusque officij commonitos ad defensionem cohortari: atque vt res poscebat varijs in vrbis locis, munere cuique suo assignato, constituere; sed insuper binos ad Dandulum, Blesensem, aliosque Principes, qui Constantinopoli restiterant, nuntios destinauit: qui citatis equis properarent significare, vt ab Imperatore Marchio dissentiret; & quî Didymotichum vrbem non Thraciæ modò, sed Græciæ prope vniuersæ nobilissimam, atque Imperio Latinorum retinendo accommodatissimam vsurparet; demum quas in angustias hoc tale dissidium res Societatis adduxisset. Quos vt huiusmodi nuntius affecerit, vix credi potest; satis gnaros ni hocce incendium restinguerent, in cineres ac fumum vniuersam victoriam, ac Latinorum Imperium abiturum.

§. 2. Ad eum Constantinopoli legatur Villeharduynius.

Confestim igitur coacto ad Blachernas concilio, cunctis Senatoribus, posteaquam in eius discordiæ auctores, pro suo quisque sensu, & affectu inuecti acerbissimis verbis erant, placuit ad Marchionem omnium nomine Legationem instrui. Et à Dandulo quidem atque Ludouico Blesensi rogatus est Gaufredus Villeharduynius Campaniæ,
2. simul & recens Græciæ siue Romaniæ * Protostrator (nostri Marescallum dicunt, ipso Nicetâ teste) vt eam obiret, daretque operam quoquo modo, Marchionem ab obsidione, & bello omni ciuili ad pacem atque obedientiam vti reuocaret. Et recepit lubens Gaufredus id se facturum, speique plenus, quòd Bonifacio acceptissimus esset, nossetque quâ parte capi, & expugnari vir non malus posset: ad castra se contulit comite Manasse ab Insulâ, equite non minùs à prudentiâ, quàm à fortitudine commendatissimo. Vt eos aduentare Bonifacius intellexit, vltro ijs obuiam processit cum Iacobo Auesnensi, Guillelmo de Chamlite; Hugone de Colemy, Ottone de la Roche, quibus ille præ cæteris potissimum tribuebat. Et Legatos quidem honorificentissimè, atque amicissimè accepit;

Gaufredus

Gaufredus verò pro antiquæ consuetudinis suæ iure, & auctoritate, quam hominis tum prudentia, tum candor conciliarat: primo statim congressu Marchionem acriter corripuit: quod eò temeritatis, ne quid peius diceret, prouectus esset, vt ob solam leuemque suspicionem ab Imperatoris obedientiâ, & fide diuulsus eius terras diripere, atque occupare vrbes ausus esset. Necessitatem Marchio caussabatur. At occupat Gaufredus, nullam in eo esse potuisse, qui propriâ auctoritate, inconsultis adeoque inscientibus Dandulo, Blesensi, cæterisque Principibus qui Constantinopoli agebant, ea molitus esset, per quos, res tota nullius fraude componi facillimè poterat. Arma porrò ponere, & obsidionem soluere detrectantem identidem Villeharduynius, vt id perpenderet monebat: non tam Balduini, quam ipsius, atque adeo Societatis, & Latini Imperij rem agi; quam veluti tenellulum, vixque enatum fruticem immitis ille discordiæ turbo correptum iret, atque euulsum. Meminisset apologi. Leonis & apri duellum spectant aquilæ: nec ijs curæ est vter victor euadat: cum vtrumque vinci exoptant, & concidere, quorum carnibus inhiant. Existimet idem esse Græcis votum. Ridere illos, atque Sociorum dementiam ludibrio habere, qui Græcorum dissidia & iras vlti, nihilo meliora agitarent. Et vt Marchio iure merito arma corripuisset, certè ipsum modò importunè præliari aiebat. A iurgijs abstinere solitos esse coniuges, dum hortulum capra furtim ingressa caules rodit. Multa alia eius generis Bonifacio vir disertissimus commemorabat. Quæ ille eo auidiùs animo hauriebat, quo à syncero magis, & amico hæc sibi pectore depromi nouerat. Ergo, Deo bene propitio, manus dedit: & quando id se Sociorum Principes rogatum voluerant, quo iracundiæ intempestiuæ, si qua subfuisset, notam facilitate, & obtemperatione elueret, ad Dandulum, Blesensem, Bethunium, & Gaufredum ipsum arbitros, litem omnem sistere professus est; quos sciret tam pactorum gnaros, quàm veri & æqui tenaces.

Ann. 1204.

Eius ad eum oratio.

Danduli &c. arbitrio litem permittit Bonif.

Pro

ANN. 1204. Pro vtro illi pronuntiarent, is enimuero vicisse in iure crederetur. Interim datis inducijs; solutaque obsidione Legati Constantinopolim; Marchio Didymotichum, vbi vxorem deposuerat, rediêre: tanto omnium Latinorum gaudio, qui veluti arreptâ tabulâ de naufragio euaserant, quanto Græcorum luctu. Quos eiusmodi rixa in spem adduxerat fore; vt quod ante monebat Gaufredus, labefactatas longiusculo hocce intestino bello Sociorum res; nullo ipsi negotio in victos, victoresue effusi, conficerent.

Dandulus, Blesensisque Comes, quos præ reliquis ea cura mordebat, illico ad Imperatorem Balduinum nuntium allegarunt, qui quidnam à se gestum esset indicaret: rogaretque supplex, vt quandò talium virorum arbitrio litem Bonifacius permisisset; ab eo ipse consilio ne discederet, neu cum tanto Reip. detrimento peruicax audire vellet, vtcunque autem res caderet, minimè passuros se vnquam esse, vt caussa ista bello decerneretur.

§. 3. Thessalonicam in potestatem Balduinus redigit.

Ad Thessalonicam iam Balduinus victor, non tam arma, quàm nomen & victoriarum famam cum vexillis tulerat, & Thessalonicenses portis obuiam Imperatori effusi se in eius potestate esse & fide, in eâque viuere & mori velle contentâ voce identidem inclamabant: id vnum enixè deprecantes ne vel ipse in vrbem intraret, vel exercitum in eam ingredi pateretur; qui cum ex varijs gentibus conflatus non vni Duci pareret, vereri se aiebant, ne ipsius violato edicto vrbem diriperet. Quibus Balduinus postulatis eo libentius annuit, quòd ex Bonifacij discessione nihil boni auguratus, tutiorem potioremque eam sibi crederet esse victoriam, quæ celerius obueniret. Rubricatis ergo litteris, siue * encausto exaratis omnia vrbis instituta, & consuetudines confirmauit. Qui litterarum color & scribendi genus solis Imperatoribus in vsu erat: nequi alius vsurparet capitali lege cauebatur, si verò in pupillari ætate esset Imperator virides eius tutor litteras exarabat: quemadmodum, de Alexio Protosebasto Alexij Conneni

Nicet. Villehard.

3.

Comneni tutore Nicetas tradit. De quâ re Notas meas consule. Diebus aliquot extra mænia honorificè, vt decuit, habitus Imperator, Byzantium reuertit; nihilque in itu redituúe ab eo patratum est, quo iure in inuidiam apud Bonifacium vocaretur. Thessalonicæ tantùm quo non suam magis, quàm Bonifacij auctoritatem sartam tectam conseruaret, Renerum de Montibus Hannonem cum non magnâ equitum manu præfecit. Ann. 1204.

§. 4. Reditum maturat in quo plures moriuntur.

Vix ille eâ ex vrbe digressus in viam se dederat, cum Bonifacium audijt Didymoticho subactâ, totam viciniam populatum, etiam Adrianopolim obsedisse. Quo nuntio, vt par erat, commotus, magnis itineribus contendit, vt obsidionem tolleret. Quæ res pluribus fuit exitio. Iam enim plerique ad Thessalonicam graues, ac periculosas valetudines experti, pars in oppidis obuijs subsistere, pars lecticis deuehi coacti sunt, non pauci etiam interierunt. Ex ijs fuit Ioannes Nouiodunensis Imperatoris Nomophylax, seu Cancellarius; vir, quem, teste Villeharduynio, sapientia, virtus, & litteræ egregiè commendabant: & cuius ardentem in dicendo vim, atque pietatem sæpius exercitus probauerat. Serris eum mors incredibili omnium luctu, Cœlo maturum transmisit. Nec multo post, vt sibi inuicem mala succedunt, eum luctum funus alterum renouauit. Petrus quippe Ambianensis Comitis S. Pauli nepos, eques vti nobilissimus, sic & copiosissimus, nec minùs bello præstans, diem suum obijt: & cum eo duo itidem equites ex Hannoniâ nobilitate Gerardus de Manchicourt, & Ægidius d'Aulnoit, insignes ambo & pietate, & armis; alijque permulti. In vniuersum quadraginta primæ notæ viri, super alios plures inferioris ordinis in eâ expeditione fato functi sunt.

§. 5. Legati Sociorum ad Imp. oratio liberior.

Ambulabat nihilo propterea segniùs Imperator, & Adrianopolim festinabat, quum Sociorum Principum Legatos offendit. Ex his vnus Bergo de Fransures, vir inter Blesenses apprime nobilis, atque facundus, sic verbotenus ad Balduinum allocutus esse ex Villeharduynio

Ann. 1204. comperitur. Domine. Venetiarum Dux, & Ludouicus Blesensium atque Carnutensium Comes, Dominus meus, cæteriq; copiarum duces qui Constantinopoli agitant, tibi Domino, & Imperatori suo salutē dicunt. Queruntur illi apud Deum inprimis, tum etiam apud te de ijs, quorum maligno consilio inter te, & Marchionem Bonifacium ea dissidia exarserunt; & lethale pœnè vulnus Christianæ in his terris Reip. inflictum est. Nec parum laborant Principes, quo te extra noxiam constituant: qui nimiùm credulas eis aures præbuisti. Rem porrò totā eorum arbitrio Bonifacius permisit. Vt idem præstes, & in eorū iudicio acquiescas etiam atque etiam rogant. Id verò te scire percupiunt, nunquam se, vt sors ferat, commissuros esse, vt hoc bellum longiùs serpat. Enimuero Balduino, quod res erat, liberior aliquanto eiusmodi visa est oratio; & societatis, quam ipse iam altiùs præteruectus esset, æqualitatem nimium sapere.

Dissimulat Imp. Dissimulauit nihilominus, vt erat iræ patientissimus, & modestè respondit se rem accuratiùs perpensurum. Non defuere tamen illico assentatores, ij ipsi forsan primę dissensionis faces, qui insusurrarent odiorum & rixę argumenta. Indignissimam planè quæ à subiectis Imperatori & Domino habeatur, orationem huiusmodi esse: legem à bellis istis arbitris Imperatori præscribi: dum aiunt nequaquam passuros se esse, vt bellum agitet; hoc est vt rebellem clientem compescat, atque in officium reducat. Si secus faxit Domino eos suo bellum illaturos. Imo, ad hæc subiecit Balduinus, vos enimuero duriùs quàm vellem, & quàm belli homines solent eam legationem accepistis. Non tam quid ipsi velint, edicunt, quàm quod ipsa ratio, & vsus postulat mihi suggerunt: & si quid in libertate peccatum est, id eorum magis erga me, & Remp. affectui, quàm arrogantiæ tribuendum. Sapienter sanè, & vt nouellum Imperatorem decebat: cui non secus atque ascetæ cuipiam edomitos esse animi motus oportebat, si rectè, atque ex animi sententiâ regnare vellet. Dandulum quantâuis occasione abalienare à se, aut Blesensem, aliosue

duces

duces tam stultum, quàm periculosum esse iudicabat. Sed enim auctoritas supremi Principis illibata conseruanda erat. Vtrique ingeniosè obuiam ijt. Virorum istorum, quos tu mihi, ô Legate, obijcis, arbitrio rem decerni non placet. Litis ipsi forsitan momenta non exactè vel norunt, vel perpendunt. Ibo tamen Constantinopolim, & interim per me Bonifacius pacem habeat licet. Et Byzantium mox profectus est. Vrbi proximum Principes viri, cæterique socij Græcis permixti magnâ cum lætitię significatione exceperunt.

Hic seriò bene monentibus aures præbuit, acta recognouit, & quatriduo quàm vrbem erat ingressus, vt erat non turgidus, aut cerebrosus, damnauit vltro quæcunque perperam ab se gesta erant, & in Danduli, atque Blesensis auctoritate futurum se quod ad eam attinet caussam, candidè syncereque recepit. Continuò delecti Geruasius du Chastel, & Renerius de Trith: quibus adiunctus est Gaufredus Villeharduynius, qui Marchionem adducerent. Duos alteros ad eum etiam eundem in finem Dandulus misit. Quibus ille non difficulter paruit: & Didymoticho cum centum nobilium equitum turmâ Constantinopolim redijt. Ei Dandulus, & Blesensis obuiam in suburbanis prodière, & ad Imperatorem adduxere. Mox coacto senatu pacta nuper inita à Balduino confirmata sunt, & Thessalonica cum subiectâ ei regione rursum concessa; eâ porro conditione, vt arces & oppida in Thraciâ occupata Imperatori, Didymothicum verò Gaufredo traderet, non priùs ab eo Balduino restituendam, quàm acceptis à Bonifacio litteris, quibus Thessalonicam ille in suâ esse potestate significaret. Ita pax icta, & renouata est summâ Latinorum omnium exultatione. Et Marchio cum bonâ Balduini veniâ, vxorem, atque familiam, copiasque suas Thessalonicam adduxit, Legatis quidem Imperatoris comitatus; qui vt in arcem aut vrbem aliquam intrabant, submotis Bonifacij præsidijs, in Balduini potestatem singulas reponebant. Thessaloni-

§. 6.
Pax Bonifacio data.

Ann. 1204. cam autem ſine vllâ cunctatione admiſſus eſt cedentibus vltro Auguſti militibus ; nam Renerius à Montibus Hannoniæ, vrbi Præfectus, ingenti Sociorum mærore, paulò antè è viuis exceſſerat.

§. 7. Eiuſdem Bonifacij progreſſus.

Bonifacium tradit Nicetas Theſſalonicæ aliquanto tempore quietè, & temperanter regnaſſe ; poſtea ingenio vel mutato, vel aperto, cognitis oppidanorum opibus inhiaſſe, graui mulctaſſe pecuniâ, ædes vrbis pulcriores inquilinis ereptas, domeſticis, amiciſúe ſuis inhabitandas dediſſe, aliaque eiuſmodi exercuiſſe facinora, quibus Græcorum inuidiam odiumque in ſe maximè concitauit. Certè eadem fere de pleriſque Sociorum ſcribit Villeharduynius ; quorum quiſque regionem aliquam, aut locum ſortiti, quo ditiores, eo ambitioſiores, & auri cupidiores euaſerunt. Prorſus vt nihil deinceps penſi aut moderati habentes, ſubditam ſibi gentem exactionibus, & ſeruitutibus grauiſſimis tantùm non opprimerent, eâque re Græcis odio, atque horrori eſſe cœperunt. Et verò reputanti mecum cauſſas excidij Latino-Gallicæ in Græciâ rei haud alia potior ſuccurrit : quàm victorum in victos populos ferocia ; quos iam ſatis à natura prope ipsâ, & educatione ab ſe alioquin abalienatos debuerant certè mititate, & comitate ſibi demereri, & conceptum de ſe odium longo vſu, & continenti lenitate ex eorum animis obliterare. Illud enim Polybio teſte, clarum teſtatumque exemplis eſt, quòd homines felicitatem aſſequantur benignitate in alios, & bonâ de ſe opinione. Ijdem cum adepti quę voluerant, ad iniurias, & impotentiam in Imperijs delabuntur, fit meritiſſimo, vt vnà cum imperantium mutatione, ipſi ſubditi ſe, & affectus mutent. Exacto tempore Bonifacius, Mariâ vxore in vrbe cum præſidio relictâ : cum reliquis copijs, quæ proculdubio non poterant non eſſe exiguæ : vrbes quæ Serris (Pherris meliùs) & Berrhææ finitimæ ſunt, atque ad Theſſalica Tempe pertinent oppugnare aggreſſus, opinione citiùs ijs potitus eſt. Inde, vt aſſolet, harum victoriarum facilitate, &

Nicet.

Villehard.

commodo

commodo famem irritantibus: vlteriùs progredi, & Larissâ ad Peneum amnem (altera etenim ad Messeniacum Sinum eiusdem nominis vrbs est) alijsque oppidis in potestatem adductis, Peloponnesum inuadere statuit. In ijs omnibus expeditionibus non paucos è Græcâ nobilitate viros primarios secum ducebat: quasi totidem proxenetas, vel aucupes; qui Bonifacio vrbes aut licitarentur, aut inescarent. Escam verò Manuelem Isaaci filium, Bonifacij priuignum passim ostentabant, à vitrico Imperatoris nomen, atque insignia gestare iussum. Nec secus quàm Thraces paulò antè fecerant, nunc Macedones, Thessali, alijque ijs finitimi populi eam nominis Græci, & patriæ dignitatis vmbram, ambabus manibus amplexabantur; & Bonifacio, Manuelis scilicet tutori, se suaque sponte libentesque permittebant. Ita Dei nutu, quod maximo cum exercitu præstare vix Bonifacius potuisset, astu, & cum exiguis copiolis, quas inermes etiam Græci vel pugnis poterant elidere, nisi eos Deus excæcasset, amplissimas, copiosissimasque Prouincias suo subiecit Imperio. Vnus Theodorus Lascaris obsistebat. De quo pauca mihi dicenda sunt. Ann. 1204.

CAPVT V.

Quid Theodoro Lascari, Murtzuphlo, & Alexio actum sit. Varia de Sociorum Victorijs Vaticinia.



Logotheta. THeodorus Lascaris Alexij gener; quem diximus post Murtzuphli fugam Constantinopoli Imperatorem electum quidem; sed eo tantisper honore repudiato, Despotæ nomine contentum fuisse; expugnatâ à Latinis vrbe, cum Annâ coniuge, & §. I. Theodori Lascaris progressus.

ANN. 1204. & tribus puellis, quas ex eâ susceperat Irene, Mariâ, & Eudociâ, transmisso Bosporo, vel Hellesponto in Asiam minorem, seu Anatoliam se recepit, & Nicæam venit. Bithyniæ ciuitas est Concilio vniuersali nobilis. Eius vrbis ciues cum ille exorare non posset vti se admitterent: id saltem impetrauit, vt vxorem illi penes se in vrbe asseruari paterentur. Inde in regionem Prusæ vicinam inuectus non parum res suas promouit; varijsq; tum arcibus tum vrbibus deditione acceptis: summo studio Græcorum animos venabatur, vt se in locum Alexij soceri suffectum, Imperatorem non tam eligerent, quàm electum Byzantij more maiorum, agnoscerent, reciperentque. Quod cùm minùs id ex animi sui sententiâ procedere videret: Turcam Iconij regnantem (Persarcham Logotheta, hoc est Persarum Principem eò nominat, quod è Perside Turcæ in eas regiones commigrarint) adijt, eiusque se clientem professus Sacramento, ab eo auxiliares copias impetrauit. Cum his ille, vt erat vir acer, & strenuus, longè lateque fines ditionis suæ propagauit: Græcis paulatim, quà metu, quà amore ad eum accedentibus, vt biennio quàm cœpisset Nicææ Bithyniæ, quâ subinde potitus erat, coacto Græcorum vtriusque ordinis cœtu, rursum Græcorum Imperator renuntiatus sit: & quia Ioannes Camaterus Constantinopolitanus Patriarcha Didymoticho, vbi sedem fixerat, euocatus venire renuebat: illo exauctorato, Michaelem Autorianum ad eam dignitatem euexerunt: à quo mox Theodorus Lascaris coronatus est. Et hic quidem quoad vixit Asiaticas Græci Imperij reliquias magno labore collectas conseruauit, vti suo ordine referemus. Ad ea quæ huius sunt temporis redeo. Theodorus non Latinis modò, sed & Græcis magnatibus, qui in huius Imperij fragmina inuolarant, infestus: Moro-Theodorum quendam (hoc est stultum Theodorum) cognomento Mangapham Philadelphiâ expulit; alium autem qui Sabbas dicebatur Sapsis (quas alij Sampsonis oppidum in Ponto dicunt) abegit, atque

Lascaris coronatur.

vtramque

vtramque vrbem, indeque Celbianum, Mæandron (Mæandro flumini vicinam, vt reor, regionem,) & Neocastrum occupauit; tum Marchioni molestus esse occœpit. ANN. 1204.

Villehard. Et habebat ille quidem sub signis plurimam suæ gentis nobilitatem: inprimis verò Michaëlis cuiusdam operâ vtebatur viri sollertis, & strenui sanè, sed nullius fidei, qui datam Bonifacio turpiter fregerat. Hic enim Græcus Constantinopoli cùm esset, ita se Marchioni in speciem probauerat: vt neminem, ne Italorum quidem, suarum partium studiosiorem illo Bonifacius esse duceret: quanquam ille alia omnia meditabatur. Paulo namque pòst furtim è Bonifacij contubernio subductus, in nescio quam vrbem profugit; ibique non parciùs suis, quàm alienis fumum venditans, Græci cuiusdam, cui illius vrbis præfecturam, & circumiacentis regionis Balduinus imposuerat, filiam dolo à se circumuentam parenti surripuit.

Nicet. Hæc eò attuli, quo Nicetam refellerem; qui Balduinum arguit nimiæ in Græcos austeritatis, & diffidentiæ: aitque illum omni prorsus dignitate, atque officio Græcos homines abdicasse, eiusque gentis nobilitatem nullo in pretio habuisse, magno vtique Latinæ rei detrimento; quam illi nimirum promoturi fuerant: nisi hoc genus contemptu, qui atrocissimum ingenuis viris est supplicium, ad alias quaslibet partes sectandas prouocati fuissent. Quam profectò culpam vti non leuem esse, sic Balduino immeritò appingi censeo. Quis enim nescit adeo vastum Imperium retineri ab exteris paucisque non potuisse: nisi quod à Sociorum paucitate deficiebat, ab incolarum fide pensaretur? quo autem pacto fieri id possit, nisi abalienata plebis ingenia mansuetudine, & lenitate, nobilium verò præmijs & honoribus mulceantur? Et quomodo is quem à lenitate, comitate, alijsque suauioribus moribus suprà Nicetas ipse commendauit, subitò seipsum exuit, vbi eos mores induere debuerat, si non habuisset? Nesciebat scilicet, quod nemo ignorat, quodque Iustiniano suadebat * Agapetus Diaconus: Tum demum eum 1.

§. 2. Nicetæ calumnia detergitur.

tútò

Ann. 1204. tutò regnare cùm volentibus imperat. Eos enim qui inuito animo subijciuntur, captâ occasione seditionibus fluctuare. Quod verò vinculis beneuolentiæ regitur, stabilem seruare erga Rectores obedientiam. Et vtrumque sanè prolixè præstitit Balduinus. Nec verebor ei id elogium, quod Traiano dat Xiphilinus, tribuere. Amari à ciuibus cupiebat magis, quàm honore affici. Cum populo humaniter, cum Senatu honorificè versabatur; Charus ciuibus, formidolosus hosti. Græcos autem non fastidijsse argumento est Branas, quem coluit; & ille alter, de quo mox memorabam, quem vrbi cuidam præfecit Balduinus teste Villeharduynio, alijque nonnulli, quos dignitatibus, atque officijs publicis honestauit. Plures porro euehere non sinebat tum perspecta eius gentis leuitas, & mobile ingenium, Latinisque parum fauens: tum quòd pauci omnino ex eâ nobilitate partim ad Lascarim, partim ad Alexium, aut Murtzuphlum non abierant.

§. 3. De Michaële Angelo.

Michaël autem iste, cuius modò memini, qui fuerit, non prodit Auctor noster; constat autem ex Logothetâ, & Gregorâ, alijsque hunc Michaëlem Ioannis Sebastocratoris filium fuisse, quem passim Apostatam, aliqui etiam nothum dicunt. Porrò is Ioannes Sebastocrator frater Andronici Angeli fuit, atque adeo Isaaci & Alexij Imperatorum patruus, qui ductâ Zoë Constantini Ducæ ex Annâ Comnenâ filiâ, vxoris gratiâ, in Ducarum familiam per adoptionem transijt: vnde eius posteritas modò Ducæ, modò Angeli, nonunquàm etiam Comneni cognomen reperit. Quæ nomina Michaëli, de quo agimus, sparsim & promiscuè auctores tribuunt; quo adducor vt credam Zoë illum, non scorto susceptum esse; quòd aliqui credidere, Michaelis nomine decepti, quo etiam huius Michaëlis filius nothus est insignitus. Hic ergo Michael Sebastocratoris filius Epirum, & Ætoliam sibi subiecit: diuque ipse ac eius posteri tenuerunt. Quis autem ciuis ille, cuiusue vrbis Præfectus fuerit, cui filiam Michaël ereptam pellicis loco habuit, nullus tradit. Michaëlis

Gregor. Logothet.

socerum

socerum vocat Auctor noster; quanquam ex eius filiâ genitus puer, Nothus ab omnibus Græcis semper audijt. Iste Michaël pater permagnas Bonifacio exhibuit molestias, & fere ab eâ parte solus. Etenim cæteræ regiones quæ ab vrbe Regiâ Thessalonicam vsque patent, tametsi duodecim, aut eo ampliùs, dierum iter, altissimâ pace fruebantur; vt liberè, tutoque Sociorum cuilibet sine præsidio vltro citroque commeare liceret; quanquam September mensis nondum esset elapsus. Fabulantur fortunam, veluti retibus captas vrbes ad Demetrij ceruical traxisse: quindecim dierum spatio, quasi veredarijs equis arma Æmilij victricia per totam Macedoniam circumtulisse; non minùs profectò celeriter, nec prosperè Balduini imperio Thraciam vniuersam, partemque Græciæ maximam non semestri toto subiecisse dici potuit ab ijs qui sortem agnoscunt. At præcoces fructus ætatem non ferunt. Sub exeuntem Septembrem fato functi sunt Eustachius de Canteleu, & Americus de Villeroy equites nobiles, & sanguine, & virtute.

Ann. 1204.

Victoriæ Balduini celeritas.

Villehard.

Logoth.

§. 4.

Imperij diuisio ex pactis.

Et hoc demum mense inter Gallos, Venetosque iuxta pacti fœderis leges Imperij Græci partitio ex æquo, & bono facta est: & his quidem, quòd mari potissimùm valerent, vel insulæ, vel maritima loca concessa sunt: mediterraneis Galli & Belgæ potiti sunt; de quibus sic Logotheta. Itali, siue Latini Orientis regionibus peragratis, maiorem ipsius partem subiugarant. Totus enim
2. * Opsicius, & Ægeus tractus, siue Thema, ipsumque Acarmyttium, Troadis oppidum ab eis tenebatur. Boaris quoque (Baris Nicetæ) ad Ægeum pelagus, & Aulonia, Pæmanenumque, & Leontina ad Lopadium vsque: quin etiam vniuersa Bithynia Nicomediam tenus in eorum erat potestate. At ea paulò seriùs contigerunt. Nam regiones illæ non exiguo labore, & sanguine Socijs constitêre. Niceam Bithyniæ Ludouico Blesensi Balduinus Imperator cum Ducis titulo, vti & Renero de Trith Philippopolim Thraciæ vrbem, vtramque cum subiectâ eis regio-

ANN. 1204. ne contulerat; in quas, quia necdum Latinorum iugum acceperant, itum est. Blesensis Comes è suis centum & viginti equitum nobilium turmam Ducibus Petro de Braiecueil, & Pagano Aurelianensi ei expeditioni destinauit. Hanc verò cum alterâ, paulò pòst ab Henrico susceptâ Nicetas commiscet.

Villehard. Nicet. Lycosthen. lo Oliuer. ad Melam.

Cæterùm ipsis Calendis Nouembris, Diuorum omnium memoriæ sacro die, illi transmisso Hellesponto, ad portum eius vrbis, quam Spigal Auctor vocat, appellunt. Cyzicum putant nonnulli, alij Lampsacum, malè vtrique: cum Pegas dicere oportuit, quod clarè ex Nicetâ constat. Ortelius Spigam ad fluuium, cui Aesepo nomen fuit antiquitus, collocat, non ad mentem Auctoris nostri, qui Spigam vel Spigal ad mare ponit. Ea porrò tum temporis vrbs Latinis habitabatur, qui Socios aduocarunt; iisque intra suos muros stationem, atque ad reliqua eius regionis occupanda aditum patefecerunt; vti mox dicam, vbi Murtzuphli, infelicem quidem, sed scelesto homine non indignum, simul Alexij Comneni Imperatoris interitum recensuero.

§. 5. Exitus Murtzuphli.

Nicet. Villehard. Gunther.

Sub id temporis, transmisso Hellesponto non tam ob cæcitatem, quàm propter scelerum conscientiam, Caini instar, trepidus & vagus Bithyniæ littora Murtzuphlus oberrabat: & clam paucis comitatus latebras, in quas se abderet, quæritabat. Eius rei monitus Theodoricus Lossensis, hominem persequi non ante desijt, quàm assequeretur; & captum Constantinopolim ad Imperatorem transmisit. Confestim iudicium capitis institui cœptum, & breui confectum est. Atrocissimorum quippe criminum
3. damnatus: * Alexium Dominum suum impiè manu suâ trucidasse, in Latinos Byzantij assertores Græciam concitasse, & per summam impietatem atque latrocinia ipsum diadema inuolasse conuictus: nouo quidem, sed nouis, & nouissimis sceleribus apto supplicio affectus est. In foro cui Tauri nomen est columna fuit marmorea, non altitudine magis, quàm opere admirabilis, à Theodosio ædificata:

Gunther. Zonar.

 Ann. 1204.

ficata : quam Baiazethes alter Turcarum Imperator extruendo balneo poſtea diruit. In eius faſtigium intrinſecus cauatâ cochlide aſcendebatur; quò ſubire iuſſus Murtzuphlus : vt toti populo conſpicuus eſſet, qui tam nefarijs gradibus ad Imperij culmen aſcenderat : inde ad aſſerem alligatus, & præceps actus, contritis frequenti ad columnam colliſione, tum ipſo ad terram caſu, membris omnibus, interijt. Luculento cunctis mortalibus futurus exemplo : ad alta indignis & illicitis modis adrepentibus, ſimilem lapſum, & dignam meritis ſortem imminere.

Columna mirabilis.

De hac autem columnâ multa Villeharduynius & Guntherus : ſed hic mira : qui eam modò pyramidem, modò columnam vocat; aitque ex ingentibus lapidibus conſtructam paulatim in conum abijſſe : inque eius faſtigio ædiculam fuiſſe, in quâ neſcio qui vir ſanctus vitam egerit Cœlo proximam. Styliten aliquem intelligit. Vterque verò in eâ imagines rerum variarum ſculptas fuiſſe refert, non tam præteritorum bellorum indices, quàm futuri prænuntias. Etenim naues, & in ijs erectas ſcalas, quibus vrbem expugnaturi milites enitebantur, in lapidem inciſas fuiſſe memorant. Addit Villeharduynius Imperatoris cuiuſdam ſtatuam columnæ ſuperpoſitam vnà cum Murtzuphlo decidiſſe : fuiſſeque Græcis notum & compertum vaticinium, fore vt ex ea columnâ Græcorum Imperatorum aliquis præcipitaretur aliquando; quæ omnia, & vrbis expugnatione, & Murtzuphli ſupplicio euentum ſortita ſint. Et hic finis fuit eius hominis, qui plerumque ſolet eſſe eorum, quos per deuia, & abrupta flagitiorum quaſi equos effrænes, abreptos : tandem ſera ſed certa tamen Numinis vindicta ſiſtit, & plectit.

§. 6.
De Sociorum victorijs vetera oracula.

Io. Tzetze. Var. hiſtor.

At quando oraculorum meminimus quibus Sociorum aduentus, & vrbis expugnatio prædicta eſſe videntur : libet duo eiuſmodi hoc in loco breuiter explicare. Oraculum, inquit Ioannes Tzetzes, qui annis aliquot ante hanc expeditionem è vitâ deceſſerat, Conſtantinopoli iacta-

ANN. 1204. iactabatur eiusmodi. Bos mugiet, Taurus eiulabit. Ex hoc Constantinopolitani arbitrati sunt calamitates vrbi suę ab Alemannis, alijsque exteris nationibus impendere. Ipse verò Tzetzes quo suis ciuibus eum metum excuteret, ita interpretatus est oraculum: Bos quo Constantinopolis significatur, mugiet, & classicum canet; Taurus verò, qui Italos Græcis dicitur: Latinos designat; & hi multo Græcorum metu expallescent, atque armis fracti lugebunt. Sic ille. Sed Sociorum in Græciam appulsus, victoriæ, ipsiusque vrbis direptio vanam esse eiusmodi interpretationem satis superque ostendit. Cum & Bosporus, & Sinus ceratinus per Bouem expressus, ad nouum dominatum obstupuit, & immugijt. Tauri verò lasciui & immites, qualis Alexius, & Murtzuphlus, cornibus exarmati, & coronâ spoliati, hic etiam è Tauri columnâ præceps actus, ad tam horribilem casum meritò eiulauit. Et hic aliquid vaticinij subfuisse negare profectò non ausim; in altero non item. Manuelem suprà diximus statuam æream diruisse, quæ Hungariam referebat. Insuper Venetos opibus exutos è suis ditionibus ideo eiecisse; quòd ex fatidicis nescio quibus codicibus didicerat à Venetis suo olim Imperio grande malum parari. Id oraculum referunt fuisse eiusmodi.

Æneadum gloria Byzantium deducetur: eruntq; Danai in robore delicato vsque ad Leonem sexaginta pedum, donec catulos eius vrsus deuoret: hunc Aquila despecta vrsum dissipet: Aquilam hircus obumbret, & pullum voret Aquilæ. Fietq; potentum in Adriaticis aquis congregatio. Cæco Duce Hircum abigent, Byzantium profanabunt, Hircus non balabit ampliùs, sed gallus cantabit vsque dum sexaginta tres pedes, & pollices nouem discurrent. Ita verò eiusmodi ænigma interpretantur. Æneadum, hoc est Romanorum gloria Byzantium per Constantinum magnum adducetur. Danai, siue Greci fruentur pace ad Emmanuelis vsque tempora, qui per Leonem sexaginta pedum ideo figuratur, quia totidem vixit annos. Eius catulos, siue filios, Alexium quidem

Andronicus

Andronicus vrso ferocior vorauit; hunc autem Isaacus ANN. 1204.
aquilæ comparatus interemit. Isaacum Alexius frater hirco salacior in tenebras, carceremque detrusit: eiusque filium Alexium iuniorem tantùm non occidit. At Latinorum Venetijs in Adriatico mari coacta Societas Danduli cæci ductu Alexium abegit, Byzantium diripuit. Gallus cecinit dum Imperio potitus est Balduinus, eiusque posteri sexaginta tres annos, menses nouem. Sed vt verum fatear, diuinationes hæ persimiles ijs mihi videntur esse, quas quotidie otiosa ingeniola de preteritis hoc tempore comminiscuntur. Non sexaginta tres annos, quod volunt belli isti Prophetæ, sed quinquaginta octo dumtaxat, & menses aliquot Galli Constantinopolim tenuerunt. At de oraculis satis. Ad tyrannos reuertatur oratio.

§. 7. Alexij senioris calamitas.

Haud longè melior Alexium, quàm Murtzuphlum manebat fortuna, & hanc omnes miserrimam quidem, non eandem tamen produnt. Nicetas enim ita infeliciter, diuque fluctuatum narrat, vt suorum errorum pertęsus ad Bonifacium Marchionem sibi duxerit esse confugiendum; ab eoque traditis vltro purpurâ, ocreis, cæterisque Imperij ornamentis, suppliciter efflagitarit: sibi & Euphrosyne vxori agellos aliquos, quibus reliquum infelicis senij sustentarent, concedi. Ei Bonifacius Almyron (quod loci nomen est, & salsuginem significat, congruentiâ ad eius fortunam notabili) cum prædijs aliquot assignauit, quò ille cum coniuge se recepit. Donec insequente anno Scythicâ clade exasperatus Bonifacius eum in Germaniam
Villehard. per mare deportari curauit. Villeharduynius autem circa hæc tempora, hoc est sub exeuntem Octobrem, vel Nouembrem huius anni à Marchione in Montemferratum re-
Logoth. legatum esse prodit. Logotheta tandem eum Thessalonicæ ab Mariâ Hungaricâ, olim suâ, nunc verò Bonifacij coniuge receptum esse. In quo ille auctor toto cœlo fallitur. Cum ex cæteris omnibus, tam nostris, quàm Græcis scriptoribus constet Mariam Isaaco, non Alexio nupsisse: & hunc Euphrosynem, ante adeptum Imperium,

ANN. 1204. & post abdicatum, secum matrimonio iunctam quocunque circumduxisse liquet. Subdit porrò illum res nouas moliri deprehensum exilio mulctatum, cum filiâ Eudociâ, quam Leoni Scuro Corinthi regulo nuptui dederat, apud generum diuertisse; breuique post ab illo falsòne an
4. verè sibi metuentem incertum, ad * Michaëlem Angelum patruelem suum refugisse quidem: sed in itinere à Longobardis interceptum, & venum in seruitutem datum esse; è quâ per Michaëlem assertus sit.

§. 8. Tum deinde, inquit Gregoras & post eum Logotheta longo tempore per Achaiam, & Peloponnesum oberrauit. Tandem audit generum suum Theodorum Lascarim rerum in Oriente potiri, quæ Græcæ ditionis essent, nec Bithyniæ tantùm, & maritimarum prouinciarum: sed iam in mediterranea quoque longissimè progredi: ac ea possidere quæ à meridie ducto initio, à Cariâ, & Meandro fluuio versus Septentrionem ad Galaticum Pontum, & ipsam vsque Cappadociam pertinerent. (Ex his liquidò, apparet Alexij fugam, non hoc de quo scribimus anno, sed multò post accidisse) tantùm abest vt actis Deo gratijs seipse tam fausto nuntio exhilararet; vt etiam mœrore vehementi correptus generum suum exturbare meditetur. Proinde in Asiam per mare Ægeum traijcit, & ad Iathatinem, vel Giassadinem eius nominis secundum Turcarum Principem confugit, opem contra generum petiturus. Is tum Attali vrbem obsidebat, quam Aldebrandinus quidam Italus, Cypriorum auxilio fretus, tuebarur. Attalia ea vrbs est, ab Attalo, de successoribus Alexandri vno, sic dicta. Hodie Sattaliam vel Satteliam vocant, Turci Santeli. Eam obsidebat Giassadinus. Hic porrò, Logothetâ auctore, Alexio notus, & ob collocatum apud eum beneficium obstrictus non parum erat. Haud multis namque abhinc annis fratris sui Azadini, Iconij Reguli, fugiens manus, Byzantij asylum repererat: ab Alexio, qui tum imperabat, tam honorificè, & blandè exceptus, vt pro filio ab Imperatore haberetur, & Annam Lascaris vxorem,

Theodoro Lascari genero suo infensus est.

Gregor. Logoth.

Turcarum auxilio

vxorem, ſororem appellaret. Hîc baptiſmi aquis luſtratus tamdiu in regiâ vrbe moratus eſt: dum Alexius à Latinis Iſaaci vindicibus, vrbe pelleretur: quem etiam in hâc fortunâ ſecutus eſt aliquantiſper, meliorem ipſe expectans: quæ ſubinde ſeſe obtulit. Azadinem ſiquidem fratrem mortuum eſſe, eumque à ſuis cupidè flagitari, neſcio qui è Turcarum gente nuntiauit. Igitur is Alexio valere iuſſo, ſordido indutus centone, clam ad ſuos abijt, & agnitus, Sultanus Iconij creatus eſt. Viciſſim ad eum modò Alexius ſeſe recipit, experturus numquid priſtinæ fortunæ, atque adeo antiqui hoſpitis memoriam nouæ conditionis fulgor expunxerit. Turca, non tam beneficij memoriâ, quàm cupiditate ductus, mirificèque lætus tam egregiam ſibi Græciæ penetrandæ, & occupandæ occaſionem offerri: copias aliquot contrahit; & interim ad Laſcarim legationem inſtruit: iubetque extemplo eum Imperio abdicato ſocero, quidquid Græciæ occuparit, reſtituere.

ANN. 1204.

Giaſſadines Sultanus.

§. 9.

Laſcarim bello petit.

Laſcaris pluribus alioquin hoſtibus variè fatigatus, meritò nouum hinc bellum exhorruit; conatuſque eſt proinde ſuaui ſermone Barbarum mulcere, & conquiſitis rationibus ſoceri iniqua poſtulata eludere. Sed id ex animi ſententiâ minimè ſucceſſit. Nimirum Alexius cum Turcarum auxilio Antiochiam coronâ cingit, maximi ſanè momenti vrbem: & quâ ſuperatâ, quaſi munimentis euerſis, facilè Græci Imperij reliquias è Laſcaris manibus excuteret. Igitur nihil hîc moratus: à ſuis ſciſcitatur ſocerúmne ſuum, an ſe Imperatorem vellent; illiſque, cum Laſcari & viuere & mori decreuiſſe, affirmantibus: cum quanto potuit exercitu, Nicæâ mouet, & ternis non plus caſtris Olympi, qui Bithyniam à Phrygiâ diſcernit, fauces ſuperat. Tum Philadelphiâ, & Caïſtro fluuio tranſmiſſis, ſeptimis inde caſtris ad ipſius pœne hoſtis conſpectum venit. Vnde Turcicos legatos, quos in eum diem ſecum adduxerat, ad Iathatinem remittit, renuntiatum ſe prælium expoſcere. Mirari Turca tantam hominis auda-

ciam:

ANN. 1204. Prælium. ciam: qui supra bis mille milites non haberet sub signis: quorum octingenti Latini erant. Concurritur, cæduntur primo impetu Turcorum plures; at cæterorum non tam virtute, quàm numero victi Latini, qui aciem primam implebant, propemodum omnes occubuere. Minori dein negotio Græci deleti sunt. Sultanus Lascarim sedulò quæritabat, & singulos cuneos cursabundus rimabatur. Offendit tandem, &, quod in prælio generali insolens est, vterque Dux viritim dimicare cœperunt. Robore Iathatines: industriâ Lascaris potissimùm nitebatur. Ea tamen non obfuit, quin grauiter secundùm caput clauâ ferreâ percussus, ex equo in terram ab aduersario affligeretur, & iam proximum erat, vt â Turcis caperetur, cùm in pedes erectus, equæ prægrandis, quâ Iathatines vehebatur, poplites acinace succidit. Quæ, quò altior erat, eò vehementior fuit Sultani casus: cui ocyus caput eodem ense Græcus abstulit, simul & victoriam, consternatis fugatisque hac vnâ cæde Barbaris. Socerum fortè captum Lascaris in Hyacinthi monasterio Nicææ conclusit. Et monasticum habitum induit, vbi ille pòst paulò: eius verò vxor in Artensi regione diem postea clausit extremum. Hæc Gregoras, & ex eo pleraque Logotheta mutuatus. Qui vereor, vt quæ de Maurozomes Manuelis, cum Caichosroë Iconiensi congressu Nicetas tradit, ipsi Alexio Angelo affingant: quem ex eodem Nicetâ, & Villeharduynio oportuit longè antea, quàm hæc acciderent, vel è vitâ, vel certè è Græciâ migrasse. Illa quippe prælia, sub extrema Henrici Imperatoris tempora referenda esse affirmabit, quisquis Nicæam, & Antiochiam cum Philadelphiâ tum Lascari paruisse: Attaliam verò Italis, & Latinos eidem stipendia meruisse, cogitabit, quæ nisi Henrico regnante, à quo inducias, & suppetias Lascarim obtinuisse memorabimus, gesta non sunt. Huc tamen eò reijcere volui, quo me semel Alexio absoluerem, & vtrumque Auctorem, perperam hæc in præsens tempus referentem castigarem.

Iathatinem Lascaris obtruncat.

Alexium socerum capit.

CAPVT

CAPVT VI.

In Asiam traijcit Henricus: Philippopolim Renerus.

Villehard.
Nicet.

§. I.
Henricus Boquedaniam munit.



Artinalibus ferijs (Octobri ait Nicetas) Henricus Angræ in Hannoniâ Toparcha, Balduini Imperatoris frater, cum centum & viginti equitum nobilium præsidio, Byzantio decessit. Et Hellesponto enauigato, Abydum, quam Buquedanium, siue Aniæ os nostri nominant: occupauit. Quam quia frumento cæteráq; annonâ probe instructam reperit, inde quasi è statione certâ, Græcos inuadere statuit; opitulantibus exercitui Latino Acmenijs, qui plurimi eam regionem incolebant: & victor per Idæ montis angustias, Adramyttium vsque processit. Sub idem tempus Constantinopoli pariter Renerus de Trith abijt, Philippopolim in suam potestatem redacturus. Ducebat ille secum viginti supra centum hastatos nobiles, satellites pro hastatorum numero, iuxta receptum eius ætatis morem, non multos; cum his sine prælio, aut morâ vllâ in vrbem admissus, in fidem suam ciues, & subditæ regionis incolas recepit. Atque illi quidem non amore forsitan externæ gentis, sed alterius tamen odio, & metu præsidium Latinorum libentes volentesque admisere. Perpetuis etenim atque grauissimis à Ioannizâ Bulgarorum Rege prælijs fatigati, vix respirabant; quibus vt se eximerent, non pauci ad eum Regem, tametsi aliàs Græcis inuisum, & immitem transiuerant. Sed Reneri aduentu audito, & qui defecerant ad suos, atque adeo ad Latinos rediere: tum cæteri omnes resumptis animis Bulgaros, à quibus, vt atrociori mox bello peti cœpti sunt: sic illos generosiùs propulsarunt.

Renerus de Trith Philippopolim ingreditur.

ANN. 1204. Quia vero Asiæ minoris, siue Anatoliæ amplitudo maior erat, quàm vt per exiguas, quas siue Henricus, siue Blesensis Comitis legati ductabant, copias subiugari posse crederetur: quibus nimirum ducenti & quinquaginta cataphracti equites vix suppetebant: alteros centum subsidio misit Balduinus Imperator: quibus præerant Macarius à Sancto Meneholdo Gallus, & Matthæus de Valaincourt, atque Robertus du Rosoy Belgæ. Hi, transmisso Bosporo, Nicomediam Bithyniæ vrbem, ad sinum Propontidis, qui ab eâ nomen sortitur, occupant; veriùs quàm subijciunt; nec enim vllus fuit, qui vel eam tueretur, vel dederet: cunctis inquilinis ad ipsum aduentantis agminis rumorem, fugâ dilapsis. Eam præsidio nostri, cæterisque ad vsus humanos necessarijs munierunt; indeque Theodorum Lascarim, qui vicina loca obtinebat, bello petere aggressi sunt. Et ille sanè socijs infestus supra modum, quo minùs ditionis suæ fines protenderent, obicem ponebat: quem amoliri nisi maximis copijs non poterant. Socij verò tot, varijsque hinc inde sparsim bellis implicati, vt decuplò plures fuissent, per se iustum exercitum implere non valebant. Græcos autem, magno numero secum coniunctos, popularibus committere, non modò non securum: sed certum erat proditionis vsquequaque periculum. Balduinus tamen cum Blesensi per valetudinem vix adhuc armis idoneo, & Paulino Comite, quem podagra exercebat, paucisque Socijs, Constantinopoli grauioribus Imperij negotijs operam dabat.

§. 2. Blesenses Nicomediam occupant.

Lascaris ijs infestus.

§. 3. Nouum Socijs subsidium.

Oppotunum verò nec minùs insperatum è Cœlo affuit auxilium. Stephanus Comes Perticensis, & Reginaldus de Montmirail, Blesensis Comitis Consobrinus Venetijs, vti supra memorabamus, à Societate desciscentes: alios portus, & nauigia, quibus in Palæstinam veherentur, quæsierant. Hi quà sinistram fortunam experti, quà secundam sociorum in Imperio, & victorias famâ passim dissipante, edocti: Byzantium, cum lectâ nobilium fortiumque virorum manu, appulsi: sese Balduino Imperatori,

peratori, suamque operam promptissimè, & prolixè obtulerunt. Hoc ipso tempore è Syriâ eodem aduenere Hugo de Tabariâ, cum Radulfo fratre, & Theodorico de Teneramondâ, Belgæ nobiles, cum alijs non paucis * Turcopulis, & satellitibus, inquit Gaufredus. Hugo ille gente Arthesius, ex eâ familiâ fuit, quæ à Sancto Audomaro agnominata est. Ex hâc Hugo alius, ante sæculum totum, meruit ob præclara facinora, à Balduino I. Solymorum Rege, Comes Tyberiadis, quæ nostris Tabaria dicebatur, creari: quem titulum credibile est, tametsi amissâ re, posteros gestare solitos fuisse. Per Turcopulos autem, fere Turcarum è gente viros eius ætatis Auctores intelligunt: vt in Notis explicabimus; hîc verò non tam gentem noster, quàm artem, ministeriumque significare videtur. Et paucis quidem post eorum aduentum interiectis diebus, Balduinus Imperator, qui animum maiorem Imperio gerebat: quique opum suarum magnitudinem, atque Maiestatem dignitatis non aliter quàm amicorum comparandi facultate metiebatur: Perticensem Comitem Philadelphiæ, (Delfiam Auctor noster vocat) in eâ regione, quam Kekaumenen, seu combustam indigetat Strabo, Ducem constituit; quo & illum hoc beneficio sibi arctiùs obligaret, aliosque è Galliâ nobiles, similium præmiorum spe in Græciam alliceret.

ANN. 1204.

1.

Hugo à S. Audomaro.

Nicet. Villehard.

§. 4.

Pegas alii proficiscuntur.

Qui Pegas siue Spigam, profecti erant, Petrus Braiecueil (Nicetæ Plancius,) & Paganus Aurelianensis rem strenuè gessêre. Pegis namque Lopadium proficiscentibus, cum omnibus suis copijs Theodorus Lascaris occurrit: ipso Diui Nicolai die, mense Decembri. Iniquissimus certè erat vtriusque partis numerus; etenim non amplius centum triginta cataphractos, cum paucis alijs leuioris armaturæ, equites socij numerabant. Lascaris verò iustum exercitum ductabat. Sed hîc, quomodo fere aliàs semper, vt virtute, sic & prælio, Deo victorias mirabiliter dispensante, nostri superiores euasêre. Dimicatum est in vastâ atque equitabili planitie, propter castrum, quod

Lascarim cædunt.

Ann. 1204. Pumenienor Villeharduynio, Pæmanenum Nicetæ dicitur. Magnâ strage in Græcos socij sæuiere, maiori, super prælij eius victoriam, emolumento. Ante enim hebdomadam elapsam, circum vicinam regionem sic huiusmodi victoriæ terror attonuit, vt passim & vrbibus, & vicis, castrisque effusi Græci, Crucibus & Euangeliorum Codicibus prælatis, nostris supplices acciderent: atque in eorum fide, & potestate futuros se esse iurati promitterent.

2. * Pæmanenum illico nostris cessit, & Lopadium: vtrumque non incelebre eius regionis oppidum; inde castrum, quod Pulmachium vocat Auctor noster, opere & naturâ, Lopadio quippe lacu alluitur, munitissimum: quæ omnia in deditionem accepta victorum clementiam deprædicarunt. Sola propemodum iam * Prusa Bithyniæ vrbs superabat: iugi Latini necdum patiens; imò quæ aliarum eius terræ vrbium ignauiam procaciter irridebat. Et verò in collis iugo posita, rupem quasi tota pro muro habet: vt oppugnari, nisi ægrè, & vnâ dumtaxat ex parte possit. At etiam hîc altissimis muris, & forti præsidio firmata, non temerè sibi confidentiam pepererat. Eam tamen saltem attentare Petro & socijs placuit. Quà mons Olympus imminet, rupes diuisa campum, simul oppugnationi opportunum vtcumque locum aperit. Hîc socij machinas, non tam aptare, quàm ostentare; quà minis, quà blanditijs vrgere ciues: vt ne victoris militis iram, quàm benignitatem Ducum experiri malint. Græci contrà constanter pernegare institerunt. Nec se, nisi vi ad necessitudinem vltimam adactos, externis Principibus parituros esse affirmare. Consultum non fuit socijs ante vrbem vnam tempus conterere: & morâ illâ victoriæ quasi alas cohibere. Vt enim famâ geruntur bella: sic ad vnius cladis nuperæ sparsum rumorem deposita fere Græcorum spes, reuiuiscere poterat, si quos quasi insuperabiles hactenus crediderant, Prusæorum virtute vincerentur. Ergo obsidionem magis omittunt, quam soluunt, atque aliò arma conuertunt. Prusæi eorum discessu audaciores

Prusa attentata.

3.

ciores facti, in tergis hærere, & extremam aciem importunis velitationibus lacessere aggressi sunt. Quod & alij è Græcis vicinis æmulati, montium angustias, per quas militi nostro transeundum erat, obsidere, & aditu prohibere moliebantur. Quæ res, etsi planè Græcis non succedebat, nostrorum tamen & necessariam in eâ expeditione celeritatem remorabatur, & existimationem, quâ magis, vti diximus, quàm armis pugnabant, nonnihil hebetabat, adeo vt Græcorum militum numerus partim transitionibus, partim effugijs sub Latinorum signis imminueretur. At perruperunt tamen: ac obuijs quibusque superatis, & robore & numero augescere in dies visi sunt. Clades equidem aliqua Latinorum ad Cæsaream, quæ Prusam inter & Propontidem iacet, facta est, hoc casu. Signiferi cuiusdam fortè à se interempti, Græci vexillum in tumulo vicino collocarunt; quo prospecto: Socij arbitrati cohortem è suis aliquam, vel plures eò subijsse: mox & ij ad tumulum accurrerunt: vbi à Græcis malè mulctati, & profligati sunt.

Ann. 1204.

Socij cæduntur.

§. 5.
Moro-Theodori consilia.

Haud secus Theodorus Philadelphiensis, quem Moro-Theodorum: hoc est stultum, vocari dicebamus: Henricum Principem circa Adramyttium bellum agitantem, studuit occupare. Nimirum improuisò affuit: & primo impetu, militumque multitudine socios nonnihil terruit; at Henricus, vt erat ad huiusmodi stratagemata non imparatus, continuò aciem instruit: equites potissimum sui exercitus robur, hastis in altum elatis, hostem opperiri iubet. Hic subsistere, nec vltra progredi audere: tum instar flammiuomi serpentis, inquit Nicetas, anfractibus copiarum sese flectere: quasi vtriusque cornu explicatione sociorum agmina interclusum iret. Verùm cum id illi segniùs, atque timidiùs aggrederentur: Latini moræ impatientes, signo dato, lanceisque ad latus applicitis, & in Græcos directis prælium inchoant: ipso Henrico ante omnes per mediam hostium aciem equo perrumpente. Græci equites, quos ad primam aciem veluti

Ab Henrico cæditur.

ANN. 1205. exercitus tutelam, & munimentum Theodorus constituerat: Latinorum equitum, qui hastis hostium quemque vel transfigebant, vel equo deturbabant, impetum non sustinentes: in pedites suos fugâ effusi, eorum ordines turbauerunt, & restitantes hosti trucidandos, spoliandosque destituerunt. Huius cladis nuntius Adramyttenos perculit: vt statim deditionem facerent. Est Adramyttium Troadis vrbs, ad Aegei maris littus, Lesbo insulæ obiecta, Boquedaniâ (vt ait Villeharduynius) siue Abydo duorum dierum itinere distans: olim Pedasum dictam ait Plinius, nunc Landrimitti vocant. In eâ vrbe, quam omni commeatu instructissimam reperit, Henricus statiua aliquamdiu habere decreuit, & regionem interim vicinam fratris Imperio adijcere. Sed illa, potiori ex partè, quamprimum, atque vltro in eius potestatem fidemque concessit. Atque ea expeditio huic anno finem; vel summum etiam sequenti initium dedit.

Adramyttium deditur.

Plin. l. 5. c. 30.

§. 6. Annus 1205.

Annus agebatur CIϽCCV. & Theodorum Lascarim ad Pæmanenum accepta clades remorata aliquantulum fuerat: eius animum haudquaquam infregerat. Hic audito quam prosperè rem in Troade Henricus gereret, quamque facilè latiùs grassaturus esset, nisi maturè occurreretur: militem vnde vnde potuit conscribit, conflatq; exercitum bene magnum: cui Constantinum fratrem virum impigrum, & inter Græcorum fortissimos facilè annumerandum, præfecit: misitque Adramyttium. Ex Armenis certior eius rei factus Henricus, quo potuit optimo modò, hostem expectauit. Cum eo erant è socijs viri nobiles, Belgæ potissimum, Balduinus de Beauuoir, Nicolaus de Mailly, Anselmus de Cahieu, Theodoricus Lossensis, & Theodoricus à Teneramundâ. Sabbato ante eam Dominicam, quam *Lætare* dicimus, medio verni ieiunij tempore, Adramyttium Constantinus Lascaris prope constitit. Coacto senatu militari: quid faciendum sit, non tam Henricus exquirit, quàm decernit: in hostem ante eundum esse, quàm obsidionibus vrbem cingat, seque omnes in

Villehard.

Lascaris Henricum aggreditur.

in vrbe vnâ concludat. Vt enim, aiebat, nullum huic sit periculum: est sane alijs huius regionis vrbibus non minimum; quibus dum à nobis, sic implicatis, auxilium non suppeditat, imminebit forsitan Theodorus; qui hoc, opinor, consilio absens fratrem huc allegauit, qui nos huiusmodi distineat: dum ipse aliud exequatur. Nemini sociorum non placuit Henrici sententia. Ergo composito agmine in Græcorum copias vrbi approquantes inuecti, fundunt, & profligant: non sine cæde vtrimque & sanguine: ita numero, vti aliàs semper, hostis vincebat. Cæterùm non modò cæsi Græcorum plurimi, fusi fugatique reliqui: sed & opima ex eorum spolijs victoribus præda cessit: oppidò sanè quàm opportuna. Nec parum ea victoria nutantem, ad tanti exercitus aduentum, regionem in fide continuit. Tum primùm, inquit Villeharduynius: socij à captis hostibus lytri nomine pecuniam extorquere cœperunt; antea semper vel ipsis spolijs contenti, vel Sacramento quod à captiuis exigebant. Nunc verò, cùm nihil pensi Græcis esse cernerent, fidem violare, & arma impia contra socios resumere: æquius vtiliùsque sibi fore arbitrati sunt, si saltem ex huiusmodi leui, ne dicam perfidâ gente, à pugnantibus sanguinem, à supplicibus pecuniam elicerent.

Ann. 1205.

Prælium.

Lytra exigi cœpta.

CAPVT VII.

Bonifacij Marchionis res gestæ. Item & Gaufredi Villeharduynij Iunioris.

Nott.

§. I. Thessaliam victor Marchio peragrat.



HÆc in Asiâ feliciter quidem à Latinis gerebantur. Bonifacius Marchio, & Thessaliæ Rex nihilo secius in Græciâ Europæâ curabat. Is enim per Thessala Tempe, Græcis ductoribus, egressus, copias in locis haud montuosis adeo celeriter

Ann. 1205. riter duxit: vt in Larissæ campestria perueniret, antè quàm ad Grecos aduentus eius rumor ferretur. Hi montium cacumina accuratis excubijs tenebant: vbi Peneus fluuius vbique in angustissimum alueum coactus, magnos fluctus tollit: quibus littus repercutit, atque vnum eumque angustum tramitem, nec transitu facilem aperit: qui vix quaternos vnâ fronte milites præ rupibus, & torrentibus admittat. Larissâ digressus, vlterius penetrabat, nemine obuio; donec serò, ac vix tandem Leo Scurus circa Thermopylas insidias ei struxit; quod non modò facile fieri, sed & exiguo cum milite eas angustias occludi posse, * Leonides olim Spartanorum Rex docuit. Sed Scurus nullo forti edito facinore ad solum equitatus Latini conspectum territus Acrocorinthum confugit.

1.

§. 2. Leo Scurus Græciæ partem sibi subijcit.

Hic Scurus Nauplio ortus, vrbem natalem (quæ in Peloponneso est, ditionis Argiuorum, ad maris Argolici sinum:) vi magis, quàm popularium voluntate post patrem tenuit. Sed confusione rerum auctus, & turbulentis temporibus, vt torrentes imbribus, tumefactus, è paruo magnus extitit. Argos dolo, Corinthum latrocinio, cepit: & grassando subinde progressus, ipsas Athenas sapientiæ olim domicilium, bellicis nauibus, & exercitu per Isthmum traducto est adortus. Michael Choniates, Nicetæ frater, eius vrbis Archiepiscopus vim hominis, quà armis, quà blandâ ad eum oratione cohibuit: atque obsidionem tollere coegit. Abit ergo Scurus, & Thebas occupat: tum Thermopylis superatis, per Oetæ montis cliuum Larissam contendit; vbi cum Alexio Imperatore icto fædere, eius filiam Eudociam, Murtzuphli viduam, ducit. Hic ergo Scurus Marchioni sese opposuit. Et Thermopylarum angustias, atque excelsum montem ijs imminentem, cæteraque Græciæ claustra custodire aggressus, nihil admodum profecit. Nam penetrauit Marchio, & Bæotiam inuasit, subiecitque; tum etiam, inquit Nicetas, Atticâ potitus: hoc est, Atticæ regione, & vrbe Athenarum. Illud enim obseruandum quod

Nicet.

Frustra Marchioni se opponit.

Ammon. quod Ammonius annotauit: hoc inter Athenas, & Atticam esse discriminis: quòd Athenarum nomine vrbs sola: Atticæ verò, & regio, & vrbs apud Auctores probos significatur. Athenis ergo potitus, arci, siue Acropoli præsidium imposuit. E regione Atticæ insula est, Egripos hodie Turcis dicitur: nostri Negropontum appellant, sicut & primariam Insulæ ciuitatem: quæ ponte, cui castellum adiunctum est cum Achaiæ continente committitur. Vrbi nomen erat Chalcis: insulæ verò Eubæa: quam Euripi fluxus nobilitauit: vt Euripum princeps ille Philosophorum Aristoteles. Nam si vera sunt quæ de ipso caussas motus Euripi peruestigante referuntur, quum tandem Aristoteles Euripum capere non posset, cepit Euripus Aristotelem. Hunc Bonifacius Euripum ponte iunxit, Eubæam subiecit. In ipso autem freto arcem exędificauit, quò Insulani à defectione cohiberentur. Non temerè sanè cum volucribus Latinorum copias hîc Nicetas comparat; qui supra fidem celeres Isthmum penetrant, Corinthum occupant, Argos transeunt, Laconiam peruagati, impetum in Achaiam faciunt. Scurus his cladibus fractus, in Acrocorintho se abdit. Arcis & montis nomen est Corintho imminentis, quam in immanem altitudinem editam fuisse, ait Liuius. Villeharduynius tamen non Corinthum occupatam, sed obsessam à Marchione asserit: Bonifacius, inquit, Thessaliæ Rex Nauplium, & Corinthum, duas sui regni munitissimas, æquè ac ditissimas vrbes, Scuro parere ferens iniquè, exercitum bifariam diuisit: & Corinthi quidem obsidionem Iacobo Auesnensi iniunxit: ipse Nauplium, in Argolico sinu, oppugnandum sibi sumpsit. Ann. 1205.

Eubæa & Euripus capta.

Villehard. Nicet. Sub hæc contigit, vt in Græciam appelleret Gaufredus Villeharduynius, Gaufredi eius nepos, qui res à socijs gestas; quarum pars fuerat maxima, litteris mandauit. (αὐτόπτην, ϗ ἱστοροῦντα Græci dicerent) quemque Marescallum Romaniæ, seu Græci Imperij Protostratorem aut castrorum Præfectum Balduinus recèns dixerat.

§. 3. Gaufredus Villehard. alterius nepos.

ANN. 1205. E Syriâ eius nepos cum eâ, quam nuper recensebamus, classe in Græciam adnauigans, vi ventorum in Methonis portum, (Monçonem vocat Villeharduynius, Modon cæteri recentiores) qui in Messenianico est Peloponnesi tractu, actus est: ita malè mulctatâ vi turbinis naue, vt ad eam reparandam, & resarciendam tota ei anni hyems ibi ponenda fuerit. Nescio qui in eâ regione nobilis & potens Græcus, mox eum conuenit; beneuolèque præter morem ac honorificè exceptum, expugnatæ à Latinis Constantinopolis certiorem facit. Balduinum Imperatorem electum, Bonifacium Thessaliæ Regem, cæteros, pro cuiusque merito & conditione, regione aut oppido aliquo donatos: omnes longè, lateque ditionis suæ fines producere. Et verò ad hanc eum, secundiore, quàm putet, fortunâ regionem appulsum esse: quam facili negotio; si modò socia secum arma coniungat, possit obtinere. Se nimirum operam fidelissimam æquè & vtilissimam vltro, nouo hospiti offerre: sine quâ Villehardynius locorum ignarus, & amicitiæ omnis cum incolis expers, tutò moliri possit nihil. Enimuero mirificè Gaufredo placuit conditio; nec difficulter adduci se passus est, vt Societatem cum eo coiret, iureiurando vtrimque firmatam. Nec longo temporis interuallo varia eius ditionis loca in potestatem, communibus armis redegit. Et cum eo quidem viro, in quo contra gentis modum, nihil fucatum, subdolumúe expertus est: quoad ipse aduixit bellè sanè conuenit semper. At, malum! non diu tenuit ea fortunæ facies: etenim Græco illi dynastæ vita functo successit filius, paternarum quidem opum, non item virtutum hæres, & fidei. Et ille initio parentis vestigijs inhærere velle videbatur, & cum Gaufredo consentire; sed paulò pòst prorsus aliò actus, insidiosè primùm cum eo agere: tum & apertè eius perniciem moliri aggressus est. Quod exemplum facilè eius terræ incolæ secuti, ab Gaufredo desciuerunt, eumque oppidis, & castellis iam ante occupatis exuerunt.

Methonem sibi subijcit.

Nauplium

Nauplium id tempus coronâ cinxerat Bonifacius. Ad eum Gaufredus, cum suis omnibus, abire statuit, certiorem ibi fortunam quæsiturus. At longa omnino, sex minimùm dierum, via conficienda erat: nec minùs longitudine, quàm asperitate, atque binis montium, qui superandi erant, angustijs horrida; quippe cui tota Peloponnesus, quanta quanta est traijcienda erat. Penetrarunt tamen, innumeris licet defuncti periculis: & ad Bonifacij castra peruenerunt. A quo Gaufredus, non ab patrui magis, quàm à suis ipse meritis, & virtute commendabilis, supra modum amicè, & benignè acceptus est. Et mox Bonifacius ditiones in Thessaliâ sanè quàm amplissimas, ditissimasque viro obtulit, aurique vim non modicam: quo ea loca armis caperet: si modò secum esse, & permanere non abnueret. Verùm hærebant animo, quæ paulò antè possederat: nec facilè ab ijs cogitatione, & spe auelli se patiebatur. Ergo Bonifacium, actis gratijs pro profusissimâ in se liberalitate, rogauit ad Messenianicos redire se vti sineret: & è socijs eò secum abducere, qui sequi vellent; quod ille indulsit quidem, vt amico morem gereret: tametsi non poterat eius discessum non grauatè ferre. Tum verò ille Guillelmo de Chamlite persuasit: vt relictis Bonifacij castris, secum proficisceretur: eo pacto, vt quidquid Gaufredus in eâ regione occuparet, beneficij & clientelæ nomine, ab Guillelmo acciperet possidenda. Cum ijs centum facilè equestris ordinis viri, alijque permulti, quà pedites, quà equites è vulgo sese adiunxere. Hi omnes transmissâ iterum Peloponneso, ad Methonem vsque incolumes, & citra graue periculum progressi sunt. Michael Angelus, de quo supra meminimus, eorum paucitate perspectâ, copias omnes suas contraxerat: & magnis itineribus pæne vestigia eorum legere maturarat: vt si quà fortè incautos vspiam vel præda, vel arma gentium, per quas transeundum erat, retinerent: ipse ex improuiso adortus, vel solo militum numero obrueret. Secus cecidit. Iam enim

ANN. 1205. §. 4. Ad Bonifacium adit.

Redit cum auxilijs.

ANN. 1205. Methonem ipsi integri, atque alacres appulerant. Eam vrbem Græci post Villeharduynij iunioris discessum, munimentis, turribusque nudauerant: nunc verò nihil prius socij habuerunt: quàm vt muros instaurarent, noua propugnacula erigerent: commeatu instruerent: demum vrbem gerendo finitimis bello, atque Imperio producendo, conseruandoque opportunissimam, extra prope belli aleam ponerent. Interea temporis Michael (Michalizium nostri perpetuò nominant) eòdem aduolat: obsidione, si fas sit, vrbem cincturus. Socij quiduis potiùs quàm coerceri, ac includi se sustinentes: relictis cum modico præsidio in vrbe impedimentis, exeunt: aciem instruunt, hostem intrepidè, imò & auidè præstolantur, tametsi impares numero. Non enim ampliùs ipsi quingentis equitibus, hostis supra sexies mille numerabat. Verùm ita crebrò vsu iam venerat multos paucis confligere; vt, veluti in rationibus, calculisue ducendis, pro aureo aliquo numo, decem aut eo plures argentei, æreiue reponuntur, sic Græcis oppositi, Latinorum quisque septem, vel octo hostium exæquare, famâ communi, dicerentur.

§. 5. Michaëlem Angelum cædit. Michael belli signo dato, socios impetit: eminus primùm, telorum imbre densissimo conatus nostrorum ordinem turbare: quo faciliùs totis super fusus copijs, mox dissiparet. At illi: ceu rupes illisos fluctus immota despicit, ne latum pedem, ordine mutato dicessere; modicâ tantùm corporis declinatione, vel clypei obiectu, primum hostium impetum silentio elusere; inde eodem omnes momento temporis voce sublatâ, lanceis in Græcos intentis procurrere cœperunt: equites deturbare, vngulis obterere: viam sibi per medias acies aperire; interim dum à læuo, dextroque cornu, balistarij, sagittarijque latera restitantium Græcorum varijs telis, nullo irrito, transuerberant. Iam non prælium sed cædes erat. Michael pudorem inter, metumque anxius aliquamdiu pendere: modò integras cohortes pauculis hostibus fugatas ad offi- *Nicet. Villehard.*

cium

cium reuocare: modò cum ijs Latinorum furorem fugere, vel certè in fugam abripi, etiam renitens: nunc voce, nunc ferro nouissimè sanè pedibus pugnare, & effusissimâ fugâ saluti suæ consulere. Socij victoriâ contenti, ne quas in insidias temerè se conijcerent, aut inani labore iam fatigatos conficerent: potiore hostium numero cæso rediere, castra diripuere, commeatum plurimum, equos, arma, cæteraque id genus spolia opima sanè in vrbem auexere. Tum verò, vt paululùm quieti datum est, dum caleret victoria; Coronem ad idem littus sitam vrbem obsident: & breui ad deditionem compellunt. Eam Guillelmus de Chamlite Gaufredo Villeharduynio iuniori dono dedit: qui mox eius possessionem adijt præsidio è suis imposito: proque eâ Sacramentum Guillelmo præstitit, haud aliter Pylum, Nestoris vrbem, ab ijs esse occupatam tradit Nicetas. Hinc ad Chalematam, inquit Villeharduynius, itum est: munitissimum & loci naturâ, & arte castellum. Chelonatam arbitror, cuius nominis est promontorium & sinus in eo freto, quod Zacynthum & Peloponnesum interiacet. Hæc arx oppugnata est validè diuque, præsidiarijs sese strenuè defendentibus. Cessit tandem illa, & constitit operæ, longiorisque moræ pretium, prope cum vsurâ temporis; ad eius quippe deditionis famam, finitimum tantùm non confectum est bellum: oppidis, castrisque vltro in victorum potestatem concedentibus.

ANN. 1205.

Variasque vrbes capit.

Nicet. Villehard.

§. 6.

Bonifacij conatus irriti.

Interea Bonifacius, Thessaliæ Rex, Nauplium obsidere perseuerabat; haud alio fere successu: quàm quòd super existimationis suæ iacturam aliquam, etiam suorum militum animos & corpora fatigaret. Nec bellè profectò magis in aliâ obsidione proficiebat, aut Corinthum, vel Acrocorinthum Iacobus Auesnensis oppugnabat. Leo quippe Scurus eius propugnator, vir, si quis alius, astutus, acutus, veterator, nihil non excogitabat, quo hostium consilia euerteret. Is aliquando, perspecto quàm exiguas, vel nullas Socij excubias exercerent: summo mane silentio erupit: vt antè in ipsa obsidentium tento-

Leonis Scuri eruptio.

ANN. 1205 ria peruaderet, quàm exisse crederetur. Plurimos vtique obtruncauit, quo in numero fuit Drogo d'Estroen vir in Hannoniâ nobilis, & militiæ clarus. Ipse quoque Auesnensis, secundùm crus, grauiter saucius ægrè ab circumstantibus hosti, & discrimini extremo, quod non ipse modò, sed & totus exercitus subijt, ereptus est. Cæterùm collegêre se tandem socij, & hostem in fugam compulêre. Eam porrò obsidionem, quæ longiùs trahendâ etiam exiguâ spe videbatur, cùm Bonifacij & Latinæ rei conducere minimè censerent socij, satis habuerunt, ex aduerso Acrocorinthi, arcem exædificare; ex quâ, quando integrum foret, melioribus auspicijs obsidio renouari aliquando posset. Quin verò id olim attentaret, secuta rerum vicissitudo, quam memoratum eo inhibuit.

CAPVT VIII.

A Bulgaris Latino-Græco Imperio omne malum.

§. I.



Actenus per laureta, palmetaque peruagatus lectoris animus: mirari nunquam non potuit; hinc incredibilem Gallorum, Belgarumque fortitudinem: illinc certantem cum eorum virtute, fortunæ, seu veriùs Numinis beneuolentiam. Agnouit dubio procul, quisquis hæc legit, quàm in bellicis expeditionibus numero præstet animi robur, atque industria; vt non absurdè Pyrrhum referant: haud plus viginti vel summùm triginta fortium militum millia, toti terrarum orbi occupando, requirere. Sed enim conseruando fortè plures opus esse diceret. Fateor. Et vtinam ex Europâ totâ collecta huius de quâ scribimus ætatis nobilitas, quæ ex auditu modò Balduini & sociorum gesta,

Nemo ex Christiano orbe socijs opitulatur.

atque

atque felicitates percepit: etiam oculis vſurpare, & in vtriuſque laboris ac præmij ſocietatem venire ſuſtinuiſſet. Malebant nimirum vel otio torpeſcere, vel inteſtinis & ciuilibus, aut certè ludicris certaminibus diſtineri: quàm in tam nobilem, honeſtamque palæſtram deſcendere. Enimuero ita factum eſt: vt auxilijs deſtituti, atque à pluribus, nouiſque hoſtibus impetiti, tam præclarè parta conſeruare Socij nequiuerint. Credo, vt omnibus mortalibus, ipſique Balduino inprimis, eſſet conſpicuum: quàm vitrea ſit fortuna; quæ cum ſplendet, frangitur. Quamque ſpumeis aquææſtuantis bullis aſſimilis: quæ, quo tument magis, eò celerius diſſiliunt, atque in priſtinum læuorem reſoluuntur. Cauſſa non longiùs petenda eſt. Græci ſiniſteriore oculo dexteram Latinorum fortunam intuiti, quam, globi inſtar è niue coacti, cernebant in dies, ipſo impulſu, atque circumitu fieri auctiorem: nec à ſe quemquam ſuppetere, qui horum victorias ſiſteret, nedum euerteret, aut in integrum Græcis Imperium reſtitueret; eius fœminæ furorem, rabiemque æmulati, quæ dicebat: *Flectere ſi nequeo ſuperos: Acheronta mouebo:* ad veterem, iuratumque Græci nominis hoſtem, Ioannizam videlicet Bulgarorum Regem confugere, quàm Latini nominis Principi parere maluerunt. Quis porrò ille Ioanniza fuerit, quando ab eius impiâ manu exitium reperit Balduinus: æquum eſt vt commemorem. — Ann. 1205.

§. 2. De Valachis & Bulgaris. 1.

P. Diacon. Marcellin. Theophan. Cedren. Conſt. Porph. Gregor.

Eam regionem, quæ * Valachia, & Tranſſyluania hodie appellatur, Daciam antiqui dixere: in varias deſcriptam Prouincias, diuerſiſque gentibus habitatam. Eius porrò terræ pars, quæ hinc Hæmi montis latere continenti: illinc Iſtro Danubioue amne concluditur, Mæſia prima, & ſecunda: ſeu Superior, at Inferior dicta eſt. Bulgari, è finibus extremæ Ruſſiæ orti, atque à Volgâ fluuio, qui Moſcorum regionem alluit, Bulgari, quaſi Volgari (vt pluribus placet) nomen ſortiti: qui ante Onogunduri, & Contragi dicebantur: ſub annum Chriſti CCCCXLIX in Thraciam effuſi, variam fortunæ faciem,

vt

ANN. 1205. vt fit, diuersis temporibus experti sunt. Tandem in Mæsiâ ad Hæmi montis radices (vbi olim Triballos, Dimensios, aliosque eiusmodi fuisse conijcio) substitere: atque eius partem, à se Bulgariam nominauere; alteri Valachiæ nomen inditum. Quo fit, vt existimem, quomodo Turciam dicimus eas terras, quas Barbari Ottomannidæ occupant, tametsi nomine quæque suo inter se distinguantur: sic & Bulgariam dictam esse, cùm nulla fuerit peculiaris eius nominis à Valachiâ discreta terra. De his ita Gregoras: Istro traiecto vtramque Mæsiam peruagati, Macedoniam cum vlteriore Illyriâ obtinuere, regiâ sede eâ in vrbe constitutâ, quam Iustinianus Imperator, & suo nomine, & Archiepiscopatus titulo decorauit: quæ aliter Achris appellatur. Pòst, appellatione illius gentis vulgatâ, locus ipse Bulgaria dictus est: & Bulgariæ metropolis Iustiniana prima. Eos * Basilius, ab eorum cæde Bulgaroctonus dictus frequentibus attriuit cladibus: & superstites in Mæsiam inferiorem, ad Istrum transtulit. Nomen tamen velut aliquod eorum monumentum, in Archiepiscopatu hæsit: & Ternobi Episcopus ei subiunctus fuit, ad vsque Asanis, de quo scribere aggredimur, tempora. Ioannizam, Bulgariæ & Valachiæ Regem, sæpenumero vocat Auctor; at vbi eius vrbium terrarumúe meminit, in Blachiâ, seu Valachiâ eas constituit. Valachia duplex est: Maior, & Minor. Illa, teste Leunclauio, ad Euxinum mare se porrigit, & à frumento nigro, cuius est feracissima, Carabogdania Turcis: hoc est, Nigra Bogdani regio, nuncupatur. Eandem esse cum eâ Bulgariâ, quam Porphyrogenneta indigetat Mauram (quæ vox recentioribus Græcis Nigram sonat) suspicio est. Minor, propter Danubij ripas excurrit, & plerumque Transalpina aut Montana appellatur. Eos Rabbi Beniaminus ob montium, quos incolunt, asperitatem, neque victos vnquam, aut iugum Principis vllius ferre coactos, neque Religioni Christianæ, vel Iudaicæ nomen dedisse, tradit; vtrumque perperam. Nam &

Gregor.

2.

Const. Porph. l. de adm. Imp. c. 12.

R. Beniamin itiner.

Curopalat. Baron.

& sub annum Christianum IↃCCLXVII eorum Rex Telericus, sacris nostris Byzantij initiatus est; & postea etiam Bogaris, cum maximâ suorum parte, demum Michael anno IↃCCCLXVI ab suis finibus, quidquid erat superstitionis eliminauit, gentemque vniuersam Christo transscripsit. Et quamquam minus patientes Græci Imperij aliquamdiu extiterint, sæpeque sæpius Imperatores bello lacessiuerint, imò & superauerint non rarò; tamen à Ioanne Zemisce anno septuagesimo primo supra nongentesimum fracti, & regni regisque titulo spoliati, in Prouinciæ formam redacti sunt. In quâ ad Isaaci tempora sat tranquillè pacateque acquieuerunt. Ann. 1205. Quando Christiani facti.

Nicet. Logoth.

Imperator verò Isaacus iunctâ secum matrimonio Mariâ Hungariæ Regis sorore decem annorum puellâ, cum nuptias supra modum omnem, vti suprà diximus, magnificas celebraret, graui in eum finem indicto tributo populos tantùm non oppressit. Ægerrimè quidem cæteræ Prouinciæ: Bulgari verò onus eiusmodi omnino non tulere, sed & à Græcis desciuere; suæ regionis natura confisi, quæ montuosa est, rupibusque passim ita cirsumsepta: vt paucos externis ad eam aditus, eosque plurimùm angustos aperiat. Vrbes verò magnam partem, atque castella ipsis montium iugis, quæ solis fere Ibycibus peruia sunt, imminent; & à paucis, imo seipsis conseruari: nec expugnari à quantumuis copioso exercitu possunt. Eius rebellionis Principes fuere fratres duo Petrus, & Asanes, è primâ Bulgarorum nobilitate. Hi quo consilium suum aliquâ recti specie fucarent: Isaacum Imp. rogarunt vti se militiæ suæ adscriptos, agris quibusdam non magni sanè pretij, in Hæmi montis cacumine positis, donare vellet; quanquam enim mons ille in arduam & subrectam altitudinem exurgit: habet tamen in summo æquatam agri planitiem. Quod vtrumque non modò negatum est, imprudenter sanè: sed & Asani, viro ingenio feroci, & minas ob hanc repulsam iactanti, alapam Ioannes Sebastocrator inflixit. Hæc scilicet alapa Bulgariam Imperio auulsit, & mox Græcis, Rebellant.

ANN. 1205. Latinis aliquantò pòst exitiabilis fuit.

§. 3. Asan, & Petrus Bulgarorum Principes.

Asan & Petrus in patriam reuersi, hanc iniuriam non sibi magis, quàm Bulgarico nomini à Græcis illatam disseminant, populares suos, satis iam superque commotos, aduersus Græcos, mollem perindè ac superbam gentem accendunt. Et quo metum omnem moramque excuterent, fraudem, & dolum adiecere. In Demetrij martyris ædem à se exædificatam energumenos atque arreptitios multos cogunt: aut certè qui tales esse se fingerent. Hi à fratribus subornati, inter euocationes dæmonum, deuotionesque consuetas, insolentiùs moueri: & miræ rei datis toto corpore indicijs impotenter insanire; tum vno quasi ore pronuntiare: Deo decretum esse vt à Græcis Bulgari deficiant, seque in pristinam asserant libertatem; eâ re Demetrium Thessalonicâ ad eos transfugisse. In eam nullo negotio se fraudem populus induit, non difficilis talibus superstitionum ludibrijs capi; & in Petri omnes atque Asanis verba continuò iurant. Ergo Petrus diadema capiti, pedibus coccineos calceos induit; & Rex inauguratus Bulgarorum, cum magnâ militum manu, in Græci Imperij fines inuadit, rapit, susque deque agit fert omnia. Isaacum quidem refert Nicetas, in Bulgariam penetrasse, sed incolis pænitudinem simulantibus, Byzantium, quasi profligato bello, cum nisi affectum non esset, reuertisse.

§. 4. Græcos cædunt.

At eundem narrat Logotheta, Trinobi obsidione solutâ, in angustijs quibusdam fusum fugatumque esse: atque exutum castris, eius deletum exercitum: direptam suppellectilem; Secundùm hæc * Anchialem, Barnam ad Pontum Euxinum, Triadizam Stumpium, aliasque Græcis vrbes à Bulgaris ereptas, tam Isaaco, quàm Alexio eius fratre regnantibus. At subinde Asan ab Ioanne seu Ibanco domestico trucidatur. Petrus nihilo secius incœpta vrget: in Thraciam intrat. Mezeniam & Tzurulum non longè à Propontide (Chiorli vel Zorli nunc dicunt) vastat: magnisque prædis onustus in Bulgariam redit. Vbi pòst paulò extinguitur, relicto regni hærede, Ioanne fratre:

Nicet. Logoth. Gregor.

3.

fratre: quem Ioanninum aliqui, alij Ioannizam: nonnulli etiam Caloioannem nominant. Hic Ioanniza, quo titulum à fratre suo extortum magis, quàm legitimè comparatum sibi confirmaret, Legationem ad Innocentium Pontificem, anno Christi quarto supra millesimum, & ducentesimum destinauit: quâ coronam, & Regis Bulgariæ nomen sibi depoposcit. Quod prolixè Innocentius sanè præstitit: atque vtrumque per Leonem, tituli Sanctæ Crucis Cardinalem transmisit; à quo simul & Archiepiscopo * Triummontium, Bulgariæ seu Valachiæ Primate, solemni ritu coronatus est. Aliàs ad eum idem Pontifex Dominicum Græcorum Archipresbyterum, domo Brundusinum, cum epistolâ allegauit: in quâ, accepisse se, ait, Ioannizæ maiores ex illustri Romæ familiâ oriundos fuisse.

ANN. 1205.

Ioanniza Rex Bulgar.

Innoc. l. 7. ep. 12.

4.

Nicet.

§. 5. Hic ergo talisque cùm esset, hoc est Græcorum hostis, quasi hæreditariâ successione, & cum Tartarorum Scytharumque immani gente, haud dubiè in Græcorum perniciem, initâ societate abominabilis: quis crederet ad eum Byzantini Imperij proceres confugium habituros fuisse? At neque eo contenti, enimuero eum Imperatorem facere pacti etiam sunt: si Latinos expelleret. Legationis huius Principes fuere, è prima Græcorum nobilitate, qui Alexio olim adhæserant: atque eo vel in exilium, vel in Almyrum compulso: ad Marchionem primùm, tum etiam ad Balduinum, Auctore Nicetâ, adiuerant: ab vtroque repulsam passi. Sed si bene, ex ipsomet Nicetâ, Balduinum noui: & ex Villeharduynio Bonifacium: neuter commisisset vnquam, vt in tantâ militum, & ducum raritate, atque difficillimis hisce Imperij initijs, Græcam nobilitatem, cuius ope facilè & populum sibi demereri, & regiones totas in suam potestatem redigere poterat, tam indecorè atque intempestiuè ab se alienaret. Imo & eius ordinis atque nationis viros, à Bonifacio nuper adlectos, & in honore habitos fuisse, Nicetas narrabat; & nos aliàs de Balduino confirmaui-

Eum Græci contra socios inuocant.

Nicetæ calumnia.

An. 1205. mus. Eodem loco reponenda est eiusdem Auctoris calumnia, quum ait: Ioannizam à Balduino pacem & fœdus efflagitantem, non modò reiectum esse, sed & ipsius Legatos, mancipiorum in morem, contra ius gentium indignè habitos, cum minis atrocibus, vix ad eum remissos esse. Hæc nimirum Balduino: quem ipse mitem, comem, minimè ambitiosum, aut fastuosum facit: bellè conueniant. Multò minùs ego cum Danduli, aliorumque Principum societatis prudentiâ congruere arbitror. Quis enim in tam amplæ, tam diffutæ, malæque cohærentis Monarchiæ incunabulis, eò non dicam temeritatis, sed dementiæ progressos esse tot tamque sapientes viros existimet: vt Thrasones agere, & alienos sibi hostes gratis parare voluerint, qui domesticis, & intestinis vix pares esse se ipsi non ignorarent? Has adeo ineptias mitto.

§. 6. Græci sanè, non Balduini fastu, quem nullum habuit: sed odio Latini nominis incensi, & propemodum ob sociorum felicitatem in rabiem acti, (quis enim nisi furens seipse perdat, vt in ruinam secum hostes præcipitet?) ad Ioannizam adeunt: eumque, non tam ad puniendum Græcis illatas iniurias, quas ille flocci faceret: quàm ad Imperium Orientis occupandum, quod pauculi piratæ, specie pietatis subreptum, alienâ magis ignauiâ, quàm suâ virtute obtinerent, sollicitant. Tam exiguam profecto manum, tot sparsam præsidijs, ab ope domesticâ, longâ marium, & terrarum intercapedine disclusam, mutui demum inter ipsos auxilij communione sublatâ nullo negotio prorsus obrui, & extingui posse: Græcos omnes, vt hactenus cum Bulgaris malè conuenerint, libentiùs ad Ioannizæ castra transituros, quàm vt auarissimæ, & barbaræ nationis iugum diutius ferant. Hæc aliaue argumenta acres homini, plus satis alioquin à suâ cupiditate ad cursum concitato, stimulos addebant. Ille tamen simulandi, & dissimulandi magister, ex commiseratione magis amicæ vicinitatis, quàm propagandi regni libidine, eorum se annuere postulatis ait. Irent ergo

Ioannizam Græci contra socios accendunt.

bonis

bonis auibus, & quod ipse armis, apertoque bello facturus mox erat, dolis illi, & calliditate aggrederentur: clam Græcorum reliquorum animos ab Latinis abducendo. ANN. 1205.

Nicet. Villeharđ. Interim dum hæc faba socijs cuditur. Quasi maiori malo si fortuna præluderet: Hugonem Sancti Pauli Comitem, iam pridem ex podagrâ laborantem humanis, & futuræ cladi eripuit, ingenti Latinorum luctu, æquè ac societatis detrimento. In Diui Georgij æde Manganiâ, & in Sclerenæ Augustæ monumento Constantinopoli, regium in morem, funeratus est. Manganiam vero ideò dicebant: quòd vicino in loco asseruarent machinas bellicas, quas recentiores Græci manganas vocant; à quibus tormentis eius temporis militaribus, nostri nomen Mangonelli mutuati sunt. Ab eo porrò Diui Georgij Manganensis asceterio, quod iuxta Bospori fauces extremas esset, ipsum Bosporum Sancti Georgij brachium, siue sinum nostri vocauerunt Auctores. Hugoni porrò nuper Balduini dono Didymotichum, vrbs Thraciæ munitissima, opulentissimaque cum adiacenti regione obuenerat: atque in eâ ipse præsidium è suis militibus posuerat. In hos primùm Bulgaricæ factionis Græci occultis modis grassati sunt. Nam in vrbem clanculum illapsi, & ciuibus, quos ipsi antea in suæ rebellionis communionem adduxerant, permisti, nullo negotio imparatos præsidiarios, paucis demptis, obtruncarunt. Qui euaserant Adrianopolim, siue Orestiadem, Venetæ tum ditionis vrbem, celeri fugâ capessunt, periculo commutato veriùs quàm pulso. Breui enim huius vrbis incolæ, siue Bulgaricorum astu, seu innatâ rerum nouarum cupidine permoti, etiam ipsi à Latinis defecerunt; præsidium internecione deleturi: nisi ipsi maturè sibi consuluissent, vrbemque destituissent. Hæ turbæ nostros, haud secus ac par erat, perculerunt: atque adeo, quando sic ferebat fortuna, Orientis partibus; quas victores hactenus obibant, derelictis: ad Occidentem se arripuêre, quo minùs sparsi, hostibus faciliùs obsisterent.

§. 7.

S. Pauli Comes moritur.

Mangania.

Didymotichum à Græcis captum.

Et Adrianopolis.

ANN. 1205. obsisterent. Qui verò Græciam propriè dictam, atque Peloponnesum occuparant, vigilias crebriores exercere, annonam conuehere, exploratores quaquauersum submittere: verbo perinde vt poscebat vsus, in omnes partes curas intendere. Qui Didymotichum, atque Orestiadem interceperant, Græci nihil eo ampliùs moliri videbantur: quid Ioanniza facturus esset sollicitè obseruantes. Ipse verò ex Valachiâ seu Bulgariâ contrahebat copias, Tartarorumque auxilio comparato, tempestatem infandam in Latinos effundere parabat: vt autem id hostes lateret, maximè elaborabat. Verùm & Balduino, & cæteris Societatis Principibus Bulgari consilia, Græcorumque statim suboluere. Agebat ille tunc temporis Constantinopoli, vnà cum Ludouico Blesensi, paucisque sociorum: atque ad eum varijs è locis missitabantur in dies nouæ cuiuspiam cladis, aut defectionis Græcorum nuntij. Sic enim pestis illa vagabatur, animosque temporarios leuiculæ gentis, quasi contagione quâdam inficiebat, vt pro se quisque vicinorum studia, atque artes imitati, si quos imparatos, atque incautos legionum legatos, aut præsidiariorum Præfectos è Latinis offenderent, crudeliter, atque insidiosè necarent. Cæteros, quà vi, quà minis, vrbibus, aut arcibus depulsos, aliò commigrare, non sine perpetuo, atque ingenti discrimine, compellebant.

Ioanniza contra socios arma parat.

§. 8.

Pleraque à socijs oppida deseruntur.

Villehard. Nicet.

Adrianopoli digressi Veneti, alijque è societate milites, Heracleam profecti sunt. Vbi Guillelmus de Blanuel, pro Imperatore vrbi & præsidio Præfectum agebat. Huius beneficio auxiliarem equitum alam, peditesque non paucos nacti, duodecim propemodum leucas retrogressi, Arcadiopolim Venetæ ditionis vrbem concessere. Hâc è ciuibus præcipui quique profugerant, alij autem eius regionis incolæ, silentio, & noctu in eam omni præsidiò, & prope etiam ciue destitutam allapsi: accersito aliunde milite, atque in mænia distributo, munierant: & eam modò tutabantur. Latini verò, quos Græcorum seditio, & metus vnà coactos, in suburbana cõpulerat:

rat: vt illuxit, milites omnino paucos, cæteros vel agrestes, vel certè inermes cōspicati: qui nec artem, nec disciplinam militarem tenerent: oppugnare vrbem statuerunt; atque ea propter longiùs paulò à munimentis abscessere. Ciues, vt id aduertêre, rati socios ex metu & ignauiâ fugam arripuisse: incompositè portis effusi ad cædem hostium magis, quàm ad pugnam procurrunt. Nostri mox faciem, atque arma obuertunt, miseros parum eiusmodi ludo assuetos primo impetu occupant: fundunt, & victimarum instar, mactant; paucissimis, vel fugâ, vel deditione neci ereptis. Inde Arcadiopolim eodem prope tempore capiunt, firmātque. Triduo autem è vicino collecti Græci, vrbem magnis viribus oppugnare aggressi, minus nihilo profecere. Imò verò socij in angustias redigi se ægrè patientes, erupere: Græcos, nihil eiusmodi opinantes, adorti, potiori eorum parte occisâ, reliquos fugientes plus leucam totam acerrimè persecuti, magnam equorum atque armorum prædam in vrbem reportarunt. Diutius tamen illic subsistere consultum non fuit; ne quà maiori hostium numero aliquando circumcincti, sustinendæ obsidioni diuturnæ non essent. Postridie ergo cladis eius Heracleam proficisci maturauerunt: vbi plus securitatis vix quidquam reperere. Nam ciues quidem, Sacramento apud Ioannizam dixerant. Foris verò sibi à Scythis, & Valachis totam illam regionem, hostilem in modum, circumeuntibus, erat sanè quod timerent. Balduinum rei totiùs per certum hominem, Constantinopolim missum, commonefaciunt, rogantque, vt opem diutius ne differat. Ille de concilij sententiâ (erant autem cum eo Dandulus, & Blesensis:) Henricum fratrem, Adramittij tum agitantem, reuocat: iubetque, vt missis tantisper ijs omnibus, quæ vel occuparat, vel occupare sperabat, ad se cum exercitu festinet.

ANN. 1205.

Arcadiopolim capiunt, & mox destituunt.

§. 9.

Haud aliter Paganum Aurelianensem, & Petrum de Braiecueil, Lepadio Blesensis Comes accersiuit: cæteris locis, quos firmauerant, relictis: solas Pegas, vrbem scilicet

Balduinus pæne omnes Socios è præsidijs reuocat.

Ann. 1205. licet maritimam, & instaurando bello peropportunam, seruare, minimoque præsidio firmare iussos. Insuper idem omnino Balduini Augusti nomine Macario à Sãcto Maneholdo, Matthæo de Valaincour, & Roberto de Rosoy iniunctum: vt Nicomediâ destitutâ, Byzantium reuerterentur. Gaufredo verò Villeharduynio, Romaniæ seu Græci Imperij Protostratori, & Manassæ ab Insulâ imperatum, vt omnes sociorum copias Cõnstantinopoli educerent. Quod ipsi quidem præstiterunt; & tametsi exiguus militum numerus reperiretur: Heracleam ternis castris aduenerunt: adeoque Guillelmum de Blanuel, reliquosque præsidiarios, aliàs attonitos, & iusto metu perculsos non parum recrearunt. Quatriduo autem quàm Villeharduynius aduenerat, ab Imperatore submissæ nouę suppetiæ, Heracleam tenuêre: sicque iuncti omnes, octoginta circiter cataphracti equites, cum asseclis quisque suis numerati. Vide, & obstupesce mecum, Lector, tum horum virorum audaciam: qui tantulas copias ad tanta facinora ductarent; tum Europæę nobilitatis, & Principum, Regumque ignauiam: qui tam præclaris Heroibus, cum tali necessitudine conflictantibus, ne teruntium, vel militem vnum suppetiatum misêre. Cum hâc paruulâ manu Villeharduynius Heracleâ digressus, Arcadiopolim venit: in eâque diem vnum diuersatus, ad aliam peruenit: quam Burgaropolim ipse nominat: Burgosinem arbitror, quam alij Bergas, vel Bregas dicunt. In eâ, quòd à Græcis destituta esset, pernoctarunt; inde Exquisiam itum: nouem Adrianopoli leucis dissitam; quò se Græcorum plerique, hâc vrbe relictâ, receperant. Hîc Imperatorem Villeharduynio, cæterisque sociorum opperiri placuit. At sub hæc ingens, & vnde minimè expectandum fuit, Renerio de Trith malum ingruit.

CAPVT

CAPVT IX.

Renerius de Trith à filio deseritur. Contra Bulgaros eundum decernitur.

Villehard.  Lerumque sanè, & æquo frequentiùs, quod est in prouerbio, filij Heroum, noctuæ vt sint, accidit. Et illam, quâ vix aliam turpiorem arbitror, in familijs, labem, non raro patitur Deus: vt à liberis ipsis, à quibus & senij tutelam, & partæ laudis accessionem Parentes expectarant: probra & calamitates perpetiantur. Serò quidem sæpe, sed certo semper experimento, parum sapere eos qui liberos diuitijs, quàm moribus præstare malunt; longeque feliciùs esse nullos, quàm malos procreare. Id adeo Renerius de Trith suo nos periculo edocuit. Vir cæteroquin domi, militiæque clarissimus, & Balduino inter paucos acceptissimus; atque ab eo tametsi super equestrem ordinem non emineret; quod viris Principibus vix obtigerat, Philippopolis in Thraciâ, ob præclara facinora, fidemque in Regem singularem Dux creatus; vno hoc nomine infortunatus, quod eiusdem quidem nominis, alterius omnino conditionis filium habuit. Hic enim ingratissimus, ne dicam impius homo, patris hæres cum esset: & proinde vitam prius, quàm amplam adeo nobilemque ditionem, etiam patre abscedente, retinere debuerat: is enimuero non modò sese inde proripuit, sed & Ægidium fratrem, aut patruum. Iacobum de Bonduc Renerij nepotem, cum Carolo de Vercly eiusdem genero, atque alijs triginta lancearijs, seu nobilibus equitibus, à Patre abduxit: & Byzantium, Philippopoli valere iussâ, redire persuasit. Et abierunt illi quidem; sed in certissimum exitium. Nec enim

§. I.

Renerius de Trith à filio deseritur.

Sed ab hostibus interceptus occiditur.

Ann. 1205 enim tantam impietatem, atque perfidiam inultam esse Deus voluit; breui siquidem conclusi ab hostibus, qui passim à Latinis defecerant: arma expedire, atque viam sibi ferro aperire coacti: ingruenti verò cateruatim, & superfusæ Græcorum multitudini multùm impares, cæsi, deletique sunt magnam partem. Alij viui in potestatem hostium redacti, ad Bulgarorum Regem: quasi bellæ istius societatis primitiæ, transmissi, capite omnes tam fœdam fugam, atque infidelitatem luerunt. Nemine prope, ne ipso quidem Patre dolente; sed cum alijs fere Socijs omnibus, iustum Numinis iudicium suo calculo comprobante. Id tamen prauum exemplum imitari plerique, qui cum Renerio supererant, quàm pænas vereri antiquius habuerunt. Nimirum, quod nepos, frater, gener, atque adeo ipse filius, Parenti, Patruo, fratriúe aut socero præstitissent: id ab alienis militibus Duci exhiberi, indecorum nequaquam videbatur. Ergo in fugam octoginta omnino equestris ordinis viri coniurant: & vnà omnes Bizantium, aliâ tamen & tutiori, quàm priores viâ discedunt; Renerio tantùm non solo, inter tot hostes, derelicto. Vix etenim quinque & viginti quà Philippopoli, quà Stenimacho castro tuendo hastati equites cum eo remansere. At Renerius quamquam asperis in rebus à potiori suorum parte desertus: consilio tamen atque animo stetit; & eorum labem propriâ virtute pæne obliterauit.

Alij Renerium etiam destituunt.

§. 2. Balduinus suos cogit.

Balduinus porrò mirùm quantùm anxius, & prorsus intentus omni modo, tantum incendium restinguere satagebat. Fratrem, cæterosque ex Asiâ socios præstolans: id vnum veritus, vt antè ij aduenirent, quàm coacti, atque aucti nouis copijs hostes, quod in dies fiebat, aditus sic occluderent, vt singulas turmas seorsim, cum iusto exercitu cernere: vel certè tamdiu cunctari compellerent, dum Byzantium obsideretur; aut demum quas in Thraciâ reliquas adhuc habebant vrbes, ab hostibus comprehenderentur. Qui Nicomediæ erant, ad centum circiter equites cataphractos, quibus præerant Macarius de Sancto

Maneholdo,

Maneholdo, Matthæus de Valaincour, & Robertus de Rosoy primi Constantinopolim appulsi summè Imperatorem exhilararunt. Mox re ad concilium relatâ, quæsitum est consultúmne foret cum exiguâ illâ sociorum manu in hostes prodire, an vero reliquos opperiri. Et postremum quidem nonnullis, nec sine causâ tutius videbatur præ primo consilium; in eo enim, vti aiebant, sub vnum fortunæ ictum, non Imperatoris modò, sed & Imperij totius salus casura videbatur. Minor inquiebant, temeritati locus est, vbi plura in discrimen adducuntur. Rectè Cæsar tempore extremo ad dimicandum factus est cunctantior: quo sæpius vicisset, hoc minùs experiendos casus opinans: nihilque se tantum acquisiturum victoriâ, quantum auferre calamitas posset. Non eandem esse nunc bellandi rationem, quæ prius fuit. Tum enim terrore veluti Panico occupati Græci, magis quàm sociorum victi armis, vltro in eorum potestatem concedebant. Euigilarunt nunc tandem, & quasi à somno patentibus oculis, & nostram paucitatem, atque Valachorum, Tartarorumque auxilia contemplantur. Nihil magis ambiunt, aut expectant auidiùs, quàm vt Imperatorem, floremque Latinæ nobilitatis exiguis succinctos copijs, in casses implicent: nostramque inconsiderantiam, veriùs quàm audaciam miserabili cæde ludificent. De vnâ, atque alterâ vrbe recuperandâ nunc non agitur; id si fieret, celeritate, non numero certandum foret. De summâ rei, deque retinendo, aut perdendo Imperio captantur consilia. Valachi Græcis confusi cædendi sunt, atque delendi: vel certè ita terrendi, vt in latebras Hæmi montis sese abdere, & quiduis deinceps priùs eligant, quàm Latinorum arma in se conuertant. Qui porrò id fiat exiguis copijs, quas si non virtute hostium, suâ certe lassitudine vinci in promptu est? Hæc ij quibus frigidior erat sanguis, & mens sanior, suggerebant; quorum tamen consilium, vt fere fit, solo prope euentu, seriùs heu! fuit comprobatum. Noxia plerumque in consilijs fiducia, quia suas alienasque vires

ANN. 1205.

An in hostes irent agitatur.

Non eundum censent.

Sueton.

ANN. 1205. parum librat, & euentus omnes aptat ad sua vota. Procul dubio contrariæ sententiæ suæ etiam rationes non deerant, atque fortassis in speciem fortiores. Vbi acerrimi, aiebant, hostis in alieno solo retundendus est, atque hebetandus impetus: cunctatione vti absurdum est. Tum enim vel ingruente anni hyeme, vel commeatus inopiâ præclusi, satis cum valetudine, vel tædio, hostibus acquiescentibus, milites conflictantur. Modò verò non è vicinitate tantùm, sed etiam ex ipsis Imperij nostri visceribus, exortus est hostis: quem ipsa regio alit vltro, & fouet; quem proinde, si pedem figere patimur, ceu carcinoma serpet sensim longiùs, & vitalia depascet, nosque exangues, & opem frustra ex Europâ expectantes vel obsidebit Byzantij, vel sparsos conficiet. Ferrum ocyus, & caumata huiusmodi malo expedienda sunt. Cum fulgure Macedonum Imperium comparatur, quod momento pæne temporis, atque in ipso ortu, ad extremos Cæli fines lucem porrigit. Eam nos initio celeritatem sumus imitati, antè vrbes occupando, cùm nutarent, quàm consilium capere aut diuersam factionem amplecti possent. Quo Imperium comparauimus, eo modo conseruari oportet. Numero semper, eoque solo adhuc vicerunt hostes, quoque sæpius plures à paucioribus superati, eo minùs valentissimorum sociorum arma expectabunt. Nec refert Bulgarisne sint, an Scythis admixti: quando vtriusque gentis robur in equorum pernicitate sita est, fugere quam pugnare magis assuetæ; cominus congredi, lanceasque nostras experiri, nunquam velites illi barbari sustinebunt. Sagittis eminus hostes petere norunt: eas nostri cataphracti illæsi excipient.

Eundum alij opinantur.

§. 3. Argumenta hæc vel suggessit, vel certè probauit Balduini animus: paulò fortassis, quàm Imperatorem deceret, feruidior: idque Reipublicæ aptius iudicauit, quod cùm ingenio suo magis congruere cernebat. Principes sæpe fallit fiducia: qui naturâ magni libenter audiunt hos magnanimos, & spem magis ipsam, quàm spei caussam intuentur.

Eundum decernitur.

intuentur. Quamquam in eiusmodi rebus, etiam sapientissimi quique falluntur; nec plerumque consilia perinde vt prudentiæ in conceptu, sic fortunæ in euentu probantur. Certè malo suo non expectatis ex Asiâ sociorum auxilijs, Constantinopoli mouit Balduinus Imperator, cum quadraginta supra centùm equitibus cataphractis, & Nequisiam vel Exquisiam aliquot pòst diebus appulit. Vbi eos Villeharduynius præstolabatur. Hîc noctu ipsâ habito consilio, Adrianopolim seu Orestiadem primâ luce maturandum, atque coronâ cingendam vrbem non leuiter decreuere. Nam & obsidionis modus, & suus cuique sociorum Duci, atque turmæ locus præscriptus est. Cuncta sanè pro militum numero rectè atque prudenter. Mane igitur, quò destinatum erat, iuxta præfinitum ordinem ingredientes, peruenere. Adrianopolim tuebantur præsidiarij permulti, quà Græci, quà Bulgari: qui Ioannizæ insignia in turrium pinnulis, perque munimentorum interualla collocarant. Obsidionem nihilominus quarto Calend. Aprileis feriâ ante Dominicam in Ramis tertiâ, Latini inchoarunt: ausu magno, infelici auspicio. Nam statim vt milite, sic & annonâ cæterisque ad bellum necessarijs destituti suum prope consilium damnabant. Triduo pòst Henricus Dandulus Venetorum Dux, sapiens ille quidem, & sollers, sed cæcitate, & senio præpeditus adfuit, cum quantis poterat viribus, præ hostium numero pauculis; quæ tamen duplo, & Balduini, & Blesensis copias superabant. Altero etiam die equitum ferentariorum, siue leuis armaturæ ala opportunè accessit ad castra: magno vsui futura, si fortes viros complexa. Mox autem ideo laboratum inopiâ, tum quòd vicinus ager haud tutò ab ijs frumentationis ergò adiretur, quem Græcorum passim agmina obsidebant: tùm quia Bulgarorum exercitus in dies aduentare diceretur. Necessitudine tamen vrgente, ipsemet Ludouicus Blesensium Comes, Dominicâ Palmarum frumentatum cum Stephano Perticensis Comitis fratre, qui antè paulò obierat, Reginaldo de Montmirail,

ANN. 1205.

Adrianopolim obsessum eunt.

ANN. 1205. Montmirail, Hugonis Niuernensium Comitis fratre, Geruasio du Chastel, & pæne dimidiato exercitu egressus: ad Pentacem (castri nomen est) peruenit. In eam arcem Græcorum plurimi confugerant; id tamen non obfuit, quin magno impetu socij inuaderent, nullo fructu. Nam irritos oppugnationem omittere, atque ad castra redire infectâ re compulit præsidij fortitudo.

§. 4. Obsidio inchoatur.

Hebdomadam, quam sanctam dicimus, Latini totam in rebus ad oppugnationem necessarijs apparandis exegerunt. Vallum ducere, tormenta varijs in locis collocare, turres erigere, vineas agere, atque cuniculos ad ipsius muri fundamenta exercere studuerunt. Nihilo segniùs obsessi, quod erat rerum suarum, satagere: vigilias accuratè obire: munimenta lustrare: saxa, tela, pice serta, atque sulphure illita, & id genus propugnandis vrbibus apta comparare.

Sub hæc ex certis auctoribus compertum Ioannizam cum ingenti exercitu in procinctu esse, vt obsidione Adrianopolim liberet; habere sub signis, super Bulgarorum, atque Valachorum multitudinem innumeram, etiam quatuordecim aut eo amplius Tartarorum, seu, vt Villehar-

5. duynius, * Cumanorum millia. Mox igitur ordinatæ acies, statutumque: vt Villeharduynius Protostrator cum Manasse ab Insulâ, castra custodirent: dum Balduinus Imperator, reliquusque exercitus hosti occurreret, si fortè

Ioanniza eò aduenit. cum eo decernendum foret. Ioanniza verò, vel angustias montium, faucesque regionum obsidebat, vel pone colles agmina sua occultabat, summo studio adnixus, vt hostes lateret. Tandem die quodam, qui fuit Mercurij post Pascha Resurrectionis, partem Scythici exercitus in pecudes & equos Latinorum iuxta castra in pratis pascentes, impetum facere iubet Ioanniza, non tam prædas acturos, quàm hostium consilia, & militarem disciplinam exploraturos, quæ sane à Scytharum moribus multùm distat. Hi enim neque loricarum, neque galearum onera patiuntur. Hinc nostro militi pugna longè stabilior illis forte securior.

rior. Nostri robore, illi astu, & velocitate contendunt: Ann. 1205.
quin imò plurimum in ipsa fugâ Scythis præsidij est, & (quod vel in primis capitale est) haud incertiore ictu auersi, quam aduersi iacula dirigunt. Et vbi se modò procursu in hostem intulerint, tum recursu, cùm opus est, se subducunt, idque studiosè enituntur, vt molestis illis velitationibus irritatos in comparatas insidias adducant. Ad Scytharum ergo conspectum, in castris ocyùs ad arma conclamatur: Latinorum equites pro se quisque munimentis tecti, atque arreptis hastis, sed incompositi, sine ordine, ardore intemperanti, & intempestiuo certant hostem propulsare. Mox Scythæ vt præstructum consultò erat in fugam effundi, tela in hostes auersi iacere contenti; nostri leucam plus vnam persequi, magno cum discrimine. Nam vt redeundum fuit, Scythæ conuerso ad eos vultu, telorum imbrem in eos vnà omnes immisere, quo plurimi eorum equi vulnerati sunt.

§. 5. Ne hostes socij persequantur, cautum.

Consilio mox super eâ re agitato, Balduino monente, nemo vnus fuit qui liquidò non agnouerit quam temerariam, periculique plenissimam rationem inijssent in persequendis, tam præcipiti atque inordinato cursu hostibus, quibus cùm leuissima, & propemodum nulla arma, equi autem velocissimi suppeterent: nihil fere ab nostris grauioris armaturæ viris illos, ab ijs porrò hos plurimum damni sustinere pronum esset; atque vt de equorum inani fatigatione, & vulneratione nihil dicam, facilè in comparatas insidias adduci. Decretum ergo, vt si deinceps Bulgari Scythæue socios lacessant: nequaquam aduersus eos procurrendum, sed compositis aciebus, statim atque firmè, pro castrorum vallo hostem expectandum: prælio, non velitatione dimicandum; idque præconis voce per castra pronuntiatum: cautumque capitali supplicio, ne extra ordinem, quâuis occasione quisquam abiret, vel castris qui Gaufredi Villeharduynij, & Manassis de Insulâ, eorum custodiæ præfectorum, signa sequerentur, tantillùm abscederent: sed oppidanos, si quà fortè eruptionem

tionem

ANN. 1205. tionem facerent, refutarent. Sicque nox illa absumpta est: Balduino in diuersas partes sollicito, atque intento.

CAPVT X.

Prælium contra Bulgaros. Sociorum cædes. Balduinus capitur.

§. I.

Nicet. Villehard. Gregor.

Scythæ Socios lacessunt.



Vmmo mane eius diei, quæ fuit feria quinta post Pascha Resurrectionis, curatis animo & corpore sacris, profanisque epulis: socij omnes ad prælium, si fortè hostis rursum ingruat, sese comparant. Sub meridiem Scythæ, Duce Cozâ, ad ipsas castrorum portas effusi, tam celeriter aduolarunt: vt videri, atque adeo in castris prope esse, priùs, quàm tanti equitatus vel leuissimum strepitum exaudiri contigerit; & paratos licet, inopinantes certè, Latini exercitus milites sagittis lacessere cœperunt. Continuò classicum cani, equi conscendi, signa exeri, & sub sua quisque se recipere. Tum composito agmine castris abire perinde omnino vti constitutum erat. Ludouicus Blesensium Comes, vt erat vir strenuus, & acer, primus cum Barbaris cõgressus, quia minorem quàm pro hostium numero aciem ductabat: Balduinum Imperatorem, per internuntium obnixè rogauit: vti sibi suppetias iret; quod ille mox præstitit. Et cum lectissimâ Belgarum phalange, Scythas impetijt. Illi vt à Ioannizâ, & præcedentis diei exemplo edocti erant: in fugam abeunt, socij suæ virtutis, & ingeniti ardoris memores: hesterni verò consilij obliti, in tergis hostium hærent. Et subditis equo calcaribus, audentiùs quàm aliàs Scytharum fugam accelerant: nec gradum sistunt, tametsi binas leucas persequendo prouecti, donec in locum insidiarum incautè incidêre. Hîc enimuero innumera

Hi eos persequuntur.

In insidias incidunt.

numera Scytharum multitudo se proripuit: integri omnes, & suis fugientibus admisti, in nostros, fatigatione, atque armorum pondere propemodum enectos: ac ægrè anhelitum ducentes, cum insolenti, & barbarâ vociferatione irruunt. Clauis, cominus, sed pauci pugnant: eminus cæteri omnes sagittis adeo densis, vt cælum ipsum tegeretur. Sociorum equi aliàs ex cursu semianimes, hoc clamore, vel stridore turbati: tum telis, grandinis in morem, quaquauersum ingruentibus territi, retro concedere, fræno obluctari, vehenti inobedientes esse instituunt. Ann. 1205.

Ipse adeo Blesensis Comes, qui primam aciem (quippe vbi confusi ordines, ducis miles, & contrà militis quisque ducum munia obire solent) non ductabat, sed præibat; bino vulnere saucius, atque ex equo ad terram afflictus est. Equorum vngulis elidendus; nisi ab vno è suis iuuaretur. Is fuit Ioannes de Friaise: qui confestim in equum, quo vehebatur, dominum suum sustulit. Circumuenti miserè ab Scytharum multitudine, & quò se verterent ignari: non tam vitam tuebantur, quàm vendebant quam plurimis hostium capitibus. Plura simul abrupta à cæteris agmina, vbicumque alium alij sors miscuerat, dimicabant. Hic densatus cuneus, & vallo similis acies erat, in orbem auersis inuicem vultibus, ne circuiri possent, infixerant hastas, & temerè incurrentium ilia suffodiebant. Dein super quà suorum, quà Scytharum cadauera, intrepidè delati, ferro addensare funera: paulatimque suo etiam casu cumulare. Illic modica sociorum ala integrum Barbarorum exercitum fugabat; qui mox alijs superuenientibus innexi pugnæ fortunam inuertebant: telis eminus, inde cominus acinace, & clauâ victores repetebant, cædebantque. Blesensem suorum plerique sollicitabant, vti sese è prælio reciperet: caussati eius vulnera, ex quibus copiosus cruor manabat. Ille verò generosè abnuens: Absit, inquit (ita prodit Villeharduynius) vt mihi viuo vnquam id probri detur, quòd è prælio pro-

§. 2.
Comitis Blesensis honesta mors.

 fugus,

Ann. 1205. fugus, Imperatorem, & dominum meum turpiter deseruerim. Dignissima forti viro, & fidelissimo vox. Nec dixit generosius, quam reapse præstitit. Nam fugæ locum; ne oculis quidem, aut animo: nedum ferro, aut pedibus quæsijt; sed in confertissimos hostium cuneos, incredibili ardore, delatus: haud aliter quàm ouium gregem lupus discerpit, obuios quosque vel iugulabat, vel truncabat. Tandem verò & ipse vulneribus coopertus, sanguine, atque adeo animo sensim defectus, in hostium à se occisorum stragem procubuit: vitamque gloriosè posuit.

§. 3. Balduinus vt se in prælio gerit.

Quid porrò Balduinus Imperator? quidúe ei animi in tantâ calamitate fuisse putandum est? Qui solet viris magnanimis, atque ad omnem fortunam erectis. Potissima eius cura fuit, primò sociorum fugam sistere, dispersos disiectosque colligere: atque in quandam aciei formam componere; quod postremum frustra fuit. Ita variè sparsus, atque ab hostibus circumclusus, momento pæne temporis exercitus fuit. Nihilominus cum ijs quos collegerat, quique ad eius Regium vexillum confugerant, sedulò & strenuè iuxta cuneos, hostibus non tam pugnantes, quàm implicatos obibat; atque omnes, qua poterat, modò ferro, modò oratione iuuabat: Eia agedum, aiebat identidem voce forti, atque animi plenissimâ: Eia filij, & commilitones mei. Modò non de Græciâ terrâ, sed de vitâ tuendâ agitur; imò verò non tuendâ, sed honestè, & gloriosè ponendâ. Nunc tot illustria Societatis, in hac regione patrata, facinora sanguine ipso, quasi sigillo, obfirmanda sunt. De me sanè hoc habete: malle me millies hîc mortem strenuè pugnando, quàm exiguam existimationi meæ labeculam, ignauâ fugâ consciscere. Videte Balduinum vestrum, Imperatorem vestrum contemplàmini. Num vita meâ, & sanguine vester sit pretiosior, statuite. Moriamur socij, moriamur. Hic stratus ab honore & gloriâ lectus est; hic palmis laureisque consitus, quas mors sola decerpet, non fuga. Hæc aliaque eiusmodi suis oggerebat, atque animum non voce magis,

Eius oratio.

quàm

quàm manu incendebat. Nam quò inclinabat, hostibus certa pestis aderat. Metebantur passim, non Scythæ sed Scytharum phalanges; iamque quà proprio, quà cæsorum cruore purpuratus, sic hostibus erat terrori: vt non ampliùs cominus ij confligere cum eo sustinentes, telis tantùm, ceu feram aliquam, eminus impeterent. Profectò, inquit Villeharduynius, qui propiùs ei in hoc discrimine, adstiterunt affirmant, haud ab alio magis strenuè vnquam pugnatum esse. Circa eum iacebant nobilissimi equites, ante oculos Imperatoris egregià morte defuncti, &; quod de Persis aiebat ille, omnes in ora proni: sicut dimicantes procubuerant: aduerso corpore vulneribus acceptis. Inter eos principem locum tenuere Blesensis Comes Ludouicus, Petrus Episcopus Bethleemitanus, Stephanus Perticensis, Gaufredi Comitis frater, Reginaldus de Montmirail, Niuernensis Comitis itidem frater: Matthæus de Valaincour, Robertus du Rosoy, Ioannes de Friaise, Gualterus de Nuilly, Federicus de Herres, cum Ioanne fratre: Eustachius, & Ioannes de Ieumont fratres, Balduinus de Noua-Villà, pluresque alij primæ nobilitatis, & virtutis noscitabantur. Circa eos cumulata hinc Scytharum, illinc Latinorum obscurior turba. Et illi quidem, quorum recensui nomina, præclarè ad extremum vsque spiritum, Imperatori fidelem operam nauauere: eòque illustriorem, quo plurimi ab eâ virtute, & constantiâ longiùs abiere. Nam interea loci, cùm Imperator in tantum discrimen adductus, cum hostibus dimicat, ignaua plurimorum equitum turba, fœdè in fugam conuersa, Dominum, Regemque suum, non tam deserit, quàm in manus Barbarorum conijcit. Dignissimi sanè equo omnes mulctari, & calcaribus: quibus in eius dignitatis contumeliam, Regisque sui perniciem tam turpiter abusi sunt; digni tamen quorum nomina hic litteris atrore conspicuis conscribantur. Et facerem perlubenter, nisi eorum honori suo silentio parcitum Auctor noster voluisset. Ann. 1205.

Tt 2 Cæterùm

Ann. 1205. Ceterùm Balduinus tam indignè à suis destitutus ; tametsi nihil non ageret, quo mortem gloriosè oppeteret : cedere tamen insultanti fortunæ cogitur : vel agnitus à Græcis transfugis, ex ipsâ clypei imagine ; vel certè à Scythis regio corporis cultu. Ij ergo militibus telo abstinere iussis, momento in Imperatorem circumfusum irruunt, & vinculis onerant. Dum hæc agerentur Villeharduynius ante ciuitatis portam, castrorum custodiæ relictus, excubabat. Is Sociorum clade perspectâ reliquos suæ curæ commissos, continuò educit : curatque, per nuntium Manassi ab Insulâ edici, vti se ipse festinet sequi. Tum deinde ambo fugientibus ex acie obuiam facti, animos addiderunt : eosque omnes sub signa congregarunt. Fuere tamen non pauci huiusmodi timore, non dico perculsi, sed mente concitati : vt neque signa, neque tubarum clangorem, ne ipsorum quidem Tribunorum prope consistentium vocem quidquam attendentes : in ipsorum oculis porrò fugerent ; nec sisti possent, quoad se in tentoria sua abdidissent. Paulatim tamen ad se & illi rediere : & non tam ad præteritam cladem, quàm ad præsens discrimen intenti, in ordines iere : quo se, & castra sua contra Tartarorum, Græcorum, & Bulgarorum : qui iteratò sagittis eos incessere institerant, phalangas tuerentur. Et durarunt velitationes illæ ad vesperam vsque ; nocte autem appetente, sese hostes recepere.

§. 4. Capitur.

Reliqui se hostibus subducunt.

§. 5. Tum Ducem Dandulum in castrorum finibus agentem, ocyùs Gaufredus Villeharduynius accersit. Vt aduenit, post mutuos amplexus, vbertimque effusas lachrymas ; quibus tantam cladem, & tantùm non vltimam Imperij Latini ruinam defleuere : de reliquijs seruandis agi cœptum. Nec diu deliberandum fuit : quando tutior fugæ modus supererat inquirendus. Statutum proinde vt ad suos Dux reuersus, sumere animos, atque arma eos iuberet : ipse Villeharduynius, cum reliquis, in acie stare, extra castrorum vallum, ad noctis concubium perseuerarent ; tum sese omnes silentio in viam darent, Duce

primam,

Nicet. Villehard. primam, Villeharduynio postremam ducantibus. Prius ANN. 1205.
tamen quàm receptum facerent, ignes plurimos, atque faces, per castra Dandulus excitari iussit: quo fucum hostibus facerent, persuaderentque copias eius aliquas non ipsum exercitum Latinorum cæsum esse: hosque in diem consequentem vt prælium instaurarent, rursumque fortunam experirentur, in procinctu esse. Nocte igitur intempestâ, sine vllo tubarum, aut tympanorum sonitu, è castris nostri omnes saucij, integriue exiere: modicoque passu Rhædestum petiere, vrbem maritimam, trium dierum itinere distantem Constantinopoli: Rodestoc vocat Auctor, cæteri hodie Rhodosto. Contigit hæc clades anno Christiano CIↃCCV. indictione VIII. XIV. Aprilis, feriâ quintâ post Pascha Resurrectionis, cùm regnasset Balduinus annum vnum, dies tredecim.

§. 6. Nuntius cladis Constantinopoli vulgatus.

Ex ijs porrò qui è prælio reuersi fuerant, nonnulli ignauo terrore inquietati, tempus receptui præscriptum præuertere non sunt veriti: & elanculum dilapsi, effuso cursu vrbem petiere. In ijs fuit Comes quidam, cui Crasso nomen fuit, Longobardus, atque Bonifacij cliens: tum Hugo Hami in Veromanduis Toparcha: inde viginti quinque alij viri nobiles, quorum ignominiam auctor, pressis nominibus, tectam voluit. Hi equidem, cùm sub vesperum diei Iouis, cæsus esset à Bulgaris sociorum exercitus, die Sabbati proximè sequente, Byzantium tenuere; tametsi dierum minimùm quinque iter intercedat; verùm alas etiam equorum pedibus addebat timor. Hi scilicet tam infortunati nuncij baiuli, totam mærore societatem oppleuere; inprimis vero Petrum de Cappis Cardinalem, atque Innocentij legatum, Cononem Bethuniensem, Byzantio pro Imperatore Præfectum: tum Milonem de Braibans, pluresque alios vtriusque ordinis viros, eiusmodi nuntius grauiter perculit; quos eò maior tristitia contrahebat, quòd de reliqui exercitus salute minor spes affulgeret. Quippe qui iure metuerēt, ne victoriâ elati Barbari, depressos socios, atque ducibus suis orbatos, facilè internecione delerent.

Ann. 1205.

§. 7.

Reliquiæ cæsi exercitus Socijs adiunguntur.

Interea verò Dux Dandulus, & Gaufredus Villeharduynius totam noctem ambulando, ad primam lucem proximè vrbem, Pamphiliam constiterunt. In quam eâ nocte Petrus de Braiecueil, & Paganus Aurelianensis, cum centum equestris ordinis viris, atque triginta & centum satellitibus in equis, ex Anatoliâ profecti, diuerterant: castra ad Adrianopolim postridie petituri. Atque illi quidem exercitum aduentare cognito, ignari hostes ne, an socij essent: ad arma conclamarunt; tum verò re per exploratores compertâ, in mutua oscula, atque amplexus ruerunt. Et hîc illis recruduit, his incessit dolor: vt narrari cœpta est infelix clades. Vidisses, ait Villeharduynius, tristissimam eius agminis faciem: attonitos, & stupentibus similes primùm: tum in gemitus, & vberes lachrymas cunctos erumpere; inde manibus manus implexas sursum deorsum ferri. Alij quidem Blesensem, alij Perticensem, Dominum suum, & Patronum: omnes Balduinum pijssimum, atque fortissimum Imperatorem requirebant. Vnoque omnes vultu, atque gestu ad Villeharduynium, ac extremam aciem processêre; & eum ex abrupto, salutem vix præfati, sic alloqui cœpere: Tui sumus, ô Gaufrede; quod lubet, impera. Ille tam promptâ obedientiâ collaudatâ, proque eâ gratijs actis: Satis aduertitis, inquit, quàm terrore, atque fatigatione attenuati sunt milites nostri; vestri autem, eorumque equi integri. Age, quæso, mutemus locum: vos agmen claudite: ego præibo primis. Quod illi continuò non minùs promptè, quàm strenuè, & solerter obierunt. Sapienter verò id à Villeharduynio factitatum esse satis constat. Ioanniza quippe, & cladis ad Adrianopolim, & fugæ sociorum factus certior: eos persequi institit. Haud dubiè deleturus, si assequeretur. Sed quantumuis ille festinaret: nostri iam longiùs prouecti, iter inceptum sine damno tenuere. Pamphyliâ, curatis aliquantùm corporibus, ipsâ nocte discesserunt: & Cariopolim Cherronesi, quę hodie Cherepolis nominatur: sub meridiem appulerunt. Hîc, quòd

quòd nocturno, diurnoque labore fatigati plurimùm equi forent: diei reliquum, noctemque totam traducere placuit. Multo mane iter maturandum fuit: ob Ioannizæ metum, quem vestigia eorum legentem, audierant ex certo nuntio duas modò leucas ab ijs castra posuisse. Diem propterea noctem quoque contentè, nec sine trepidatione ambularunt; subque Auroræ dubiam etiamtum lucem, Rhædestum peruentum est: vrbem tametsi munitam, æquè ac opulentam, timidis tamen Græcis habitatam; qui vel obsidionis nomen haudquaquam sustinentes, sese Socijs dedidere: magno sanè eorum compendio; qui quò irent incerti, sedem ibi confugiumque securum habuere; vbi à metu, atque errore liberis acquiescere tantisper licuit. ANN. 1205.

CAPVT XI.

Quid Socij post eam cladem egerint. Non pauci in patriam redeunt.

Villehard. §. I. Byzantinorum terror minuitur.



Oc ferè, quo diximus, pacto sociorum, qui Adrianopolim inconsultò obsessum ierant, reliquijs cautum est, ne Bulgarorum ipsi quoque sæuitiam experirentur. Rhædesti re ad concilium relatâ: Constantinopoli potiùs, quàm sibijpsis prouidendum Socij omnes statuere. Quapropter lembus ad vrbem confestim transmissus, qui socios bene sperare iuberet, moneretque, potiorem exercitus partem saluam, atque ad eos breui venturam esse. Illud horæ prope, quo hic nuntius expediebatur, quinque omnino Venetorum naues instructissimæ illæ omnes, & capacissimi aluei soluturæ iam iam erant, atque in eas sociorum seu equitum seu peditum, ad septem armatorum millia conscenderant: patriamque meditabantur. In ijs erant Guillelmus Rufus Plurimi fugam in patriam meditantur.

Bethuniæ

ANN. 1205. Bethuniæ Aduocatus, Cononis frater: Balduinus de Albigniaco, Ioannes de Virsin Blesensis, & centum facilè alij equestris ordinis viri. Hos omnes Petrus à Cappis Cardinalis, & fratrem inprimis Cono Bethunius, aliique Purpurati, per quidquid est vsquam sacrum & sanctum adiurabant: ne gloriosâ adeo victoriâ, ac penè diuinâ, cuius fama iam longè lateque manauerit, partum Imperium perfidis coitionibus, ac detestabili animorum in fugam obstinatione corrumperent. Sociorum misererentur: sed Balduini maximè; quem à carcere & vinculis absoluendi spes non erat, nisi facinore aliquo insigni edito, captos è Ioannitæ ducibus aliquot, cum eo commutarent; vel certè lytrum persoluerent; quorum neutrum, si in cœpto porrò ipsi pergerent, cæteri perficere nequibant. Verum nihil actum est. Obfirmarunt animum. Soluerunt è portu, frementibus cæteris: eorumque peruicacem socordiam detestantibus; & secundùm Propontidem delati ventis bene propitijs, & Societati magis, quàm desertorum eiusmodi aures essent, obsequentibus, Rhædestum delati sunt. Sequenti igitur luce Villeharduynius, quique cum eo erant: quas Constantinopolitani fecerant, preces ingeminare: & cum lachrymis, crebrisque suspirijs eos rogare instituerunt: vti, ad modicum saltem tempus, tam necessariam Christianæ rei operam non denegarent: neue committerent, vt per summum dedecus in generalem Latinæ rei perniciem incubuisse dicerentur. Hi veluti ad nouum arietem nutabundi, in crastinum responsionem distulere: sed malum! eâdem ipsâ nocte Petrus de Frociyle, è Blesensis Comitis clientelâ, vir cæteroquin strenuus, nec exigui nominis: abiectis omnibus instrumentis, & supellectili, furtim in vnam nauium, quâ Ioannes Virsinus, & ipse defuncti Blesensis fiduciarius vehebatur, irrepsit. Cum eo cæteræ omnes naues, antè quàm illucesceret, nemine conscio, vela dederunt, & in patriam redierunt: nihil admodum ex tam longâ, diuturnâque expeditione, præter ignauiæ labem reportantes. Vt verum

sit

sit non magni ducenda cuiusque rei initia, nisi fine honesto, & laudabili coronentur. Nec temerè à Polycleto plaste dictum sit: tum demum probandam, improbandamúe statuam esse, cum ad vngues terra peruenit.

Villehard. Nicet. Henricus Balduini frater insciens, atque ignarus acceptæ à Socijs cladis, Adramittio Asiâque relictâ, Adrianopolim magnis itineribus properabat; cum Armenijs, quorum ope Græcos Asiaticos edomuerat. Erant hi, cum liberis & coniugibus, numero facilè viginti, aut eò ampliùs millia: quos omnes idem, qui Socios Valachorum, Græcorumque terror, è proprijs sedibus aliò commigrare cogebat. Inter ambulandum verò, à Græcis ipsis, qui è prælio fugerant: fraterni infortunij, atque Sociorum cædis monetur Henricus: & de eâ certi subinde aliquid ex Socijs, qui Rhædestum confugerant, comperit; à quibus, vt venire ad se maturaret, rogabatur. Ergo, quo expeditior esset ad accelarandum iter, Armenos, pedites omnes, longamque impedimentorum, & carrorum seriem trahentes: vt poterant se sequi iussos, retrò destituit; nihil eis formidans mali. Ipse interim festinauit, & primis castris ad oppidulum, Cartacopolim dictum, diuertit.

§. 2. Henricus de clade fit certior.

Sub id tempus Anselmus de Courcelles, Villeharduynij nepos, atque ab eo in regionem quam Mactæ vel Martæ dicunt (Macram legendum arbitror; eius quippe nominis Episcopatus Curopalatæ est, sedi Constantinopolitanæ subiectus) inde Traianopolim, atque in Asceterium, quod Veronium vocat auctor: quas in sortem idem Villeharduynius acceperat, destinatus: Imperatori suppetias pariter veniebat, cum ijs, qui Philippopoli eódem consilio excesserant: omnes numero centum equestris ordinis viri: cum quingentis satellitibus, ex equo pugnantibus. Nec longè ij processerant, cùm calamitatem sociorum ad Adrianopolim, edocti, ab incœptâ deflectentes viâ, Rhædestum versùs contendere cœperunt; & Cartacopolim, quò Henricus præuenerat eo die concessere. At quod Pamphiliæ contigisse memorabam: hîc etiam ab vtrisque turbatum

Socij colliguntur.

ANN. 1205. nonnihil primò, Græcos, aut Bulgaros esse suspicantibus; inde, vt vtrumque agmen inuicem innotuit, magnâ lætitiæ significatione, haud puræ tamen: adeo ad mutuum conspectum cladis memoria sauciabat animos: aduentantes excepti sunt. Vtrumque agmen eo in loco pernoctauit; inde Rhædestum tenuit ingenti Danduli, & Villeharduynij gaudio. Et hîc quidem sæpius subibat animum infaustum illud damnare consilium, quo non expectatis sociorum auxilijs, temerè, atque imprudenter ad Adrianopolim obsidendam aduolassent. Quàm nullo negotio, aiebant, iunctis copijs, & Bulgaros, & Græcos, Scytasque socij delere poterant! At secus nimirum Æterno Numini placitum fuit; cuius hîc, vt aliàs semper, Sanctissimis decretis non parendum modò sed & hilariter acquiescendum est: atque ab eo gaudiorum seges ex ipsâ mæroris semente, etiam cum fœnore expectanda.

Henricus Pro-Imperator dicitur.

Biduo Rhædesti Socijs commorari visum est, interim dum de Imperij rebus saniora, quàm antehac, inirent consilia. Et primùm quidem, quoad de fratre Balduino, certi aliquid constaret: Henricus pro Imperatore esse, & tam belli, quàm pacis negotia, cum summâ potestate moderari iussus est. Vix ille occœperat: cum ad eum, quasi infausta Imperij sui auspicia, nuntius perlatus est, Armeniorum amicam turbam, quàm ponè reliquerat, à Græcis eius regionis incolis, qui in eum finem coiuerant, esse circumseptam: atque omnes vel trucidatos, vel in seruitutem miserè abductos, vix vno superstite, qui cladem nuntiaret. Indoluit profectò Henricus, & lachrymis, quando aliud non poterat, infelici turbæ parentauit: seipsum incusans, tametsi necessitudine vrgente id fecerat, quòd eos in eo discrimine reliquisset.

§. 3. Quid interim Ioanniza.

Quid porrò post hanc cladem Ioanniza fecerit: opportunè hîc dicendum venit. Regem illum Adrianopolitani ad se euocauerant, vt obsidionem tolleret; id igitur quia præstitum erat, in vrbem admitti, sibique Sacramentum dici à ciuibus, iuxta pacti fœderis leges, petijt. Negarunt Legoth. Nicet.

porrò;

porrò; nec quidquam minis terreri, aut blandimentis eius emolliri se ipsi siuerunt. Ille in obsidionem formata castra dispoſuit, eosque maiori conatu, quàm Latini, impetere velle visus est. Et verò id lubens perfecisset, si machinas nactus esset: vel Tartari tam ad obsidendas vrbes, quàm ad vastandas regiones apti essent. Id tamen minimè obfuit, quin cæteræ eius Prouinciæ vrbes, & castella sese ipsi dederent; & Macedoniam prope totam Barbari Scythæ agerent ferrent miserrimum in modum: tum locustarum instar omnia depasti, etiam ad Byzantij ipsius portas palabundi excurrêre. Ioanniza autem Thraciæ vrbibus tantisper missis, in Thessaliam cogitationem, atque arma conuertit. Eiusque Prouinciæ caput, Thessalonicam circumsedere decreuit. Interim Trinobium Bulgariæ metropolim, cum multo præsidio, Balduinum transmisit; vbi infelix Imperator vinculis, compedibusque ferreis collo tenus, inquit Nicetas, implicatus, in teterrimum carcerem coniectus est. ANN. 1205.

Villehard. *Nicet.* Etiamtum Rhædesti Henricus Pro-Imperator, Dux Dandulus, & Gaufredus Protostrator agitabant. Ij rebus Imperij, vt fors ferebat, constitutis: atque eâ vrbe Veneto præsidio, cuius genti in sortem obtigerat, firmatâ: acies ad prælium compositas, Selybriâ vbi tum Nicetas domicilium fixerat, & in quâ è suis Henricus præsidium reliquit, Constantinopolim transtulere. Suprà quàm dici potest recreati atque exhilarati eorum aduentu Socij, ijs obuiam ex vrbe prodiere, vixdum à terrore illo bene vacui, suique compotes. Iam enim præter Constantinopolim, Rhædestum, & Selybriam, nihil in Thraciâ possidebant: cętera occupante Ioannizâ. Est autem Selybria ad Propontidem sita, haud procul Perintho. A Constantino Sylembria dicitur Megarensium colonia. Trans verò siue Hellespontum, siue Bosporum (quod vtrumque mare Brachium, seu Sinum Sancti Georgij Auctores nostri eius ætatis passim vocant) Pegis dumtaxat potiebantur; reliqua vicina regio Theodoro Lascari parebat. Quæ cum ita essent: & vix §. 4. *Vrbes reliquas Socij muniunt.*

ANN. 1205 latum vnguem ab vltimo, & generali excidio abesse societatis res viderentur: placuit de communi consensu, ad Pontificem Maximum Innocentium, aliosque quà Principes, quà Dynastas Galliæ, Belgijque potissimùm legationem opis petendæ adornare. Atque eius Principes Neuelo Suessionensium Episcopus, Nicolaus de Mailly, & Ioannes de Bliaus delecti fuere. Cæteros pòst paulò, satis alioquin sinistro casu perturbatos, atque anxios, nouum circa ferias Pentecostes perculit infortunium. Henricus quippe Dandulus, Venetiarum Dux, annis & laboribus fractus; maximè verò continenti illo dierum aliquòt, ab Adrianopolitanâ clade itinere, quo intestinis defluentibus, & scroto immensùm tumefacto, lethalem morbum senex contraxerat; tandem Constantinopoli naturę concessit, decimo tertio, ab initâ Ducis dignitate, anno: & in Sanctę Sophiæ solemni Principum pompâ elatus est. Ab eius obitu, qui Byzantij erant Veneti, suæ nationis magistratum constituêre: quem Consulem vocauere: quique ad vsque expugnatam à Turcis vrbem perseuerauit. Primus illum gessit Marinus Geni, quem perperam Venetorum Ducem appellat Nicetas. Nec multò pòst, vt eius mors Venetijs percrebuit, ab nouo Duce Petroziani, atque ipsâ Republicâ, quatuor viri primates legati sunt: qui amicitię fœdera, & pacta inter Socios conuenta, ab Henrico confirmari curarent: quod ipse perlubens fecit. Hoc eodem anno Byzantij è viuis pariter excessit Garnerus Episcopus Trecensis.

Legationem ad Christianos Principes instruunt.

Danduli mors.

Villehard. Nicet. Iustin. Bergom.

Camusat. Hist. Trecens.

§. 5. Sub id tempus quo Dandulus diem suum clausit. Scythæ qui cum Ioannizâ venerant: atque miserè incendijs, & populationibus potiorem Græci Imperij partem deformarant: æstus impatientes retineri nullo vnquam modo à Bulgaro potuere; sed omnes prædis onusti in Scythiam rediere. Nihilo secius Ioanniza cum Valachis suis, Tryballis, atque Bulgaris in Thessaliam penetrauit: Bonifacium bello petiturus, & Thessalonicam, quam multo milite; ac commeatu necessario ille instruxerat obsessurus. Et verò

Nicet. Villehard.

Serras

Serras primùm adortus est. In eâ Bonifacius præsidium antè præmiserat, cum Hugone de Colemy equite nobili, & forti: atque Guillelmo Arelatensi Protostratore suo lectissimâque militum manu. Primo impetu oppidum ipsum expugnauit Ioanniza: & quod peius forsitan fuit: ipse Hugo de Colemy in eo prælio occubuit; cæteri eius morte attoniti, in arcem se receperunt: munitam illam quidem, & quæ oppugnationem commodè sustineret. Qui tamen in eam compulsi erant, vim, quam parabat hostis, non expectantes, vitam atque supellectilem pacti, & præsidium, à quo securè vel Byzantium, vel Thessalonicam, aut certè in Hungariam, vt victis liberet, deducerentur, arce Ioannizæ traditâ magnum inquit Villeharduynius, dedecus consciuerunt. ANN. 1205. Serras occupat Valachus.

Nicet. Nicetas tamen, quantumuis Latino nomini infensus, non paulò mitiùs hæc narrat. Bulgarum, inquit, vbi Galli aduentare intellexerant: tametsi numero longè impares, virtute tamen suâ, & disciplinâ freti militari, quam in hoste nullam esse persuasissimum habebant: foras obuiam prodiere, maiori ausu quam successu; nam ij cæsi, & fusi à Bulgaris, quibus quidem carò stetit illa victoria, vrbem fugâ repetiere. Tam porrò acriter eos hostis persequi institit: vt vnà in vrbem victi, victoresque ingrederentur; & hi quidem direptum oppidum incendere: illi autem in arcem compulsi, strenuam propugnationem, dum opem ferret Marchio, meditabantur; quando Bulgarus muro atque aggere arcem circumcinxit: vt spes aut fugæ, aut auxilij à Bonifacio petendi, recipiendiue nulla superesset. Tunc enim honestis conditionibus sese, arcemque Ioannizæ dedidere. Ita Nicetas. Pergit porrò Villeharduynius: Præsidium Latinorum ex arce eductum, triduo toto penes se Ioanniza retentum, lautè & in speciem amicè habuit; tum verò, vide Barbari perfidiam, datam ijs penitus fidem violauit, & primùm omnibus spoliatos, mancipiorum in morem, ferro colligatos, & nudos, in Valachiam amandauit. Vbi mox nobilibus caput præci- §. 6.


Vu 3 sum

Ann. 1205. sum est, cæteri è vulgo milites in Hungariam relegati. Quod vulnus maius, quàm quisquam opinari possit, Societati inflictum socij omnes acerbè tulerunt. Inde perfidus Ioanniza munimentis vrbe, & arce nudatis: Thessalonicam contendit, & toti circa regioni solitudinem intulit luctuosam.

CAPVT XII.

Thessalonicæ tumultus. Adrianopolis obsessa.

§. I. Tumultus Tessalonicæ.



Bsente Bonifacio, Thessalonicam Eudocia eius vxor gubernabat; incolæ, quos solus timor in officio, & Latinorum potestate continebat, Bulgarorum victorijs & Marchionis absentiâ freti tumultum cient, Ioannizam expetunt. In Peloponneso tum agebat Bonifacius, & nauplium, quò se Leo Scurus abdiderat, adhuc obsidebat; quando eius tumultus ab vxore, per nuntium certior factus est: eam & vrbe discedere coactam, & in arcem se recipere: vbi diebus abhinc aliquot circumsederetur; Thessalonicæ, quæ subinde Ioannizam aduocarat, ab eo Præfectum esse Ezyismenum quendam Valachum: qui ante Brosaco, locisque vicinis Ioannizæ subiectis præfuerat. Bonifacius non calamo, sed ense respondendum esse ratus, obsidionem soluit; & Thessalonicam proficiscitur. Antè autem quàm ad eam appelleret, ex alijs ab vxore destinatis, victos & profligatos esse hostes, rebelles edomitos, pristinam vrbi tranquillitatem redditam edocetur. Mirè igitur eâ re lætus, retro concedit, & Scopiam, quam Vscopiam hodie Turci dicunt, Macedoniæ vrbem, iniurias ab Ioannizâ acceptas puniturus, deflectit. At vix hæc mente conceperat, cùm Adrianopolitanam cladem, Blesensis necem, Balduini Imperatoris

Nicet. — Sopiuntur.

toris captiuitatem intelligit. Quo nuntio perculsus obstupuit; tum amicissimorum capitum sorti illachrymans, & Ioannizæ crudelitatem, Græcorumque perfidiam detestans: Thessalonicam regressus est. Hîc quæstione accuratè in turbarum auctores habitâ, reos capite, cæteros omnes pecuniâ mulctauit. Et ne qua deinceps ab Alexio Imperatore, ac Euphrosyne metueret: in Germaniam, vel Italiam vtrumque relegauit. Sub hæc cognito Serras ab Ioannizâ obsideri; ei vrbi copias aliquot è suis submisit auxilio. Hi quanquam in itu, & vrbis expugnationem, & præsidiariorum calamitatem didicissent: re infectâ redire indecorum arbitrati, Bulgarica castra inuaserunt. Valachi verò, cùm nuperrimâ victoriâ, tum numero suorum elati (eos quippe cum apum examine ex aluearibus, aut crabronum è cauernulis secus vias erumpentium comparat Nicetas:) in eos irruunt, cædunt, profligant; ingenti Marchionis damno: qui vtramque hanc cladem; vt par erat, grauiter tulit. Et quia vix quidquam melius suppetebat: Tessalonicæ se inclusit; interim dum Ioanniza torrentis instar, per agros aggeribus ruptis, impunè grassantis & obuia quæque sternentis, Berrhoeam, reliquasque eius regionis vrbes expugnat, diripit, & incendit.

ANN. 1205.

Cæsi Marchionis milites.

§. 2. Henricus amissa recuperat.

Villehard. Nicet.

Henricus autem exercitum cogebat: partim ex suis, partim ex Græcis conflatum; cum quo Constantinopoli egressus, Heracleam tridui itinere distantem, ad deditionem, & Sacramentum adigit; parum nempe hactenus ab illis seruatum, nihil subinde etiam pensi iisdem futurum. Hinc Arcadiopolim concessit; cuius ciues, ne expectandum quidem hostem sibi duxerunt. Inde * Biziam Thraciæ (Visoyam vocat Villeharduynius) oppidum sanè quàm & præsidio, & structurâ munitissimum; quo nihilo secius eo potitus est. Postea * Aprum itum est. Neapolim perpetuò, sed perperam Villeharduynius nominat. Eam vrbem Græcorum, quà militum, quà ciuium numerus, sanè copiosus tutabatur. Vtrique tamen, vt signa Latinorum conspexerant, machinasque munimentis admoueri: cum hostium ducibus

1. 2.

ANN. 1205. ducibus colloqui petierunt, vt de conditionibus deditionis agerent: solam vitam pacisci contenti. At verò dum vtrimque eâ de re sermones miscentur: longiusque paulò, quàm vt militum, ad direptionem inhiantium, ardor ferret, ij protraherentur: inconsulto prorsus, atque ignorante cùm Henrico, tùm cæteris copiarum Præfectis, ab aliâ murorum parte conscendere, in vrbem irruere, atque diripere socij instituerunt. Malè omninò Henricum ea consilia, ciuiumque cædes habuere, inquit Villeharduynius: cui vtique eâ in parte facile assentior: quantumuis reclamet, pro suo more, Nicetas; qui indigna atque barbara, vidente, nec non permittente Henrico, sæuitum esse stomachabundus scribit.

§. 3. Veneti non segniùs in mari curabant, longioribus nauibus Orientalem oram infestam habentes. * Callipolis, & Panium potissimùm eorum impetum (crudelitatem ait Nicetas) & arma sensere: sed ea oppida retinuerint necne, non edisserit. Apri triduo Henricus cum copijs moratus, relictoque præsidio, Orestiadem siue Adrianopolim statuit obsidere. Scilicet nupera ad eam vrbem accepta clades occursabat animo: non vt terreret, sed vt stimularet ad vlciscendum. Quamuis non sola vindictæ cupiditas ad id consilij Henricum accendebat. Reputabat ipse secum cæterique duces quàm ipsorum interesset, eâ vrbe potiri: quæ, vt suo nomine Balduini & sociorum cladem signabat, sic etiam suâ peruicaciâ vicina oppida in rebellione confirmabat. Hæc certè Sociorum plerique omnes, quorum animi nuperâ quidem calamitate refrixerant, nunc verò nouę fortunæ, quasi postliminio ad se reuertentis facie exhilarati: nihilo prioribus leuiora facinora, spesque concipiebant. Alij tamen, cum suâ paucitate numerosum vrbis pręsidium, quod altissimos, munitissimosque muros tutabatur, conferentes: non tam victoriæ fructum, si caperent, quam famæ iacturam, si spe exciderent, pensabant. Nec temerè vllam expeditionem, hoc rerum fluxu, moliendam arbitrabantur, cuius exitus fortunâ magis, quàm consilio constaret.

Adrianopolim obsidet.

* 3.

caret. Adrianopolim porrò itum est, vrbs circumsessa, duᴄti aggeres, valli erecti, machinæ atque tormenta suis quæque locis collocata. Tum moniti ab Henrico incolæ, vti se dederent: si honestè, & vtiliter pacisci, quàm extrema quæque experiri mallent; sibi certum esse inde non recedere, nisi vel deditione, vel vi vrbe occupatâ. Illi verò nihil molliùs responderunt: cum ijs hostibus paciscendum non esse, qui pactionibus, quasi decipulis vtantur; Aprensium, quos ipsi tam turpiter perfideque ludificassent, exemplo cautos esse, ne Latinis fidant. Angi hac responsione Henricus, & suorum rursum damnare leuitatem, & inconsiderantiam. Videbat enim vrbem duplici profundâque fossâ circumdatam, vrbis verò turribus altissima esse adiecta pegmata: quæ pellibus, taurinisque tergoribus contra ignem, & ad propugnatores defendendos obtegebantur. Supra eas ligneas turres mali defigebantur, in quibus ea erant, quæ flammam cito concipere, lateque spargere solent. Alicubi in eis etiam fabrefacta bellatorum sedilia visebantur: cuiusmodi eorum sunt, qui ex tabulatis fundum maris explorant, vel piscantur. In quibusdam saxa catenis suspensa grauibus, & demittebantur, & rursus attollebantur: vel etiam aliò transferebantur, prout res & vsus poscebat. Præterea quatuordecim tormenta in turribus conspiciebantur. Quare Henrico visum est priorem fossam vi occupare: tum alteram aggestâ humo, saxisque, atque arborum truncis complere: quo machinas muris admouerent. Quod sanè perdifficile fuit; nam & altissima latissimaque erat fossa: nec tutus ad eam explendam socijs erat accessus; propugnatoribus strenuè hostes arcentibus. Exæquata tamen & illa tandem fuit: non sine fuso vtrimque sanguine; & eius hiatus, quà sociorum, quà præsidiariorum cadaueribus multis in locis obductus est. Mox scalæ, quas turritas vocat Nicetas, ad munimenta admoueri cœptæ; at earum vna, in aggestâ recens terrâ subsedit: altera, ad murum producta, priusquam diabathra, seu pons nauticus conijceretur: saxis tormentorum contrita,

ANNO 1205.

Sed frustra.

ANN. 1205. & inutilis reddita est; plurimis qui ex eâ pugnabant, vel mutilatis, vel occisis. Petro inprimis Plancio, seu de Braiecueil viro spectatissimæ fortitudinis, calua saxo est confracta: lethali prope vulnere, magno vtique eius expeditionis detrimento. Eum mox socij lecticâ seminecem in castra recepere. Itaque eo die oppugnatio irrita fuit. Postridie nihilominus resumpta, haud meliori successu. Namque propugnatores, postquam hostium machinas pæne omnes turribus imminere, pontem sublicium à quibusdam traduci, mæniaque ipsa contingi vident, armati portis erumpunt, machinasque sociorum incendunt. Ad hæc non minùs à tergo premebat malum. Valachi siquidem, & Scythæ magno numero, circa vallum obequitantes, importari in castra commeatum non sinebant. Quare plerique obsidionem soluere: alij nouas Byzantio copias aduocare suadebant. Postremum Henrico placuit: quem irritum discedere pudebat. Ergo milites in vrbe scripti, & Adrianopolim abire iussi sunt. Non modò à sociorum Ducibus, sed etiam, si Nicetæ credimus, à Martino Cardinali, & Thomâ Constantinopolitano Patriarchâ, nuper Venetijs profecto; qui ni porrò pergerent, sacris interdicebant. Habes tandem Thomam Maurocenum, Constantinopoleos Patriarcham; quàm nuper verò Venetijs profectum, nescio; arbitror cum ipso Martino Cardinali.

§. 4. Soluta obsidio. Priùs verò quàm huiusmodi auxilia socijs aduenirent: eorum exercitum dira morbi lues inuasit, famis pedissequa: alijque non minùs lethales morbi, ex insolenti noxiorum ciborum esu contracti, plurimos absumpserunt. Valachi verò eductas ex vrbe Byzantinâ copias, tam crebris infestisque velitationibus arroserunt: vt pauci ad cæteros adiungerētur. Quapropter Henricus, solutis castris in Pamphilum (Pamphiliam suprà nominabat Villeharduynius) se recepit: vbi milites ex diuturnis laboribus se refecêre. Hîc duos menses totos substitit: minimè tamen otiosus. Quippe ea, quæ ad obsidionem necessaria sunt, moliri interim studens. Conon, Bethuniæ Aduocati frater, toti huic

huic rei ab Henrico Præfectus, è montibus, qui Propontidi incubant, cædi ligna: tum ex maritimis vrbibus triremium, nauiumque aliarum malos colligi, & in Pamphilum, vbi statiua habebat Henricus, aduehi curauit. Machinæ hoc pacto veteres instauratæ, nouæ etiam exædificatæ sunt; & quo ab igne minùs ijs esset periculi, ferreis laminis plerumque contectæ. Inde sub hyemis initium Pamphilo egressæ copiæ Didymotichum coronâ cinxerunt. Adrianopolim eâ anni tempestate rursum aggredi, nec securum nec necessarium iudicabant; satiùs ducentes, dum sibi opes crescerent, hostique animi detumescerent, minùs munita oppida oppugnare. Ergo Didymotichum obsident, & rebus omnibus bene compositis, muros verberatum ibant; quando subito Cælum obnubi, & in pluuiam, adeo præcipiti casu, solui cœptum est: vt non modò ab oppugnatione milites cohiberet, sed & Hebrus amnis, quo ipsa ciuitas alluitur, sic repentè intumuit: vt ripas superlapsus, torrentis in modum arua corriperet, arma, equos, milites, machinasque secum deuolueret; quę profecto eluuio si noctu accidisset, næ magnam exercitui cladem erat allatura. Henricus igitur de tormentis amissis, vel infractis frustra questus, obsidionem soluit: hominibus se, non Cælo pugnare dictitans; Byzantiumque cum copijs aliquot, in oppida reliquas, quà maritima, quà mediterranea partitus, redijt. Et is fuit eius expeditionis exitus; qui, vt societati perincommodus, sic & Henrici existimationem apud socios labefactare potuisset: si illi consilia, prudentiamque Imperatoris euentu metirentur. Conducit sanè quàm maximè ducibus, quò militi populoque sint gratiosi, eorum imperij initia, non modò fortitudine, & dexteritate: sed & felicitate inprimis esse illustria. Nescit vulgus à Cælo sibi, ducique victorias expectare. Innatum veluti habitum, aut fatorum lege adscriptam, Imperatori vincendi prærogatiuam comminiscitur. Et hoc est quod fortunam vocant; quam Alexandro, Cæsari, Demetrio alijsque eiusmodi, propitiam, & prope

ANN. 1205.

Didymotichum obsidetur.

Duci felicitas necessaria.

ANN. 1205. prope ancillantem veteres scripsere. Nihil verò ex hoc sinistro rerum casu, Henrici famæ apud suos decessit; qui & eius singulares animi dotes, & fortunam etiam non vno experimento compertam habebant.

§. 5. Res Sociorum in Asiâ.

Res Latinorum ad occasum solis positæ, Deo sic volente, prope occidebant. Ad Orientem sanè haud melior Græcis fortuna oriebatur. Imperium distractum, diuulsumque tricipiti, ait Nicetas, belluæ præda erat. Et primùm quidem, vt de Latinis taceam, Maurozomes Manuel, Caichosrois auxilio fretus: qui non multò antè recuperato Iconio, filiam desponderat: nullum non lapidem mouebat, & Imperatoris nomen aucupabatur. Atque is Chonas, Nicetæ patriam, (quam Colossen veteribus nominatam ait Constantinus) Phrygiæ Laodiceam, aliaque loca, quę fluuius Mæander anfractu suo complectitur, possidebat. Theodorus inde Lascaris, iam pridem Imperator in ipsâ vrbe salutatus: Bithyniæ parti, Lidijs, Philomolpijs, Smyrnensibus, atque Epheso imperabat. Demum Dauid Comnenus, & Alexius eius frater, cum copioso exercitu, quem ex Paphlagoniâ, atque Heracleâ Ponticâ contraxerant, nec non Iberis, quos hodie Georgianos dicimus, mercenarijs, multa oppida, arcesque in dies ditioni suæ adiungebant. Duos hosce fratres, Emmanuele Sebastocratore (Isaacum vocat Laonicus) Andronici Tyranni filio natos scribit Nicetas: qui posteaquam sub annum Christianum octogesimum sextum, supra millesimum centesimum, Byzantij horrendâ morte perierat, totaque, in eius odium, Comnena familia vrbe pulsa fuerat: Isaacus, seu Emmanuel eius filius in * Pontum Asiæ, cui Andronicus olim præfuerat, abijt: ibique, de gentis consensu, non modò regionis illius, & Colchidos, atque Trapezuntis Dominus: sed & Imperator inauguratus est. Hic moriens inter binos filios ita descripsit Imperium, vt Alexio Trapezus, Oeneus, & * Sinope, cum Imperatoris titulo cederet: Dauidi verò Pontus, & Heraclea Pontica. Et illorum quidem posteri ad annum millesimum quadringentesimum sexagesimum

Nicet. Logoth.

Trapezuntis Imperium.

4.

5.

Lāonic. Herold. sexagesimum primum in eo regno perseuerarunt; quo demum anno, vti alibi docebimus, à Mahometo Turcarum Tyranno, hæreditate, simul & vitâ exuti sunt. Præter tres illos à Nicetâ commemoratos, nonnulli alij minoris notæ, vt quemque fors tulit, regiunculas, aut oppida obtinuêre. Corintho etenim, & Nauplio Leo Scurus potiebatur: Lacedemone Chamarethus itidem Leo: Michael Ioannis Sebastocratoris filius Ætoliam, terrasque Nicopoli vicinas, & Epidamno confines possidebat. Aldebrandinus, nescio quis, Italus natione: sed Græcorum moribus probè, inquit Nicetas, educatus, Attaliam; alius, cuius nomen non prodit, Rhodum insulam tenebat. Quas omnes eo retuli, quo constet quàm facilè à Latinis Græcum Imperium poterat recuperari, si subsidia ex Europâ habuissent; quorum ope sensim tyrannulos illos è nidis suis sigillatim extruderent. Ann. 1205. Vt Græcia distracta.

CAPVT XIII.

Renerius de Trith Philippopoli excedit. Cædes sociorum. Ioanniza crudeliter victorias exercet.

Villehard. Nicet. IOannizam in Thessaliâ victoriæ, Bonifacium victoris metus Thessalonicæ retinebant. Ille tandem, vt regionem totam cum Valachis suis depastus erat: videbatque nihil intactum sibi, præter vrbes aliquas, superare: quas tum machinarum inopia, tum incommodum anni tempus oppugnare haudquaquam suadebant: prædis onustus in Bulgariam reditum adornabat; quando insperatam ei bene gerendæ rei occasionem noua Græcorum perfidia obtulit. Etenim Phi- §. I.

 lippopolitani

Ann. 1205. lippopolitani ciues reputare animo cœperunt Renerium de Trith, Dominum suum, à filio, potiorique parte Gallici equitatus, quem secum adduxerat, destitutum, cum exiguo reliquorum præsidio, maximam vrbem vix tueri posse, si in eum ciues irruant, vel à Valachis ipse impugnetur; maximè cùm à cæteris socijs quà Gallis, qua Venetis, multiplici iam clade attritis aut bello implicatis, auxilij vix quidquam sperare possit. Re igitur cum Popelicani (id loci nomen) incolis agitatâ, hos ad Ioannizam ablegant; monentque, vt ille ad se continuò venire non omittat: Philippopolim, ad eius conspectum, vltro sese dedituram: sustinendo ciuium congressui, nedum hostium obsidioni Latinorum præsidium non esse. Hæc occulta quamuis consilia Renerium minimè latuerunt; qui veritus ne à ciuibus Valacho traderetur, cum exiguâ illâ sociorum manu vrbe egressus, Popelicanum concessit, quod iam Bulgari in potestate erat. Eius oppidi suburbiorum partem, in quâ obsides pactæ à ciuibus deditionis aliquamdiu asseruati fuerant, in eius perfidiæ detestationem subiecto igne concremauit. Inde in Stenimachum castrum, tertio ab vrbe Popelicani lapide, sese recepit. Vbi postea, vir magnanimus, arctissimam tredecim mensium obsidionem constantissimè tolerauit: vti suo loco dicemus.

Philippopolis ad Ioannizam transit.

§. 2. Porrò Philippopolim Valachus magnis itineribus contendit: vrbem sibi dedi rogat. In eam, si bene conijcio, Alexius Aspietes à Ioannizæ castris profugus, post Renerij discessum, admissus erat, vrbemque moderabatur. Et ille magno sanè opere, vt par erat, à truculento homine sibi metuens, vrbem reddere cunctabatur. Ioanniza contra minis paucissimis pollicitationes multas admiscet. Omnia aurea, & ex animi ciuium sententiâ spondet. Quorum nihil admodum præstitit, vt in eam admissus est. Oderat enimuero ciues illos Ioanniza iam pridem: tum quòd, quum aliæ pleræque omnes vicinæ eum vrbes excepissent, sola Philippopolis restiterat: tum verò quòd Alexium

A Valacho vastatur Philippopolis.

Aspietem

Aſpietem receperant. Vt ergo in vrbem copias immiſit: eam cæde infandâ crudeliter, perfidéque polluit. Nam & Archiepiſcopum trucidauit; deinde Aſpietem, talis fune traiectum, & in ſublimi trabe pedibus ſuſpenſum, peremit: ciuium verò Principes, hos cute viuentibus detractâ, exquiſitis interfecit ſupplicijs: illos capite truncauit. Reliquos compedibus, & teterrimæ ſeruituti addixit; poſtremò ipſam vrbem funditus euertit. Hanc ſortem paſſa eſt Philippopolis, inter tres totius Imperij vrbes Principes facilè numeranda; quam Balduinus chariſſimo clienti, & ciui ſuo Renerio de Trith Valentianenſi in fidei, & fortitudinis ſuæ præmium concesserat. Qui porrò ab Aſpietâ ſteterant, atque à Ioannizâ defecerant, tyrannum latere diutius, eiuſque ſæuitiem euadere poſſe deſperantes, palam ab eo pars ad Theodorum Laſcarim, pars Adrianopolim, non pauci etiam Didymotichum transfugêre. Et hi quidem ad ſocios certos homines Byzantium allegant: qui ſibi ducem & vrbi Dominum Theodorum Branam depoſcant: eâ lege, vt pro eâ Sacramentum Imperatori Latino-Græco diceret. Erat is è primâ Græcorum nobilitate Latinis amiciſſimus, quique Agnetem Ludouici Galliæ Regis filiam, Andronici viduam, recens duxerat. Subolue-runt ſcilicet ea conſilia Ioannizæ, eumque in rabiem proximè adegerunt. Mox Græcis ruinam, extremamque perniciem minitatus, Tartarorum, & Valachorum exercitum in Græciam effundit; iam enim ipſe in Bulgariam redierat. ANN. 1205. A Valacho deficiunt Græci.

Henricus interea temporis ad ineuntem hyemem Pamphili moratus, Ruſium (Topirus ea vrbs olim, teſte Conſtantino Porphyrogennetâ, dicebatur:) Oppidum Macedoniæ opportuniſſimo, & fertiliſſimo eius regionis loco ſitum, munire copioſo inſtituit præſidio. Eò igitur Theodoricum Loſſenſem (Theronem, vel Therum vocat Nicetas) virum illuſtrem, & nobilem Romaniæ Seneſcallum: atque Theodoricum Teneramondenſem Conneſtabilem eiuſdem Imperij, cum centum & quadraginta lan- Villehard. §. 3. Henricus Macedoniam tuetur.

cearijs,

Ann. 1206. cearijs, pluribusque alijs leuioris armaturæ equitibus amandat: Græcos bello validè petere, terramque vastare iussos. Ipse cum reliquo exercitu, ad Byziam vsque contendit; quam & præsidio centum & viginti hastatorum, & velitibus sat multis, Duce Anselmo de Caieu firmauit. Quod idem ab Venetis Arcadiopoli præstitum. Branæ autem Henricus lubens Apros permisit; & is plurimis è Græcâ nobilitate, qui à Valacho ad ipsum transierant, comitatus, fretusque earum, de quibus diximus, vrbium præsidijs suos ipse ciues strenuè vrgere instititi; quæ res depositæ propè societati saluti fuit. His peractis Henricus Constantinopolim reliquas copias reduxit.

§. 4. Theodorici Teneramondani cædes.

Nec minùs Ioanniza Bulgariæ Rex, quæ suarum erat partium strenuè, solerterque agitabat. Hic quippe talisque vir, multiplici victoriâ, & nouâ ditionis accessione factus auctior, nihil mediocre meditabatur: nec quidquam minùs, quàm totum Orientis Imperium spe conceperat. Ineunte igitur anno Christiano cIↃCCVI. coactum è Bulgaris, Valachis, & Scythis ingentem exercitum medio Ianuario emittit, Adrianopolitis & Didymotichensibus subsidium. Et hi quidem eo freti, è suis vrbibus egressi, impunè hostiles campos vastabant. Grauis enimuero ea res Theodorico Teneramondano, & indigna visa est: atque ideo relicto pauculo Rusij, cui pro Lossensi Byzantium profecto præerat, præsidio: cum centum & viginti lancearijs tertio Calendas Februarias, sub vesperam erumpit: & totâ nocte ambulat. Mane cognito hostiles copias in proximo vico statiua habere, silentio eos adoritur. Et commodùm quidem interceptis vigilijs nonnullos incautos Socij interficiunt, decemque aut duodecim equos abducunt. Hæc ita perpetrata sunt: vt abirent illi antè quàm rumore per castra peruagante, classicum caneretur. At, vti multum casus vbique, sed in bellis plurimùm valuit semper, eâ ipsâ nocte Scytharum, & Bulgarorum equites septies minimùm mille, à reliquis prædabundi abscesserant: & ij propter Rusium substitere, rimantes si quà in

Villeh. Nicet.

vrbem

vrbem possent irrumpere. Oppidani verò, & præsidiarij, vt pauci erant, continuò portas occludere: ad arma conclamare, perstrepere, quasi multi essent: & omnes pæne ad muros accurrere. Hostes verò discedere, meliorem aliquam occasionem venaturi. Ann. 1206.

Et ea sanè obtigit supra spem luculenta. Theodoricus namque Teneramondanus, cum suis copiolis è castris Bulgaricis reuersus, sesqui-leucâ ab vrbe Rusio, ijs occurrit. Quibus visis mox in ordines suos ire iubet: copiasque omnes in acies quatuor distribuit: non tam animo pugnandi, quàm milites cum minimo dispendio Rusium recipiendi; in quam, si Deo bene propitio euaderent: hostibus ereptum iri sese credebat. Verùm Tartari, & Valachi Græcis eius regionis incolis admixti, in postremam aciem irruunt: & turmam Theodorici Lossensis, quam eo absente ductabat Vilanus eius frater totis adoriuntur viribus. Et restitit ille cum suis, obuersis ocyus in hostes vultibus: seque generosè aliquamdiu, atque acriter defendit. At occisis plerisque eius turmæ equis, turbari ordines, & in proximè sequentem hæc turma retro agi cœpta est. Alteram illam ducebant Andreas de Iurbise, & Ioannes de Choisy: qui recedentem primam aciem, atque hostium vim strenuè stiterunt. Et hîc atrociùs pugna recruduit. Verumenimuero vrgere Scythæ, & Valachi: fatigatis integros sufficere, equos de industriâ telis impetere, stridore horrendo, homines bestiasque terrere. Tandem & illius turmę virtus numero hostium cessit: in eam, quam Theodoricus ductabat, inclinata; quâ etiam post paulò fusâ, cæsaque tota vis hostium in primam aciem, cui præerat Carolus de Fraisne Valentianensis incubuit. Et ille profectò magno animo prælium instaurauit, magnamque Scytharum & Bulgarorum stragem edidit. Nec omittebant interea temporis socij omnes receptui intendere; & iam Rusio dimidiatæ horæ itinere aberant: quando & ijs spes fugæ, & hostibus metus, ne elaberentur stimulos addidit, vires vt omnes colligerent, nouissimèque decertarent.

Conflictus Sociorum cum Valachis.

ANN. 1206. rent. Porrò nostris, quo minus euaderent, grauis oberat armatura: quæ & eos fatigabat suo pondere, & cursum cohibebat. Scythæ contrà vix iustis armis, ijsque leuioribus obtecti, faciliùs in socios irruere, & eorum tela declinare poterant. Ergo paulatim equi concidere, equites obtruncari cœpti sunt; & tandem aliquando, quod reliquum erat fundi iam impune, cædique ab hostibus; vt ex viginti supra centum equestris ordinis viris (malum!) vix decem Rusium euaserint: cæteris vel captis, vel interemptis. Hîc Theodoricus Teneramondanus, Oricus de Insulâ, Ioannes de Sompone, Andreas de Iurbise, Ioannes de Choisy, Guido de Couuelans, Carolus de Fraisne, Villanus Lossensis, Theodorici Senescalli frater, pluresque alij mortem gloriosam quidem sibi, societati prope toti exitiabilem oppetiere, pridie Calendas Februarias. Qui Rusium sese ex eâ clade receperant, primâ noctis vigiliâ ex vrbe clam aufugêre, Rhædestum contento cursu petentes: quò sub diei crepusculum peruenêre.

Cædes.

§. 5. Henricus quid post eam cladem egerit.

1. Henricum cæterosque Constantinopoli socios, ad quos festo Purificationis Deiparæ Virginis die, quem Græci hypapanten, seu occursum vocant: cùm supplicationi ad * Blachernas de more interessent, percrebuerat, supra modum eius cladis fama perculit: totamque pæne de conseruandis Imperij reliquijs spem abscidit. Confestim tamen ab Henrico Senatus coactus, consultusque est: quid in tali discrimine agendum foret. Selimbriam, Byzantio bidui itinere distantem, placuit firmare præsidio; & eò mox Macarius de Sancto Maneholdo, cum quinquaginta hastatis nobilibus missus est. Vbi obiter aduerto hîc passim præsidia equitibus, contra morem hodiernum, constare; tanta scilicet erat eius temporis equestris ordinis existimatio vt ij aptiùs id munus fungi, atque vrbes arcesque in quibus cohiberentur, non tam custodire, quàm hostes quà obsidentes, quà palantes suis finibus arcere posse crederentur. Vt nostris omnibus animos ea clades imminuit, sic Ioannizæ mirum in modum auxit; nec enim

nesciebat

nesciebat in eâ florem ipsum Latinæ nobilitatis occubuisse. Ann. 1206.
Quapropter eâ sorte vtendum ratus; è suis maiores quàm antea copias contrahit: Scytharumque auxilia comparat, quibus cùm Græcorum vim bene magnam adiunxisset, dum spe calerent militum animi: in sociorum terras inuehitur, arces vrbesque passim obuias vel expugnat, vel deditione in potestatem redigit; nec enim erat qui vel aperto marte congredi cum tantis copijs, vel obsidionem expectare sustineret.

§. 6. Apros Valachi occupant.

Arcadiopolim ante Veneti destituerunt, quàm eò Valachus adueniret. Aprum inde hostis accessit. Nicetas non à Ioannizâ, sed ab ijs copijs qui ad Rusium socios ceciderant, erantque Scytharum decies circiter mille equites, eam vrbem ait esse interceptam: ab ipso Ioannizâ refert Villeharduynius. Ei vrbi præsidium, ex Latinis Græcisque conflatum, fuerat impositum: quibus, his quidem Theodorus Branas, Philippi Regis Galliæ sororius, illis verò Bergo de Fransures Bellouacensis præerant; vterque vir strenuus, & inuicem bellicæ laudis opinione, multùm assimilis. At verò tantus fuit Scytharum, & Valachorum siue ardor, siue numerus: vt nostros tantis copijs impares primo assultu superarint: ijsque magnam partem cæsis, munimentis occupatis, in vrbe victâ plusquam barbarè, gladio, igne sæuire cœperunt. Euasit Branas, non autem Bergo Fransurius: quem captum, se coram Ioanniza iussit interfici: cæterosque cum de plebe Græcos, tum Latinos, cum liberis & coniugibus in Valachiam terram, ibi seruitutem seruitum abduci. Demum non modò munimenta, sed & ipsa ædificia miseræ vrbis, tametsi hactenus opulentæ, & in loco commodissimo collocatæ, dirui penitus, & solo æquari præcepit.

§. 7. Rhædestum.

Ab eius pugnæ æstu calentes adhuc maritimam Rhędestum, vrbem alterâ nobiliorem, muris turribusque munitissimam, atque ab eâ duodecim circiter leucis distantem, hâc occasione conuersi sunt. In eâ Venetorum erat præsidium copiosum, ipsumque recenti bis mille expedi-

ANN. 1206. torum, è Gallo-Belgico agmine, equitum accessione auctum. Et poterant sanè commodè, non modò Ioannizæ victorias sistere, sed & impetum eludere: si stare voluissent. Verùm Apri expugnatione, & quam in ea exercuerat hostis sæuitiâ turbati, sic animis conciderunt: vt, ne conspecto quidem hoste, nedum expectato, in fugam præcipites, & indecorè ierint; & Veneti quidem in naues illapsi, mari se commiserunt: equitatus verò leuis armaturæ, quæ Gallis, Belgisque constabat terrâ diffluxit. Ioannizæ, cui nondum fortassis in mentem venerat eas vrbes aggredi, quæ ad mare positæ; nauibus, quibus ipse prorsus carebat, nouum in dies commeatum à socijs accipere impune poterant: eâ tamen Latinorum fugâ cognitâ, mox aduolat, & à Græcis, qui remanserant, vltro portis patentibus in vrbem est introductus. Et ijs breui congiarium, quâ erat in supplices munificentiâ, elargitus est. Omnes enim, pauculis exceptis, qui clam fugerant, seruituti addictos, in Valachiam deportauit; dein vrbis muros, pro suo more, euertit, oppidumque, nimiùm quantùm olim opibus, virisque nobile, barbarè deleuit. Hinc * Perinthum (Pauedor Villeharduynius appellat) quamquam deditione captam, haud mitiùs habuit. Inde Arcadiopolim, Venetorum vrbem, itum est, inquit Nicetas, à quo multùm discrepat hoc loco Villeharduynius. Hic enim non Arcadiopolim, sed Arecloyam nominat; & quam ille in mediterraneis, hic ad mare collocat. Vrbem cæteroquin, vtriusque consensu, præsidio & muris egregiè munitam: quam tamen tanto ardore, & impetu oppugnare Barbari perseuerarunt: vt in eam irrumperent. Ergo hic inhumaniter Scytharum Bulgarorumque rabies bacchata, ferro cuncta, atque igne deleta sunt: neminique præterquam vili plebeculæ parcitum. Si modò parcere est, è sinu patriæ abreptos æternæ subijcere seruituti. Daonium Thraciæ oppidum maritimum, Mesenæ atque Zurulum, eamdem crudelitatem, aliquæ etiam perfidiam, expertæ sunt; quamquam enim libertatem, vitamque pactæ fidem Ioannizæ

Ioannizæ crudelitas, in varijs, à se captis vrbibus.

2.

Ioannizæ accepissent: nihil ille præter solitam barbariem rependit. Cumque eorum furori obex, nec à Græcis, nec à Latinis vllus poneretur: quæcumque ad principem vrbium Constantinopolim pertinent, oppressa sunt: spectante, & nihil aliud quàm fremente Henrico, cæterisque societatis Ducibus luctu & mærore confectis. ANN. 1206.

Post hæc * Athyram, (Haturam corruptè Villeharduynij codex:) altero ab vrbe lapide, Scythæ & Valachi petiuerunt. Eam Pagano Aurelianensi Balduinus in sortem tradiderat; & ille suo præsidio, ac commeatu instruxerat. Cæterùm, inquit Nicetas, ciues principiò cum Scythis pecuniâ transegerant;. à quibus etiam erant in eam vrbem missi certi homines, qui pactos numos postularent. Interim quosdam ex Latinorum cohorte, qui Rhædesti cum Branâ fuerant, vesperi vrbem ingressos Atyrani non grauatè susceperunt: rati se eorum armis ab Schytharum iniuriâ liberandos; sed eâ ipsâ nocte, qui aduenerant, socij vrbe dilabuntur, operâ datâ vt hostes præterirent. Sed illi spe suâ frustrati in Scytharum aliquot manipulos emissarios incautè irruunt: à quibus iuxta Rhegium momento pæne omnes iugulati sunt. Scythæ dein ad vrbem mouêre, & à popularibus suis pecuniæ exactoribus, clam nocte concubiâ funibus per muros attracti, portisque potiti, infandam cædem, & præteritis longe atrociorem eâ nocte ediderunt. Parum quippe fuit belluis istis vrbem, somno oppressam, vastare, pecudum more ciues omnis sexus, & ordinis mactare, ita vt sanguine tota inundaret, quin etiam infantiam, de gremio matrum vberibusque auulsam, ad lapides fractis ceruiculis elisêre. Pauci omnino conscensis maturè nauigijs calamitati subducti sunt. §. 8. * Athyra. 3.

ANN. 1206.

CAPVT XIV.

Græci serò sapiunt, & à Ioanniza deficiunt. Henricus socias vrbes obsidione liberat.

§. 1.  Ictor igitur Ioanniza Thraciam prope vniuersam, non tam possidet, quàm vrit. Diceres non hominibus modò, sed & naturæ ipsi, atque adeo rebus sensus expertibus bellum indixisse. Solæ vrbes duæ, extra Constantinopolim, in Latinorum potestate superabant: Bizya, cui Anselmus de Kaieu, cum centum viginti hastatorum nobilium præsidio: & Selymbria, cui Macarius à Sancto Maneholdo, cum quinquaginta dumtaxat equestris ordinis viris præerant; cætera quaquauersum, quinque dierum itineris spatio, vasta, atque mera solitudo erant. Henricus verò reliquusque Sociorum exercitus, Constantinopoli coacti, res ad tolerandam obsidionem necessarias sedulò comparabant; & Græcis quò vellent, abeundi potestate factâ, mænia inter se partiti sunt. Haud enim aliter credebant fore, quàm vt Ioanniza, totius Imperij Græci potiundi cupidus, ipsius caput saltem attentaret; sed secus euenit. Hostes enim haud procul quidem vrbe ipsâ statiuis positis sæpius præliabundi ad mænia accesserunt: nonnunquam etiam per Diui Romani portam ostentandæ cùm fortitudinis, tum felicitatis suæ pauci numero latenter ingressi, portitores atque vigiles interemerunt; sed mox vt classicum audiri in vrbe cœperat, effusi in fugam, castra stationemúe suam repetebant; & paulò pòst domum ipsi reuersi sunt, incredibilem captiuorum vim, tanquam pecudum armenta, secum trahentes.

Nicet. Villehard.

Henricus Constantinopoli obsidionem expectat.

§. 2. Verum enimuero euigilarunt tandem aliquando, & sapere

Græci à Ioanniza deficiunt.

sapere didicerunt, sed serò Græci illi, qui Latinis deiectis, Ioannizæ se addixerant. Nempe, quod est in paræmiâ: abactis canibus, oues custodem sibi lupum adsciuerāt; qui pro tutelâ quam quærebant, per meram barbariem, strages, perfidiam, nouissimam totius Imperij ruinam moliebatur vir omni diritate, atque immanitate teterrimus. Non aliam ab eo sibi expectandam esse gratiam demum intellexerunt, quàm vt à Cyclope illo postremi sociorū vorarētur. Quod vtrumque procul dubio futurum erat, si Adrianopoli, & Didymoticho, quæ solæ vrbes nondum eius iugum subierant, potiretur. Actumque esset tum de Græciâ vniuersâ, deque Græcis omnibus: quos Barbarus cane peius & angue oderat. Eam ob rem clam ad Branam Constantinopoli agitantem nuntium destinant: per eum, vti cum Henrico Pro-Imperatore, cæterisque socijs in gratiam sibi redire liceat, efflagitant: atque ab ijsdem Societatis principibus Adrianopolim, & Didymotichum Theodoro Branę concedi postulant. Si annuant, futuros se omnes in eorum potestate, æternumque Ioannizæ nuntium remissuros esse. Ad Senatum eâ de re Henricus retulit; quæ sanè, vti vsus postulabat, in vtramque partem seriò diuque agitata est. Nemini enim nouum, & periculosum videri non poterat, hasce vrbes Imperij claustra, & quæ socijs tam carò constiterant, leuissimæ Græcorum fidei eo tempore permittere: quo vel minima sinistrorsum inclinatio, res societatis in interitum adductura esse videbatur. Verùm necessitas ante rationem est. Nisi postulatis annuerent, non modò eorum, qui Valachi castra sequebantur: sed & Branæ, eiusque asseclarum, quorum profectò haud erat exiguus numerus, odium atque defectio timenda meritò erat. Tum verò non leuiter attendenda fuit Branæ fides, iam multo experimento, & tempore comprobata; iuxta & eiusdem coniugium, idque vel Philippi Galliarum Regis nomini, cuius sororem in matrimonio habebat, vt cætera deessent, tribuendum. Ergo Adrianopolitana, & Didymotichensis vrbes, ditionesque Branæ, sub conditione

ANN. 1206.

Adrianopolis & Didymotichus Theodoro Branæ conceduntur.

concessæ

Ann. 1206. concessæ sunt: vt de ijs fidem, atque operam Imperatori Latino præstaret.

§. 3. Vtramque Ioanniza oppugnat.

Hoc igitur pacto nouo fædere Latinis Græci commissi sunt: spesque concepta Ioannizam, si non profligandi, saltem intra angustiores limites cohibendi. Ipse verò posteaquam cum suis Valachis, & Scythis toto verni ieiunij tempore, atque etiam post Pascha sat multo, terram Thraciam vastarat: Adrianopolim, & Didymotichum versus iter intendit: spe vtrâque, non maiòri negotio, quàm alijs hactenus potiundi. Hic opportunè Græci clam sensimque modò viceni, modò trigeni, aut quadrageni, centeni quoque aliquando noctu ex eius se castris proripere cœperunt. Ille nihilo propterea segniùs ad Didymotichum mouet: alios è ducibus cum parte exercitus ad circumsedendam Adrianopolim destinat. Vtramque ergo vrbem vno tempore coronâ cingit; & Didymotichum quidem sexdecim tormentis lithobolis verberat; ciues ad deditionem, quà minis, quà promissis vrget. Negare illi fortiter se cum eo pacisci, cui nulla sit fides: quique, præterquam Græcum imperium perdere, virosque pecudum more iugulare, in animo sit nihil. Ioanniza vim parat, muros pulsat, interim dum Scythæ suburbanos agros populantur. At quia tamen oppidum, in edito loco situm, difficillimè expugnari posse animaduertit: Hebrum fluuium qui circumfluebat, & per meatus paucis cognitos, ciuibus aquam suppeditabat, alio diuertere instituit. Id vel subodorati, vel veriti oppidani quibus vnica erat illa aquatio: è propugnaculis & turribus, blandis verbis hominem placare conabantur: affirmantes se quidem, quin ei sacramentum dicerent, tributa penderent, Regemque eum suum dicerent, & venerarentur haudquaquam detrectare; dum his ipse contentus sit, atque abscedat: neue vrgere perseueret, nobile oppidum à militibus barbaris direptum, vt euertatur. Tanto autem ille impotentiùs fremere: nullas conditiones admittere; ni se dedant, eos exquisitissimis confectos supplicijs, lento igni cum ipsâ vrbe concrematurum

crematurum esse denuntiare. Ipso obsidionis tempore, Didymotichi, quò se post captam Constantinopolim receperat, Ioannes Camaterus Patriarcha Schismaticus diem clausit extremum. His ita comparatis, per occultos viarum anfractus, Legatos Byzantium, ad Henricum & Branam suppetias petitum oppidani misere. Et quamquam satis bene multi sapienter dissuaderent, ne tantulas socij exercitus reliquias temerè aperto obiectarent periculo; pronuntiatum tamen est ex Senatusconsulto Didymotichensibus eundum esse auxilio. Ipse adeo Cardinalis, pro Pontifice summo Legatus, milites ad tam nobilem expeditionem hortatus: etiam noxiarum omnium veniam cunctis qui eam susciperent, vel in eâ decederent, concessit. ANN. 1206.

§. 4. Didymotichenses liberat Henricus.

Henricus ergo cum quanto maximo potuit exercitu Byzantio Selymbriam mouit: atque sub eius vrbis muros castris collocatis, septem octoúe dies substitit; quorum vix vllus effluxit, quo non ab Adrianopolitis ciuibus opem per nuntios rogaretur: quam nisi maturaret, de vrbe actum esse. Eâ re Bizyam contendit, in cuius agro suburbano itidem Iunio mense pridie festi Diui Ioannis Baptistæ fixit tentoria: & huc ab Didymotichensibus continuò Legati aduolant, nuntiatum quatuor in locis oppidum ruinis esse patefactum: secundò hostes, in ipsis mænibus, manus cum ciue conseruisse; ac nisi auxilium ferant socij, octiduo esse periturum. Coactis ocyùs copiarum Præfectis longâ consultatione opus non fuit; in eamdem omnes iêre sententiam, longiùs se in eâ expeditione prouectos esse, quàm vt honestè retrocedere, & bello abstinere queant. Pronuntiari igitur Henricus in diem sequentem iubet: singulisque militum edicit, vti pro se quisque animum curet, futurum, vt posteaquam apud sacerdotem noxas expiarint, & sacro epulo refecti fuerint, acies componantur, & quam Deo visum fuerit, belli sortem experiantur.

Pia eius temporis militum consuetudo.

Ita verbotenus Villeharduynius. Vt aduertas piam eius temporis consuetudinem, quo non modò militum aliqui, sed

Zz

ANN. 1206. ſed ipſa adeo agmina vniuerſa, idque ex Imperatoris, vel aliorum Præfectorum edicto: non antè bellum capeſſerent, aut inirent prælium, quàm ſacris ritu Christiano obitis; contrà quàm fere hodie vſuuenit; militum pleriſque abſurdè cenſentibus, animæ ſalus æterna ſi in eo temporis articulo attendatur, neſcio quem metum, horroremque inijci, quo ſegniores euadant. Illi verò melioris æui ſecus arbitrabantur, & ſapientiùs: nullâ primùm meliori militem tutelâ niti, quàm Dei: quam tamen niſi amicus temerè expectet; tum verò haud aliâ re magis angi, atque pauidos effici homines, quàm ſcelerum conſcientiâ: quos contrà recreat, atque ſecuros impauidoſque reddit liber à culpis animus: quem vt mors ingruat, cælum & requies manet ſempiterna. Luſtrato Henricus exercitu reperit quadringentos, vt plurimùm, lancearios: ijſque adiunctos, aut ſubiectos, iuxta receptum eius ætatis morem, proportione equites non multos; cùm tamen Ioannizæ, ex Adrianopolitanorum Legatorum renuntiatione, ſupra quadraginta equitum millia, peditumque multitudinem innumeram, ſub ſignis eſſent. Vt ſcias cuius tantæ audaciæ, atque Diuini numinis fiduciæ fuerit, ad eiuſmodi comparationem non modò non perhorreſcere: ſed hoſtem ad tam iniquam pugnam vltro laceſſere.

§. 5. Agminis compoſitio.

Nihilominus ab occœpto conſilio, periculi metu, dimoueri haud potuere Henricus Belgarum fortiſſimus, cæterique eius populares, Gallique rati iuxta cum Charilo Athenienſium Duce, forti militi, non quot hoſtes ſint: ſed vbi ſint, inquirendum; omnes tum milites, tum duces Diui Baptiſtæ natali die rite expiati, ſacræ menſæ accubuerunt. Poſtridie in ordines, tum & in viam iêre hoc modo. Primam aciem ductabat Gaufredus Villeharduynius, Protoſtrator ſiúe Mareſcallus Imperij: cum Macario à Sancto Maneholdo. Altera Cononi Bethunio fuit attributa. Tertiæ præerat Milo de Braibanz. Quartæ Paganus Aurelianenſis, & Petrus de Braiecueil ſiue Plancius. Quintam regebat Anſelmus de Kaieu. Sextam Balduinus de Beauuoir.

Beauuoir. Septimam Hugo de Belignies. Postremam ductandam sibi sumpsit Henricus Pro-Imperator, & cum Gualtero d'Esternay, vel Descornaix (ita enim nonnunquam id nomen in Villeharduynio legitur) & Theodorico Lossensi Græciæ, siue Romaniæ Senescallo, agmen clausit. Triduum eo ordine exiguæ hæ copiolæ ambularunt: alacres quidem illæ, & quiduis potiùs quàm periculosæ aleæ exitum formidantes; sed solo Deo nixi, & caussæ æquitate: neque copiosum hostem, & pluribus victorijs elatum, neque locum pugnæ: eumdem fortè in quo cum Balduino potior Sociorum pars ceciderit, neque demum Græcorum, quos adiutum ibant, inconstantiam & leuitatem pensi habebant; atque ad non dubiam victoriæ spem incredibilis ex omnium fronte, oculisque animorum ardor emicabat. Et verò propitium numen adfuit: nec spem eorum irritam esse voluit. Vt enim Gallos, Belgasque præliabundos aduentare Ioanniza intellexit: dubius aliquamdiu stetit, quid ageret; tum vincente pudorem metu, eos expectare non sustinuit; sed igne machinis, quas capiendæ vrbi extruxerat, subiecto vasa collegit, & obsidionem soluit; admirantibus, & stupentibus, præter Nicetam, vniuersis, quà Græcis, quà Latinis. Is verò auctor ad tantæ virtutis Latinorum splendorem, quasi cæcutiens, tantùm non de eiusmodi auxilio subticuit: totamque solutæ obsidionis gloriam ciuibus obsessis adscripsit.

ANN. 1206.

Fugit Ioanniza.

Quartis castris Henricus ad Adrianopolim peruenit: atque in prato amænissimo, quod Marissa amnis, olim Hebrus Phaetontis casu apud Poetas nobilis, interfluit; castra collocat. Ad eum mox ciues omnis ordinis vrbe effusi, præeunte Sacerdotum turbâ, crucem & sacra vexilla præferentium, visendum venerandumque aduolarunt: ei vitam suam, & salutem vrbis, cum multâ gratiarum actione acceptam referentes. At ecce inter ipsa prope salutantium officia, nuntiatur Valachorum agmina Rhædesti consedisse. In diem ergo crastinum iter pronuntiatur. Et diluculo,

Eum Henricus insequitur.

Ann. 1206. luculo, tubis concrepantibus tympanisque, Henricus cum suis hostem insequitur. Sed ille (vide amabo Barbarorum ignauiam, sociorum fortitudinem) Ioanniza tanto indignus exercitu, trepidare, hostis ne conspectum quidem ferre: demum raptim, & incomposité, omnium rerum, præterquam manubiarum curâ abiectâ, Bulgariam repetere instituit. Nostri quinque omnino dies persequi; non alio fructu, quàm famæ: quæ vulgauit infinitam damarum multitudinem, à paucis leonibus esse fugatam.

§. 6. Quinto demum die ad castri cuiusdam, cui à Villehardouynio Lefrain nomen datur: suburbanum Latini oppidò fatigati consedere; ibique triduum curandis corporibus insumptum. Verùm, quod nunquam non monere ipsa me sinit historia, huius quietis, & aliqualis pacis suauitatem diluit mox sinister casus. Hîc enim nescio quam ob rem Henrico infensus Belgarum aliquot manipulus ab eo, ipsâque adeo societate defecit, seque in patriam recepit: ingenti rei Latinæ detrimento. Duces eius defectionis fuere Balduinus de Beauuoir, Hugo de Belignies, Guillelmus de Gomegnies, & Droco de Beaurain, Hannones omnes, virique alioquin fortissimi: & quinquaginta alios equites nobiles secum abduxerunt, rati cæteros omnes secuturos. Sed illi priuata odia, si quæ erant, post Reipublicæ bonum habentes, in officio & fide permansêre. Num verò alij rectè secusne defecerint, nihil habeo dicere; quando caussam minime compertam habeo. Verùm qualis qualis illa fuerit, in tanto discrimine socios, Remque publicam, tanto labore, & sanguine comparatam, destitutam ab ijs esse, probare nullo modo possum. Cæterùm Henricus cum reliquo exercitu, secundis castris in valle cui Moniacum (arcis, vel oppiduli nomen est) imminet: castra posuit; & mox arce in potestatem acceptâ in eâ dies quinque, aut sex statiua habuit.

Ab Henrico Belgæ nobiles multi discedunt.

§. 7. Interea loci angebat Henrici, sociorumque omnium animos, Renerij de Trith calamitas; quem iam decimum tertium mensem in Stenimacho castro arctissimâ molestissimaque,

Renerius de Trith periculo eripitur.

maque, vt par erat, obsidione hostes conclusum tenebant. Ann. 1206.
Is quidem fame non minus quàm ab hostibus vrgebatur; vt equorum suorum carnibus vesci cum Socijs necesse habuerit. Et iam eo pabulo etiam defecti neque muribus fœdisque animalibus abstinebant; neque Byzantio, vnde nouem dierum itinere aberant, subsidium sperantes vllum, id modò agitabant quam ipsi viam, non tam ad fugam, quàm ad gloriosam per hostium cædes mortem sibi ferro aperirent. At alia ijs aperta est. Eum namque placuit, si qua fieri posset, sociorum armis liberari. Ergo Henricus, cæteris ad castra retentis, copias aliquot eum in finem locumque destinat; quarum duces fuere Cono Bethunius, Gaufredus Villeharduynius, Protostates, Macarius de Sancto Maneholdo, Milo de Braibanz, Petrus de Braiecueil, Paganus Aurelianensis, Anselmus de Kaieu, Theodoricus Lossensis, & Guillelmus de Persoy: cum Venetorum manu, cui Andreas Valerius præerat. Et hi sanè rem longè difficillimam aggressi, triduo toto per hostilem terram ambularunt; nullo tamen, quod mirere, reperto hoste, nedum infortunio. Primam aciem Villeharduynius ductabat, quod aliquoties supra memorasse me ex eo memini; indeque certum mihi est Marescallo id munus tribui solitum fuisse: eoque à Græcis Protostaten, vel Protostratórem dici. Sub id tempus, quo hoc agmen ad Stenimachi conspectum accessit, fortè Renerius nunquam non omni modo intentus, quo pacto se hostibus absolueret: muros castri cogitabundus obibat; quando Gaufredi aciem, & cæteras deinceps pulchro ordine ad se venientes conspicatur; nec qui essent, quæue gestarent insignia, satis aduertens: primâ fronte Græcos Bulgarosue esse existimauit: à quibus oppugnandus esset. Verùm mox ala equitum balistariorum exploratum quo in statu res forent, & an socij viuerent necne à Marescallo præmissa ab Renerio, eiusque militibus agnita est. Ipse confestim cum suis castro egressus, in amplexus charissimorum sociorum ruit; à quibus & ipse incredibile est memoratu quanto cum animi

Ann. 1206. sensu velut ad vitam reuocatus, effusis vtrimque copiosè lachrymis, exceptus est. Vtque his mutuis officijs satis datum est: sociorum copiæ in vrbem castro subiectam, ex quâ obsideri hactenus Renerius solebat, diuerterunt. Et hic tragicam atque funestam Balduini Imperatoris mortem, ex Valachis quibusdam, accepere. Ea porro contigit huiusmodi.

CAPVT XV.

Imperatoris BALDVINI I mors.

§. I. Quæritur Balduinus.

Chron. Flan. Denn Sanuag.

POst acceptam ad Adrianopolim cladem, vt rediijt Byzantium Henricus: proque fratre, dum is compareret: Imperij gubernacula moderari iussus est; nihil prius habuit, quàm varios quaquauersum destinare, indagatum captusne à Valachis esset Balduinus: an verò in ipsâ acie occubuisset: nullo prope operæpretio. Donec vnus aliquis, natione, vt coniectura est, Græcus, Constantinopolim veniens: Henricum monuit Imperatorem ipsum, cum duobus alijs, in Syluæ cuiusdam abdita à se deductum esse; eum ibi repertum iri, si quis studiosè quæritet. Continuò triremes duę instructæ, Cononque Bethunius amandatus, cum aliquot militibus, illoque in primis Græco, à quo in eam syluam, de quâ memoraui, deducerentur. Traiecerunt illi, & in eum nemoris locum delati, præter panis frustula, cæparumque reliquias, & salis micas, nihil prorsus reperêre; nihiloque eius quod quærebant certiores Byzantium rediere. Ita Flandriæ Chronographus Gallicè ante aliquot sæcula scripsit: fabulam opinor. Scilicet eiusmodi figmentis Pseudo-Balduino, quem in scenam mox dabimus, præludebant è plebe scriptores: qui erronem Balduinum, neque

neque captum à Valachis, contra veritatem inducere, quàm Nicetæ, Villeharduynio, Anonymo cuidam, cæterisque eius ætatis auctoribus, testibus tantùm non oculatis, credere maluerunt. Mihi quidem dubium non est, nihil ab Henrico, cæterisque Societatis Ducibus intactum relictum esse: datamque omnem operam, vt ille carissimum sibi fratrem: hi Pijssimum Imperatorem, in libertatem vindicarent. Ad Ioannyzam sæpius eam in rem Legatos ab socijs missos esse: qui barbari animum, quà minis, quà lytro pro captiui conditione proposito, emollire conarentur; sed actum agebant. Scilicet ius gentium omnium, vnus Valachus ignorabat. Et quod à plerisque, etiam Barbaris, naturæ dumtaxat ductum sequentibus fieri solet: vt milites bello captos auro redimi patiantur: bellus iste Christianus in Imperatore, eiusdem secum Religionis viro, non admisit. ANN. 1206.

Nicet. Fontan. Undegherst. Vigener. Vigner. Marchant. Anony. Contemporaneus.

§. 2. Balduini in captiuitate constantia.

Iam annum totum, eoque ampliùs, in Trinobiano carcere, infelicem Balduinum Barbarus Ioanniza detinebat; eumque, vt dimitteret, nullo adhuc pacto adduci potuerat. Nihil tamen grauiùs in eum consulturus videbatur, quàm vt compedibus, tenebris, squallore, & fame cruciatum, suis commodis, si qua se offerret occasio, seruire faceret. Donec Græci, vti dicebamus, & Alexius inprimis Aspietes: hominis, quem in sui præsidium aduocarant, crudelitate deterriti, ab eo desciuerunt: atque ad Latinos redierunt. Tum enim vir iræ impotens, ipsius Alexij, Græcorumque, eo quod supra retulimus, supplicio vix quidquam exsaturatus: quod furoris reliquum erat in innoxium Balduinum instituit effundere. Accessit alterum longè priori cùm ad commouendum Barbari, tùm verò ad illustrandum Balduini animum, fortius argumentum: quod ex Anonymo, eius ætatis scriptore, recensebo. Quemlibet alium, quàm Balduinum, diuturnus squallor carceris, durissimæ seruitutis horror, & amissi tam luctuosè imperij tædium potuerant in desperationem adducere. Perstitit tamen ille in tantis malis nunquam non inuictus,

Anonym. M. Sc. varij. Marchant. Fontan.

&

Ann. 1206. & ipso Tyranno superior; qui quidem fauorem fortunæ non ferret sapienter: ipse verò eiusdem ludibria, & iniurias contemneret. Quem ad Palęstinam, & inde ad Græciam animum adiecerat, hunc seruabat in ergastulo; & quando non honoris sui caussâ, sed Diuini propagandi studio, bellum istud sanè periculosissimum aggressus erat: quod in eo prouideri oportuit, seruitutem, aut necem eodem vultu sustinere æquum esse reputabat, quo aliàs non in libertatem, aut vitam modò, sed & in ipsum Imperij culmen fuerat intuitus; quum intelligeret non plus his, quàm illis esse pretij, aut dignitatis: si cum æternâ beatitate conferantur; cui vtramquæ æqualiter fortunam famulari voluit Deus. Quemque fortunæ suæ fabrum esse. Quæ vt ab externis nihil pendeat: etiam in ipsis transtris, aut molâ, atque adeo in extremis supplicijs, & libertatem, & quietem menti dare possit. Hæc scilicet in virtute posita sunt. Quæ non minuit, sed acuit vitæ infelicitas, & sinistri casus; vti conspectu hoste intenduntur nerui, qui in pace, longoque otio remittuntur. Vnde infelicem illum à sapientibus haberi mirum non est, cui infelicitas omnis abfuit semper. Ergo vt nihil mentis tranquillitatem Balduino: sic oris venustatem vix quidquam eiusmodi calamitas immutarat. Emicabat in squallido corpore augustum aliquid: & magis corpus, quàm Regiam maiestatem dissuta vndique lacerna tegebat. Iam verò nec promissa cæsaries, & barbitium, aut ipsi crines turbidi, atque impexi oculorum vim, & frontis decus, quo minus elucerent, cohibebant. Erat tum Balduinus ætatis integre, atque confirmatæ, paucisque, cum funus esset, de pulchritudine quidquam concedebat.

§. 3. Eius pudicitia tentatur.

Vsiuenit autem, vt Ioannizâ absente, non rarò eius vxor, quam Scytharum è gente fuisse, innuit Logotheta; ad captiuum clanculum inuiseret: primum fortassis, vt est ad commiserationem flecti non difficilis is sexus, infelicis Imperatoris ærumnas saltem verbo solatura: tum subinde, specie & modestiâ, constantiaque hominis

capta

capta sæpius ad carcerem itare occœpit: cupedias etiam aliquando, per ancillarum confidentiores subministrare. Multa ab eo otiosè, modò de Belgio, Galliâque: modò de prælio & clade Adrianopolitanâ rogitare; quæ ille omnia, multâ cum grauitate, nec sine lepore narrabat. Hauriebat interim illa virus, & impuro captiui amore vri se sinebat. Tandem pudorem post libidinem habens: vbi vidit illecebras suas ab eo vel non aduerti, vel negligi: apertè mentem ei quâdam die suam, & sine ambagibus aperit. Vides, inquiebat, Balduine: quàm mihi dissimilis maritus, tibi sæuus dominus obtigerit. Pridem vtique truculenti eius mores displicuere; tuli tamen vt potui: quoad te in istum teterrimum carcerem compegit. Tum sanè rigor eius pristinus in crudelitatem, & vltimæ amoris in eum mei reliquiæ in odium verti visæ sunt. Vt verò tuâ etiam consuetudine frui datum est; sensi animum meum, etiam nolentem, ab Ioannizâ iam abalienatum, ad te transire: cœpique optare, vt ille tecum sortem mutaret. Dignissimus proculdubio istâ seruitute barbarus homo, & immitis: tu eius purpurâ & thoro. Sed quandoquidem tibi Deus regnum aliud impertijt, Ioannizæ suum relinquamus. Tu captiuos duos, sine lytro, absolue: id enim potes. Cumque ille, quinam ij essent, percunctaretur: Te, inquit, ex hoc carcere: me verò ex aliâ, haud scio an mitiori, seruitute. Et vt rem clariùs edisseram. Si me in vxorem recipis, liber es. Byzantinum Imperium non ambio. Eo breui Ioanniza potietur, si seruitutem seruire pergis; te vnum quæro; tecum vel in Belgium abire non renuo. Obstupuit, ad tantam impudentiam, castissimus Balduini animus. At quia tamen de nuptijs sermo erat, nec adeo in speciem incestus: iram premere, & fœminæ, penes quam vitæ necisque suæ erat arbitrium, molliùs quàm eius procacia merebatur, respondere maluit. Egit igitur Reginæ gratias, pro eius in se propensâ voluntate, supra omnem suam conditionem, & meritum. Quam vtinam, inquit, tam opere exequi possem, quàm animo complector. Te

Aaa enimuero,

Ann. 1206. enimuero, non Byzantij modò, sed orbis totius Dominam opto; mihi autem coniugem optare, nedum assumere, nefas est. Viuente marito vxorem alteri nubere, fidemque datam violare lex Christiana prohibet. At enim, subdit Regina, nulla est ei seruanda fides, qui nullam habet. Christum ore tenus profitetur, corde atque operibus abiurat. Deo & hominibus infidelis est Ioanniza. Christianus, ait Balduinus, tamen est. Quantumuis improbus, nec te Christianam esse, aut viuere vetat. Coniugij igitur teneris legibus. Et cum alia multa vltro citroque adducerent; Regina stomachabunda: Ego verò, inquit, quid mihi expediat, scio. Peccatum consciscam necne, mea cautio est, non tua. Tu viduus es, vxorem alteram tibi adsciscere meritò potes. Deinde captiuus es: seruus es, Dominæ tuæ morem gerere non ratio dumtaxat, sed necessitas ipsa, quæ nullam nouit legem, imperat. Tum furens, & mortem captiuo denuntians, ni pareat: è custodiâ abscessit. Balduinus sanè non parum periculi præsentis atrocitate perculsus; quando vel de morte, vel de crimine agi videt, multùm angebatur: quò impotentis fæminę estus euaderet; certus alioquin, quiduis potiùs, quàm nefarium concubitum eligere. Hanc mentem assiduis prope precibus à Deo totâ eâ nocte confirmari sibi, eandemque Reginæ dari flagitauit. Vix diluxerat: cùm in carcerem Regina illabitur, nihilo immutata: nisi quod in furorem & vindictam, quàm in libidinem aliquantò concitatior facta esse videretur. Non iam precibus, sed minis atrocissimis casti Principis pudicitiam denuo attentat. Eâdem ille, quâ priùs, constantiâ perstat immotus. Quod tandem aliquando perspiciens Regina, bacchantis in morem furibundè immurmurans, è custodiâ sese proripit; meditatum scelus actura, & Phædram nouo Hippolyto datura; veriùs Iosepho Putipharis vxorem. Ioannizam sparso ipsa capillitio aggreditur, flet, eiulat: & diu cunctata; quod plurimùm dicere auebat: Regi sciscitanti aperit; intentatum sibi ab impio Balduino stu-

prum

prum vix fugâ declinasse. Pluribus opus non fuit, vt satis per se infensus Latino nomini Barbari animus, & ad sęuitiem aliàs pronus: iam verò Zelotypiæ facibus accensus, in perniciem captiui Principis rueret. Irâ igitur præceps, morti Balduinum adiudicat. Eam autem, quo furori suo indulgeret, noluit esse aut simplicem, aut decoram. Ann. 1206.

Anonym. Purpuratis suis, solemni indicto epulo ferculum adornat horrendum & ferale. Balduinum quippe è custodiâ eductum, vinculis grauem, in triclinium inducit: suisque conuiuis mensæ accumbentibus, & iam vino incalescentibus ridendum propinat. Lugubre omnino spectaculum, & Principi viro ipsâ morte acerbius. Ferebat tamen Balduinus, vti cætera omnia, sannas & ludibria patienter: Samsonemque excęcatum, inter Philistæorum epulas reputans, ad maiora perpetienda sese armabat. Et verò, hîc se Valachi ira minimè continuit; sed Græciæ Imperatorem, tametsi innocentiam suam profitentem, & in Reginam crimen regerentem: quam adeo ipse non violauerat, vt adulterium suadentem, à se abiecerit, inauditum, crudelissimâ, & indignâ tanto fastigio nece sustulit. Manus, pedesque primùm: tum brachia, & crura lentis ictibus se coram Balduino concidi iubet. Deinde in subiectam vrbi Trinobio vallem: in quam equorum, canumque cadauera proijci mos erat, mutilum viuentis corpus vnà cum amputatis membris prouolutum, atque ferisauibusque obiectum est. Hîc triduum totum pijssimus Imperator, non cum bestijs, quæ quasi religione tactæ, tam nobili corpore abstinebant (contrarium temerè asserit Vignerius:) sed cum morte ipsâ luctatus, plenus spei, & æternam gloriam spirans, quam sciret non tam diuturnis quidem illis ærumnis, & acerbissimâ suâ morte, quàm Christi seruatoris cruore partam: at eius tamen fidei sectatoribus, & cruciatuum socijs in Cælo reseruari: innocentissimam animam Deo reddidit. Cæterùm quo in pretio apud superos eiusmodi mors esset: lux plurima de Cælo in eam vallem affusa, in quâ venerandum eius corpus iacuit, & §. 4. Balduinus enecatur. Prodigia.

Ann. 1206. totas noctes irridiant, cuiuis testatum fecit. Ioannizam ferè solum nihil admodum hoc portentum tetigit. Et is, vt *Logoth.* obijsse Balduinum accepit, mox capitis cute detractâ, defuncti sibi caluam sumpsit; ipsamque auro inclusam, nec

Valachi barbaries.

1. non * scyphi in modum efformatam, per conuiuia circumtulit, atque pro cratere vsurpauit: Crunni alterius Bulgarorum Regis sęuitiam æmulatus, quem Studita Nicephori Græcorum Imperatoris à se victi capite eodem ritu abusum esse tradit. Inaudita prorsus barbaries; & belluis ipsis horrenda. Quod corporis reliquum erat, inhumatum non diu iacuit. Etenim religiosa quædam mulier, natione Burgunda, quæ post obita venerationis ergo Palęstinæ loca, Trinobum (Ernöen alij vocant) Valachiæ metropolim, cum marito migrarat, vel ibi nupserat: tam indignam Latini Principis sortem miserata, clanculum membra collegit, & terræ mandauit: non sine pietatis suæ mercede. Quippe eius maritus, iampridem, præter insanum dentium dolorem, etiam pertinaci febre exercitus: ad harum reliquiarum contactum, momento pæne temporis conualuit, nec morbum vlterâ sensit; quæ res, vt prodigio similis visa est: sic & Balduini sanctitatem, mortisque eius gloriam mirificè confirmauit, auxitque.

Niceph. Studita. *Baron. Anno 811.* *Anonym. Synchronus. Marchant. Chron. M. S.*

§. 5. Eius mortis, & prodigiorum auctoritas.

Porrò ea omnia, quæ de Balduini nece, eiusque causâ memorauimus, fideles nuntij, quos Ioanna eius filia, post sumptum de Pseudo-Balduino supplicium, hoc est sub annum Christi CIↃCCXXV. in eas terras amandarat: iurati affirmarunt. In ijs fuere Ioannes Mitylenensis Episcopus, & è sacro Benedictinorum ordine Albertus, Sanctæ Theologię Doctor: qui eodem anno Trinobium delati, ad ædes Burgundæ mulieris, quæ etiam tum viuebat, diuerterant; eaque omnia, vti recensita à nobis sunt, ex ipsius ore excepere: Vtinam quàm locupletibus authoribus hæc traduntur, tam authenticè, solemniterque in tabulas publicas digesta essent. Quod si factum foret: nihil vtique obesset, quin pro martyre haberi, & coli Balduinus publicè à nobis posset: vtpote qui pro castitate tuendâ vitam posuit,

Quia

Quia tamen rem tantam, non modò sine certissimis, exploratissimisque testimonijs, sed etiam absque ipsius Ecclesiæ auctoritate, definire non habemus: eam prudentis lectoris iudicio subijcimus; atque arbitrio; vt quod libitum erit quisque apud se statuat. Satis gnari nihil vtramlibet sententiam Balduini felicitati, quâ iam in Cælo fruitur sempiternâ, commodare vel aduersari posse. Vixit Balduinus annos xxxv. Imperium verò liber tenuit annum vnum, dies tredecim. Egit autem in carcere menses circiter quindecim; coniectum siquidem est, eum circa Calendas Augusti anni CIↃCCVI. necatum esse; cùm paucis pòst diebus, Henricus, qui pro fratre dum aduixit, Imperium administrabat: decimo demum septimo Calendas Septembris, Imperator creatus est; extincto procul dubio, non multùm antea fratre. Refert Trithemius eo anno, quo Balduinus interfectus est, solis Eclipsim II. Calend. Martij accidisse: plurimosque, in ipso sole, humani capitis formam conspexisse; quæ num Balduini fatum, gloriamque portenderit alij definiant. Talem vitæ finem sortitus est Balduinus: vulgi iudicio infelicem, sapientum verò, qui non ætatis spatio, sed gloriæ homines metiuntur, prorsus felicissimum. Si cui autem infortunium creasse mors illa dicenda est, non Balduino profectò, sed Græciæ, ipsique orbi vniuerso creauerit; cui tantum virum Deus accommodauerat, non donauerat. Hunc porrò exitum ab ipsis tum Nicetâ, & Villeharduynio testibus pæne oculatis, tùm Logothetâ, & Anonymo nostrate, qui pauculis post primos annis vixerunt, scriptis mandatum accepimus. Vt satis mirari nequeam nescio quos, & quot è triuio scriptores: qui ouium instar tergis priorum inhærere, & sine indagatione obuia quæque arripere soliti, Balduinum hi in acie cæsum esse, illi ex ipsâ profugum, & præ pudore ad suos redire minimè ausum: sed vagum, & latibula quæritantem, ignotâ in plagâ interijsse, prodiderunt.

Trithem. Chron. Hirsaug.

Ann. 1206.

§. 6.

Vt verò ad Ioannizam redeamus: non solus eius gladio

ANN. 1206. occubuit Balduinus, sed & in cæteros Græcos, quos magno numero in vinculis attinebat, truculenti carnificis ira desæuijt: eosque omnes, tametsi indignum viris in modum, supplices, & mortem fœdè deprecantes, vario suppliciorum genere confecit. Principem inter eos locum obtinebat Constantinus Tornices, è primis Græciæ Purpura-

2. tis: quem Nicetas * Logothetam dromi, siue publici cursus appellat. Hic post captam à Latinis Constantinopolim, metu magis quàm amore, vt cæteri Græci plerique omnes, Balduino adhæserat: atque subinde ex Adrianopolitanâ clade fugâ subductus, ad ipsum Tyrannum, tutissimum scilicet asylum, confugit; cui vel eo nomine, quòd sæpius ad eum legatus à Græcis itasset, gratiosum se futurum opinabatur. At contrà post longam atque intolerabilem captiuitatem, multis ictibus confossus, miserè perijt: atque inhumatus canibus post mortem proiectus est, qui huic cani (ita enim vocatum esse Ioannizam ait Logotheta) viuens præda fuerat. Balduini mortem in Ioannizâ vindicatam esse satis constat, vel ipso Logothetâ

Logoth. Nicet.

Ioannizæ mors diuinitus inflicta.

3. teste. * Narrat enim, non ita multò pòst, dirissimum hominem, & innocentium sanguine ebrium, acuto lateris dolore, siue Pleuritide, iuxta Thessalonicam, obijsse. Quam mortem, vt sciret sibi à numine in crudelitatis pœnam inflictam esse, pridie quàm extingueretur per quietem visus est sibi adstantem hominem intueri, armis vsquequaque contectum, qui eius latera lanceâ fodicaret. Eam ego speciem Balduini, qui è Cælo mortis suæ vindex descendisset, fuisse omnino mihi persuadeo. Fuit autem Balduinus vir corpore & animo præstantissimus & cui nihil aberat, quod vndique, vt sunt humana, perfectum, absolutumque suis numeris esset. Proceræ magnitudinis erat; & non minùs maiestate, quàm comitate commendabilis; vultu verò non tam formosus, quam pulcher: & quia temperantiæ in cibo potuque apprime retinens, valetudine vix vnquam vsus est incommodâ. Pecuniæ contemptu insignis; qui non modo abstineret alieno, vt si quis vnquam,

Balduini virtutes.

vnquam, ſed etiam libentiùs longè ſua erogaret, quàm noua iuſtè acquireret. Imperium Græciæ profectò non ſibi, ſed amicis obtinuiſſe videri poterat; in quos tam amplas ditiones, tam liberaliter, ne dicam prodigè, diſtribuerat; plura donaturus, ſi diutius feliciuſque regnaſſet. Recti tenaciſſimus, & ſimplicitatis; qui non verbis mentem fucaret: aut ſiniſtra de alijs conciperet, niſi vbi res ſeipſam prodebat: decipi à ſuis, quàm eos decipere, Regi indecorum minùs æſtimans. Iam autem meticulosè aliorum, etiam cogitationes, atque animi latentes ſenſus rimari: aut facta ad prauam regulam examinare, tyranno tribuebat; non legitimo, æquóue Principi; cuius quantò ad bonum mens eſt propenſior, tantò æquiùs eſt eum cæteros ex ſuo ingenio metiri. Modeſtia, & ſubmiſſio eo illuſtriùs in illo emicuit, quo plerumque quaſi aliena, & extorris virtus in Regum animis obſordeſcit: quæ tamen magnatum propria eſt. In alijs quippe, in quibus vix quidquam eminet, non tam laudi ducenda, quaſi quæſita virtus: quàm naturæ conditioni tribuenda videtur. Quantùm autem modeſtiam Balduinus adamarit vel ex eo liquet, quòd Nicetâ teſte, ſuæ ſententiæ aduerſantes æquo animo ferebat; quod minimè omnium ſuperbia ſuſtinet. Cuius peſſimæ ſtirpis primus ramus eſt, ſibi præ cæteris, & ferè ſoli ſapere. Iuſtitiam non magis aduerſus ſuos Belgas, quàm Græcos coluit, tenereque adamauit; eo ſolo nomine Regem poſſe eſſe ſe reputans, atque adeo nihil penſiùs vnquam habuit, quamdiu in Oriente verſatus eſt; quàm vt Græcos Latinis omnino pares faceret ſemper; nullumque inter eos, præterquam Iuſtitiæ, & cauſſæ æquitatis, diſcrimen poneret. Iam verò de eius in ſuperos amore, nihil attinet dicere; cùm ipſe in templis, quoad licebat, aſſiduus eſſet, & ſacra Religionis noſtræ myſteria crebrò frequentaret; quod inſolens eâ tempeſtate non parum erat. Atque vt verbo multa complectar, vir fuit, quem Deus voluit quidem, cum vtrâque fortunâ confligari, vinci nunquam. Et turbulen- Ann. 1206.

tam

Ann. 1206. tam quidem non pauci fortiter tulerint; propitiam pauciores sanè. Inter tot obsequia fortunæ non satis cauta mortalitas est. Hic eam & Orientem moderatè, atque prudenter tulit: & eius magnitudinem cepit. Tum deinde, vt abijt, tam patienter ac generosè ærumnas induit, ac si vestem modò, non sortem mutasse videretur. Nec huic elogio addi quicquam posse reor. Id tamen postremum, tametsi leuiculum, non tam eius quam nostri causâ omitti nequaquam debet. Patrem suum æmulatus litteras mansuetiores, & principe viro dignas, litteratosque in delitijs habuit; adeoque antè ipse paulò quàm è Belgio abiret, doctis quibusdam viris demandauit, eius Regionis historias omnes diligentissimè conquisitas, in vnum corpus vti redigerent, & vulgarent. Et eo libro proculdubio vsus est Guisius noster, qui toties in Hannoniæ Annalibus Balduini Historiographi meminit. Quem à nostro Imperatore alium haud esse, non pauca suadent argumenta; quanquam etiam extat Chronicon Balduini Auesnensis, è quo nonnulla desumpsisse Guisium facile est arbitrari. Card. l. 8. Meier. Guis.

CAPVT XVI.

Quæ Belgicis Prouincijs, Balduini liberis, fratribusque contigerint post eius obitum.

§. I. D superest modò, vt quæ ab obitu Balduini Henricum fratrem, & societatis reliquias in Græciâ sors exceperit, aperiam. Antè tamen quàm id ordiar, libet de eius filiabus, quas in Belgicis Prouincijs dignitatis suę superstites reliquit, paucula subnectere. Quod ab institutâ narratione alienum nequaquam existimabit, qui meminerit à sapiente dici: Coronam senum filios filiorum esse. Absente Balduino, & Græcanicis bellis implicito: non parum in Belgio turbatum Iac. Guis. Chron. Flan. Meier. Marchant. Oudegh. Turba in Belgio. Prou. 17.

tum est: IngreKinorum, & Blauotinorum, de quibus nonnihil aliàs dicebamus, recrudescente factione. Quod eò faciliùs, atque impunè fiebat, quòd Philippus Namurcensium Comes, qui absentis fratris vicem in Belgio, cum summâ potestate curabat: in Galliæ Regis aulâ versaretur frequentiùs; Flandriæ, quam ipse per se regere debuerat, nescio quibus hominibus curâ commissâ; quod idem Mathildis Regina, Philippi Elsatij vidua præstabat; quæ dotalitias suas terras Præfectorum suorum arbitrio permittens, ipsa etiam in Galliâ plurimùm agebat. Accedebat huic incommodo bellum inter Gallos, & Anglos: quod Regem Philippum Augustum in Vasconibus occupatum, à Flandriâ curandâ auocabat. Igitur pastore omni prope destituta plebes, in seditiones & bella intestina, aliosque perditos mores pessum ibat.

Vt in Flandriam Balduini cladem fama vulgauit, & pro captiuo mortuum nuntiauit: Ioanna, defuncti Imperatoris filia natu maior, Flandriæ, atque Hannoniæ Comes pronuntiata est. Educabatur illa id temporis Gandaui apud Mathildem Reginam, eiusque tutelam Philippus patruus agebat non omnino fideliter. Hic enim importunis Philippi Regis precibus fatigatus, promissis autem fractus, ad eum, qui meritò ne regia ista proles Anglo cuipiam Principi, aut certè alteri ex hostium suorum numero nuberet, metuebat: Ioannam, & Margaretam, Balduini filias ad eum transmisit: in Reginæ gyneceo, dum viro maturescerent, educandas: deinde Regis arbitrio nuptum elocandas. In cuius operis pretium, Mariam Arturi Britanniæ Ducis viduam, Augusti Regis filiam vxorem accepit. Pupugit enimuero Flandriæ ordines vniuersos tam indignum facinus: & ij consensu Philippum Comitem exauctorarunt, atque in eius Prouinciæ Præfecturâ Bucardum Auesnensem, Hannoniæ tum Præfectum, earumdem puellarum cum Philippo Comite, ex Balduini testamento: quod ille sub discessum suum condiderat, tutorem ei substituêre.

§. 2. Philippi March. Namurc. non recta officia.

 Nihilominus

Ioanna Ferrando nupta.

Nihilominus eodem Philippo Comite, & Mathilde procurantibus, de Regis Galliæ voluntate, Ferrando Sanctij Lusitaniæ Regis filio, & Mathildis ex fratre nepoti Ioanna nupsit: atque sub annum CIↃCCXI. Lutetiæ Parisiorum nuptiæ celebratæ sunt. Hic verò sese Philippi Augusti fraus aperuit. Is quippe nec Ioannam, nec Ferrandum in Flandriam antè abire voluit, quàm icti ad Peronam, inter eum & Balduinum, Fæderis pacta rescinderent: Ariamque cum Audomari Fano, Ludouico Regis filio iurati in perpetuum cederent. Flandri autem & ijs nuptijs, & verò eà cessione supra modum exacerbati, ægrè Ferrandum admisere; nec quieuere, donec ipse satis aliàs eius iniuriæ memor, & vltionis auidus primò à pactis conuentis desciuit: tum belli societatem cum Anglo Rege, & Ottone Imperatore coiuit: & cum ijs, quibus etiam Brabantiæ, Limburgi, Luxemburgi, & Salisberij Duces, alijque permulti se adiunxerant: bellum Gallo indixit, Belgio si quod aliud funestum, & luctuosum. Ad Pontem namque Bouinensem cum socijs omnibus, anno CIↃCCXIV. nonmodò fusus, & victus: sed & manu captus, atque in Galliam abductus: ad annum vsque eius sæculi vigesimum septimum in vinculis mansit; & quinto quàm liber erat anno, sine liberis viuere desijt Nouiomi, Galliæ vrbe.

Ferrandi clades Bouinensis.

§. 3. Eius vidua Ioanna Thomæ Sabaudo iterato matrimonio nupsit; ex quo nulla itidem proles suscepta est. Illa verò ingenij & virtutis laude florens, à prudentiâ, & constantiâ inprimis optimè audijt: & vtramque quidem eam virtutem in longâ, & diuturnâ mariti captiuitate illustrem reddidit; cùm tantas ærumnas inuicto animo perferens: tum prouincias miserè diuexatas supra conditionem sexus egregiè administrans. Nec minorem à caritate in egenos, & liberalitate laudem tulit; quam varia regiæ eius munificentiæ argumenta etiamnum testantur. Cisterciense Virginum Cænobium, quod Refugium Beatæ Mariæ dicitur Athi posuit. Nosocomia Insulis bina extruxit:

Ioannæ virtus.

vni

vnii S. Saluatoris, alteri, cui etiam ædium suarum partem attribuit, Comitissæ, vt aiunt, nomen est; alterum item Gandaui, quod à S. Ioanne nominatur; quartum Brugis, cui sex ascetæ distribuendis eleemosynis præfecti sunt. Ipris denique alteram hospitalem domum construxit, & vectigalibus firmauit Beguinagium item, vulgò dictum, Valentianis & Cortraci condidit. Diuorum autem Dominici, & Francisci Religiosis sodalibus non vno in loco vel aream dedit: vel asceteria à fundamentis erexit de suo. Dominicanos quidem Brugis, & Valentianis, Franciscanos verò Gandaui, Valentianis, Montibus Hannoniæ collocauit. Cistercienſibus virginibus Spinosum locum in Montensi suburbio, tum Athi Abbatiolam posuit; Groningarum itidem iuxta Cortracum parthenonem. At verò eorum operum, quasi canonem vt sic dicam, & coronidem Markettas esse voluit. Parthenoni id nomen est, Bernardini instituti, haud procul Insulis, Flandriæ oppido; stipendia virginibus assignauit, ædem ipsa ædificauit, sibique in eâ, non tam diuersorium, quàm domicilium quò se nonnunquam Deo vacatura reciperet delegit. Cùm ergo, ex medicis intelligeret salutem suam esse depositam: in eam ædis partem transferri voluit; vixque dum in ea constiterat, cùm ingenti desiderio pulsari se sensit Religiosam in eo loco vitam, si longiori frueretur, traducendi. Impetratâ igitur à Thomâ Sabaudo, viro suo, facultate, de manu Berthæ, eius asceterij Antistitæ, prophano reiecto, sacrum Diui Bernardi habitum sumpsit: in eoque subinde piè, hilariterq; deuixit, anno Christi CIↃCCXLIIII. Ibique, iuxta Ferrandi corpus, in marmoreo conditorio, tumulata est. Fontanus tamen Valentianis obijsse, atque inde Markettas aduectam esse tradit: cui minùs assentior. Eò * autem ante etiam Ferrandi mariti corpus deferri curauerat.

Brugis.

Monum. eius loci. Buzelin. Fontan. Myrai dipl. Sander. Gandau. Rickel. in Begg.

Obitus.

I.

Ioannam Margareta sororem excepit; quæ Bucardi primùm Auesnensis, deinde Dampetræi vxor fuit. De Bucardo porrò varia feruntur dubiæ fidei, non pauca etiam falsa.

§. 4. De Margareta Balduini filiâ alterâ, & Bucardo Auesnensi.

falsa. Quæ certa sunt hîc habe. Bucardus Iacobo Auesnensi, qui morte suâ sibi gloriam, Christiano exercitui victoriam in Palęstinâ contra Saladinum peperit, natus erat: Gualteri & Hugonis frater. Ipse verò non magis ob parentis merita, quàm propriam siue indolem, siue virtutem, Philippo Elsatio charus in primis, atque acceptus fuit. Qui vt eum aliquamdiu penes se habuit, litteris imbuendum in varias academias amandauit. In quibus ita se probauit, vt publicè Aurelianis leges profiteri iussus sit; varijsque postea Sacerdotijs locupletatus: etiam ipsis Episcopis vrgentibus Subdiaconus quidem, sed clam & velut renitens initiatus est. Togâ pòst, & Sacerdotijs valere iussis, arma induit; & plurimis bellis, quà in Angliâ, quà in Galliâ, atque Belgio summâ cum laude interfuit: vbique prudentis ducis, simul etiam fortis, & strenui militis nomen adeptus; atque ab ipso Ricardo Anglorum Rege, equestri baltheo præcinctus. Ardebat ipse quidem Balduino in Ierosolymitanâ expeditione comes esse: quo Patris necem vindicaret; eum tamen Balduinus, absente se, Belgicas Prouincias, filiarumque suarum ætatem immaturam, cum Philippo fratre moderari: quàm in Palęstinâ pugnare maluit. Interiecto demum tempore, Flandrorum precibus, minis quoque Galliæ Rex superatus vtramque Balduini filiam, illam nuptam, hanc innuptam in Belgium remiserat. Huius, quæ Margareta dicebatur, curam gerere, & domi suę alere Bucardum Flandri coëgerunt: reluctantem illum quidem, & satis gnarum, quantam inuidiæ, & calumniarum materiam eiusmodi prouincia suggereret. Obtemperauit tamen ille, & tam bellè, atque ex populi, magnatumque animo id officij functus est: vt reiectis duobus principibus viris, vno Anglo, altero Burgundo: qui Margaretæ nuptias ambibant, ipse Mathilde potissimùm suffragante, cunctisque Prouinciarum ordinibus, atque adeo ipsâ Ioannâ sorore: quæ prolem nec conceperat, nec sperabat assentientibus, Margaretam sibi matrimonio copulauit. Aliquot demum pòst annis, geminâ prole masculâ ex

Meiers. Gauf. Fontan. M. Sc.

eo

eo coniugio procreatâ, cognitum est; passimque publico rumore dissipatum Bucardum Subdiaconum esse: atque adeo matrimonio contrahendo per leges fuisse inhibitum. Mox ab Innocentio eius nominis tertio, demissis precibus efflagitare eius vxor institit: vt suo, liberorum, totiusque familiæ Flandricæ honori consultum vellet: maritoque sacri ordinis legibus absoluto, coniugium suum ratum, & legitimum esse iuberet. At verò nullâ arte flecti potuit Pontificis animus; tantus erat eius temporis legum in Ecclesiâ rigor: quem non parum, ne cuncta pessum irent, remitti postea oportuit. Innocentius ergo Bucardum indictâ anathematis pœnâ, ab vxore abscedere; eique vnà & Ioannæ sorori, quoad posset, pro illatâ iniuriâ, facere satis iubet. Deinde verò in Palæstinam proficisci, ibique annum totum Barbaris pugnare; demum quod reliquum vitæ esset cælibem traducere. Et in Syriam quidem abijsse Bucardus dicitur; indeque suo tempore reuersus; vt in vxorem, prolesque intuitus est: ingemuisse eum ferunt, dixisseque priùs se passurum esse viuo sibi cutem euelli: quàm Pontificis iussa exequi. Ioannâ tamen vrgente, ab vxore diuulsum non diu pòst è viuis excessisse, siue morbo correptum, siue à Sicarijs: quas Margaretæ consanguinei subornarant, interemptum. Meierus Innocentij tertij sententiæ parere recusantem, Lateranensi in Synodo, sacris abstentum, & Ioannæ iussu Gandaui: deinde Rupelmondæ in vincula coniectum; tandem capite; quà sacramenti, quà Augusti nominis violati pænas luisse affirmat. Ægidius contra Anselius ciuis noster, quo fidem faciat illatam ei nequaquam in carcere mortem esse; sed ex morbo occidisse: à se visa asserit diplomata, quæ paucis ante obitum diebus in Hannoniæ vico: cui Estroen-Cauchie nomen est, Bucardus scripserit, firmaritque suo ac testium sigillo; cùm publicæ eius vici rei, qui ad illum pertinebat, tum priuatorum quorundam bono.

Legum rigor.

Bucardus ab vxore auulsus.

Oudegherst.

Eius mors.

§. 5.

Margareta autem anno CIↃCCXXIV. Guillelmo Dampetræi, & sancti desiderij Toparchæ; Guidonis filio, ex Beatrice

Meier. Buzelin. Myræus.

Margaretæ cum filijs diffidia.

Beatrice Borboniæ Archembaldi filiâ, nupsit, ex eaque Guillelmum, Guidonem, & Ioannem Dampetræos tulit. Quos cum mater Ioanni, & Balduino Auesnensibus, suis ex Bucardo filijs, ita præferret (tametsi vterinis fratribus multum ij præstarent) vt hos veluti spurios reijcere, & omni penitus hæreditate vellet secludere: plusquam ciuile in his Prouincijs bellum accendit; quod tandem ita sopitum est, Ludouico Rege Augusti filio, & Innocentio Pontifice summo, eius nominis quarto, allaborantibus: vt Hannonia quidem Auesnensibus (quos alioquin Episcopi Belgij, & Pontifex ipse * legitimos esse pronuntiarunt:) *Dipl. Myræi.*

2\. *Quomodo Belgicæ Prouinciæ vnitæ.* Flandria verò Dampetræis cederet. Et illorum natu grandior Ioannes Aleydem Florentij Hollandiæ, Zelandiæque Comitis filiam duxit; easque Prouincias vxoris iure acquisitas patrimonio adiunxit. Quæ omnes post Iacobæ Bauaræ, huius longâ serie neptis obitum, Philippo Bono Burgundiæ Duci, quà sanguinis, quà pacti lege obuenerunt. Vti etiam Flandria eidem antè obtigerat, per Margaretam Malanam; quæ, ex Dampetræi stirpe, cum sola superstes esset: Philippo Burgundiæ Duci (Valesium non satis rectè nonnulli nominant) nuptui data, in Burgundos eam Prouinciam deuoluit. Et demum Caroli Audacis, Burgundici stemmatis postremi, Belgicæ quasi vniuersæ Reguli, vnica proles Maria, luculentam hanc hæreditatem Maximiliano Imperatori nupta, in Austriacos transtulit.

§. 6. *Margaretæ liberalitas.* Cęterum fuit Margareta magni animi fæmina, & impensè munifica. Triplici eam ex capite cæteras omnes suæ ætatis fæminas superasse scribit Bertinicus Chronologus: vtpote quæ nobilissima fuerit, locupletissima, & munificentissima. Quartum addit ei Marcantius elogium, quod nimirum parentis sui vigilantiam, atque fortitudinem hæreditario quasi iure sortita; eiusque exemplo terras suas armata, & in equo obire solita fuerit. Idem auctor est Margaretæ, eiusque sororis munificentiæ tribuendas esse: quęcumque propè hodie in Flandriâ visuntur hospitales siue pauperum, siue ægrorum domus: tum etiam

D. Domi-

D. Dominici asceteria. Augustinianæ familiæ monialibus Montense & Seclinense Nosocomia, à se extructa commisit. Eiusdem instituti viris, quos Scholares dicunt, Montibus ædes, & stipendia perpetua constituit. Beguinagia Insulense, & Gerardimontanum, Abbatiolam Insulensem ipsa condidit; Bernardini vero instituti virginibus quas eximiè complectebatur, Dorisellam, Oostecloo, & Monialium syluam in Gandensi regione: Haghenam ad Axellam, inprimis verò Flinense iisdem cænobium, altero ab vrbe Duacensi lapide condidit; & eidem Mariam filiam, quam ex Dampetræo susceperat, præfecit. Obijt Margareta anno Christi CIↃCCLXXX. Februarij die X. feriâ VI. atque in dicti cœnobij templo sepulchrum sibi delegit; quod hodieque ex nigro, & relucente marmore visitur. Per huius verò Margaretæ sobolem, Balduini sanguis quibusque principibus familijs hodie in Europâ regnantibus insitus est. Vt ex serie * Genealogicâ, quam ad calcem suggero, pronum erit cuiuis intelligere. Eius obitus. 3.

Et de Balduini liberis satis. De fratribus sororibusue hæc habe. Philippum filiorum alterum Balduinus magnanimus, eius parens ex testamento Namurcensibus Marchionem dedit. Balduinus verò Augustus eius frater, Belgicæ suæ, vti dicebamus, & filiabus abiens præfecit. Quam ille Prouinciam non rectè quidem administrauit: earum puellarum quasi libertatem licitatus, & eius proditionis (ita vocabant) mercedem Regis filiæ nuptias pactus. Eam tamen ipse postea notam inauditâ sanè facti pœnitentiâ, & publicâ confessione expiauit. Ex Cæsario Heisterbaccensi ad Bonnam Monacho, Anselmo Leodiensi Presbytero, & Ioanne Brustemio, illius temporis æqualibus narrationem desumo. Tres anni sunt ex quo diem suum clausit Philippus Namurcensium Comes, inquit Cæsarius: vir potens & nobilis, Balduini Flandriæ Comitis filius. Is autem quatuor Abbatibus nostri ordinis confiteri solitus erat. Hæc ille: qui in postremis verbis fallitur. Nam quatuor hi Abbates, quibus simul (vt conijcio) de noxijs confitebatur Philippus:

§. 7. De Philippo Namurcensi Marchione.

Cæsar. L. 2. Io Brustem. Anselmus Presbyter Sacerar. Namurc.

lippus: fuere Conradus Villariensis, Balduinus Camberonensis, Cistercienses: Nicolaus Marchianẽsis Benedictinus, & Renerus S. Ioannis Valentianensis Augustinianus Canonicus; quos etiam idem Comes testamenti sui curatores constituit. Vt verò Philippus diem vltimum instare sensit, ex Blatono castro Hannoniæ, inquit Anselmus: vbi lethali morbo corripi cœptus erat: quia eam arcem Castellano de Caudry, vni è sex-viris Valentianensibus, per iniuriam abstulerat: in eum modum flens & eiulans, qui & à pumice lachrymas exprimeret, reste ad collum implexâ se in domum Præpositi sui deportari curauit: identidem inclamans ijs Abbatibus, qui à confessionibus ei erant: Trahite me, amabo vos, trahite hoc fune in compita, & triuia; vt canis vixi, æquum est me canis in morem è vita decedere. Atque vt in Præpositi ædes diuerterat: recordatus hospitem illum suum multa per rapinam agrestibus abstulisse; eodem prope temporis momento in angustissimum sacrario suo præfecti, siue Capellani tugurium, indeque paulo post in Cælum migrauit, VII. Idus Octobris, anni CIϽCCXII. Ante autem quàm vitâ fungeretur: quidquid pretiosæ fuit supellectilis in egenos erogauit; vt sibi in morbi solatium ne cochlear quidem argenteum seruaret. Namurcum mox eius cadauer relatum, atque in Sancti Albani funeratum fuit. Cuius ædis Canonicorum Collegio multa prædia de suo donauerat; vti & Salsinijs Cisterciensis instituti cænobio: quod ad Sabim construxerat. Tantam porrò animi demissionem, & pœnitentiam Deus non in Cælis modò, sed & in terris munerari voluit. Ijs namque, aiunt Anselmus, & Cæsarius, adhuc prodigijs, & miraculis nobilitatur: vt de remotissimis vndique regionibus homines quà religionis, quà salutis caussâ ad eius Sepulchrum accurrant: & venerabundi terram ipsam, aut pulueres sacro eius tumulo circumfusos corradant: secumque domum deferant præsentem cuicumque morbo medicinam. Ossa verò, Carolo Castellæ Rege accurante, è tumulo veteri in aliam ædis partem, magnâ cum veneratione

Eius obitus.

Miracula.

tione translata sunt. Viduam eius Mariam Henricus Brabantiæ dux vxorem subinde duxit; quæ res fraudi Paradino fuit; vt Ducem Louaniensem Philippum diceret. Ex Balduini porro Animosi stirpe supererant Henricus, & Iolanta; nam Isabella Galliarum Regis Philippi vxor iam pridem decesserat: Philippo fratri in Namurcensi Marchionatu Iolanta successit: & pòst etiam Henrico fratri in Imperio; vti sequenti libro exponemus quem Henrico, eiusque nepotibus destinamus.

CAPVT XVII.

Pseudo-Balduinus.

§. 1.



NEquid ad Balduini res gestas deesse videatur: posteaquam eum in amplissimo Græciæ theatro, militis, ducis, Imperatoris partes præclarè agentem dedimus: etiam eius laruam in aliâ scenâ, & personatum sycophantam exhibeamus. Scilicet id fatum, si cum prophanis loqui licet, Balduini fuit, vt excucullatus morio magni illius Imperatoris personam mentiretur. Rem ab innumeris scriptoribus decantatam aliquantò fortassis altiùs, certè accuratiùs repeto.

§. 2. *Franciscani Patres Valentianis.*

Gonzaga in Chron. Minor. Guis. Fontan. Hist. Valentian.

Sub annum Christianum CIↃCCXV. cum iam Diui Francisci sodalitas adolesceret: Beatus Pacificus eius instituti per Gallias Minister, vt aiunt, Episcopo Atrebatensi rogante, aliquot in Belgicam è suis amandauit: qui quidem à Valentianensibus beneuolè, simul & magnâ cum veneratione excepti, eorum ope anno CIↃCCXXII. in agro suburbano ædes, exiguas quidem illas exædificarunt. E quo, stipis gratiâ, ad vrbem ipsam & loca vicina commeabant. Id temporis turris, seu specula, quam belfridum vocant, à ciuibus in foro ponebatur: & ei operi inuigilabat Materensis Toparcha, Hannoniæ, & Valentianarum Præfectus; cùm vnum aliquem ex eiusmodi Franciscano sodalitio transeuntem conspicatus: ex

facie, geminâ cicatrice deformatâ, visus est hominem sibi alias notum intueri. Ideoque eum virum, qui iam idipsum, ne agnosceretur veritus, sese proripuerat: conscenso equo festinat occupare; & postridie Atrebatum inter & Duacum assecutus: deprehendit Iodocum Materensem eum esse, patruum suum; qui, importunis nepotis precibus fatigatus hæc referebat: se cum pluribus quidem alijs, sed inprimis septem & viginti socijs, qui iam inde ab primâ Balduini expeditione, indiuiduam inter se vitæ societatem pacti erant, post Balduini & Henrici Imperatorum obitum, Alfonso Lusitaniæ Regi, aduersus Mauros operam nauasse eo tempore, quo quinque Francisci sodales Marochij illustrem martyrij coronam retulerunt, eorumque sacra lipsana Vlissiponem relata, miraculis coruscare cœperunt. Plurimos è primâ variarum gentium nobilitate, qui ad idem bellum confluxerant, istis cùm prodigijs, tùm martyrum virtute, & constantiâ permotos sub Francisci signa, relictis mortalium stipendijs, conuolasse. Ex Anglis quidem, Nortamptonium, è Longobardis Ambrosium Malaspinam, ex Aquitanis Alfonsum Baionensem Comites sacrum eius ordinis habitum induisse: è Belgis verò Rogerium Gauerensem, Rasonis seu Erasmi fratrem, Henricum Iugellanum, Leuinum Axellensem, Winocum Hondeschotanum, Theodoricum Dixmudensem, Petrum Oudenhouium, Ioannem Somerghemij Curionem, Gualterum du Rosoy, Roberti fratrem, Ioannem de Trith, Macarium de Sancto Maneholdo, Bartholomæum Cononis Bethunij fratrem, Ioannem Akerensem, cum Federico fratre, Iosselonem seu Iudocum de Ballehan, Gualterum de Villesis, Balduinum de Nouavillâ, Guillelmum de le Porcrie, Sigerum de Silly, Ioannem de Houe, postremò se Iodocum de Materen, pluresque alios è Balduini socijs, humanam sortem pertæsos, Vlissipone in Sancti Francisci familiam adscriptos esse: atque ex eorum numero nonnullos in asceterio Diui Bartholomæi (eius enim sacelli, quod Franciscanis Patribus in suburbio Valentianensi

Ex ijs Balduini socij multi.

lentianensi

lentianensi attributum fuerat, tutela fuit Sanctus hic Apollus) etiamnum degere: reliquos varia esse in loca dispersos. Ita ille Dynastæ Materensi nepoti suo narrabat. Hic verò eius verbis incensus, non ita multò pòst Gandaui Francisci socijs ædes de suo exædificasse parum habuit; sed insuper sic eos in Ioannæ Comitis gratiam insinuauit, vt illa præter alia plura beneficia, quæ in eos contulit: Valentianis suam ijs domum, quam Donjon, hoc est arcem vocabant: & in quâ Balduinum nostrum lucem primùm aspexisse dicebamus, donarit: in quam ipsi sub annum CIↃCCXXXIII. commigrarunt. — Ann. 1225.

Philip. Mouske. Guisius Lipsius. Fulgos. Du Chesne Fontan. Romant. Bald. God. Monac Alberic Monach.

§. 3. **Balduinus fertur in eremo latere. Ann. CIↃCCXXV.**

Hæc eò attuli, quo tum quid socijs Balduini factum sit: tum verò, quid fabulæ, quam egit Pseudo-Balduinus, caussam dederit, intelligatur. Sub annum ergò CIↃCCXXV. Incerto quidem auctore, sed constanti famâ, per Gallias, Flandriam, & Hannoniam vulgatum est eorum qui Balduinum in Græciâ secuti fuerant, & ei vsque ad Adrianopolitanam cladem adhæserant, magnam partem in his regionibus: hos Minorum, illos Anachoretarum vitam amplexos vagari. Secundùm hæc alius occultè rumor per magnatum primò, tum etiam per plebis ora volitare cœpit: ipsum quoque Balduinum sub cucullo, in aliquâ Hannoniæ eremo delitescere. Et ipso eodem tempore Anachoreta quidam, in eam syluam alicunde immigrarat, quam Glanchonicam dicebant. Hic talisque vir, de more manticam gestans, Mortaniam, (id vici nomen) stipem collectum excurrerat: cùm eum nescio qui è vicinâ nobilitate iter illac fortè faciens offendit: & quâ erat vulgi opinione occupatus, in eum curiosiùs intuetur: videt hominem formâ non illiberali, vt nonnunquam sub plebeio amiculo emicat aliquid à plebe multùm abhorrens; procero corpore, oculis ad maiestatem à naturâ ipsâ compositis; & verò illico de Belgicâ nobilitate quempiam esse suspicatur: nomen viri, patriam, genus sciscitatur. Ficta omnia, quæ ille respondet, arbitratur; domi nobilem cum esse, socium Balduini, è Græciâ reducem inclamat. Alter negare, pernegare; vixque se ad suam eremum recipere.

Glanchonius eremita.

ANN. 1225. Interim increbrescit per vicinitatem illam rumor, hunc proculdubio vnum aliquem ex eâ nobilium turmâ esse, qui Balduini signa sint secuti. Ad eum, quà clam, quà palam variè concurritur. Eadem quæstio sæpe sæpiusque repetitur; adeoque nonnulli astu eum deludere aggressi, longum nominum texunt syllabum: rati si fortè eius nomen vsu veniret pronuntiari, fieri nequaquam posse, quin ille vultum immutaret. Anachoreta ridere primùm, tum etiam mirari insanam eorum pertinaciam: cùm aliquis ex eo curiosorum hominum cætu, audacior alijs, aut magis demens: sed nunquid, ait, Balduinus fortè ipse sis? etenim ad eius similitudinem proximè accedis. Ad huiusmodi insolentem, & absurdam quæstionem totus expalluit miser Anachoreta: tum deinde erubuit, admiratione simul, & metu perculsus. Quæ res in fraudem cæteros prorsus induxit; qui, tametsi iuraret ille se nec Impetatorem, nec Comitem, imò ne nobilem quidem genere, sed agrestem & infimæ sortis homulum esse: nihilo illi seciùs suam sententiam confirmare, & palam Balduinum prædicare. Subinde è nobilitate primâ nonnulli, quibus Balduinus olim familiariter vsus fuerat, nouarum alioquin rerum cupidi, & fæmineam dominationem egrè ferentes, ad eum furtim inuisunt: monent, vti se Balduinum Imperatorem dici haberique patiatur. Facilè fucum fieri posse plerisque, qui vel eum dolum exoptent, vel Balduinum de facie nunquam norint: & vt norint, non ægrè adduci possint, vt credant, longæ captiuitatis, & ætatis vitio, haud paulùm hominis os mutari solitum esse. Eum quippe Imperatorem referre, vt qui maximè. Auctor est Albericus eum vulnerum, quæ in manibus, pedibus, latere, atque in ipso capite exceperat cicatrices ostentasse. Quid plura? Assentitur miser, & fabulam orditur, sibi sanè non magno bono. Vt igitur mores aulicos, & Imperatore dignum habitum, gestum, variaque, quæ necesse erat eum scire probè edoctus est: (nouam nuptam credas Cosmetæ datam) prodit in scenam die Iouis Sanctó palamque asserit

Se Balduinum dicit.

afferit se Balduinum esse: qui Adrianopolitanâ clade fractus, sponte se Imperio abdicarit, perpetuoque damnarit exilio. Nunc importunis suorum precibus adactum patriæ, sibique reddi. ANN. 1225.

§. 4.
A Belgis excipitur.

Mortaniam primùm adductus est: lachrymantibus plerisque, quà præteritarum ærumnarum commiseratione, quà gaudio. Tornacum inde, tum Valentianas, adeoque per totum Belgium is rumor dissipari cœptus varios ex omni ordine viros acciuit: vt Imperatori reduci gratularentur, suaque offerrent obsequia. In ijs fuit & ipse Louanij siue Brabantiæ Dux. Insulis, Cortraci regiâ pompâ exceptus est: non ijs modò, qui de facie Balduinum nunquam norant, sed & alijs quibuslibet ei assentientibus; ita scilicet etiam sensus deludit error amabilis, & infixa semel menti opinio. Gandauensis autem, & Brugensis, præ cæteris, insanire populus videbatur: vt diris illum pæne deuouerent, qui huic Sycophantæ obuiam non procederet. Diademate redimitus in festo Pentecostes solemnem nobilitatis conuentum habuit: decem viros in equestrem ordinem adscripsit, sanxit edicta, prædia beneficiaria, siue feuda contulit: verbo Regem egit. Quàm ingratus hic Ioannæ Comiti, quæ tum regnabat, nuntius acciderit: periculique res plena visa sit, facile est conijcere. Non ægrè tamen illa intellexit industriâ potiùs, quàm vi in tam perplexo negotio opus esse. Querceti Hannoniæ vrbe, tertio à Valentianis lapide tum agebat. Quò, Matthæum de Montmorency, Michaelem de Harmes, & Thomam de Lamprenesse Galliarum Rex Ludouicus eius nominis octauus miserat. Ad parentem ergo rediuiuum, si Deo placet, illa legationem instruit: rogatque, vti ad se Quercetum venire ne grauetur. Quo ab omnibus Purpuratis qui eo conuenerant, se verò inprimis agnoscatur. Sibi tam impiam mentem fuisse nunquam, vt Patris amori & reuerentiæ regnandi libidinem præferre velit. Sensit, vel timuit fraudem veterator: & à veneno periculum isthic sibi imminere dictitans, ire recusauit.

Ioanna Balduini filia eum euocat.

ANN. 1225. ſauit. Ioannam mirè anxiam,& quid ageret incertam:quòd ad eum pleræque omnes vrbes deficerēt, monuit Materenſis,de quo ſupra:patruum vti cōſuleret.Ille,ex Valentianenſi Franciſcanorum aſceterio euocatus, non modò Ioannæ, eiuſq; aulicis,quid Balduino contigiſſet, enarrauit:ſed cum 18. eiuſdem Inſtituti ſodalibus, aliquot etiam è D.Dominici familiâ,qui omnes ſub Balduino in Græcia militarant, ad Epiſcopū Syluanectenſem,tum ad ipſum Regem Ludouicum profectus,obijſſe iam pridem Balduinum,huncque deceptorem eſſe iuratus affirmauit. Quo igitur certiùs, faciliuſque laruam huic Sycophantæ Rex detrahat, eoque populum errore liberet, Pſeudo-Balduinum rogat, vt Peronam Picardiæ oppidum concedere ne grauetur; ſe quoque eius videndi cupidiſſimum eòdem eſſe profecturum. Turbauit hominem eiuſmodi legatio, inſidias vbique & vndecunque formidantem,atque animi pependit aliquamdiu, iretne ad certiſſimum diſcrimen: an verò, quod ante Ioannæ dederat, reſponſo Regis conſilium eluderet; ſed vt illud parum tutum,hoc certè minimè omnium ſibi conducere arbitratus: quo futurum videbat eſſe, vt vulgo lucem fugere, & non tam cauſſæ diffidere, quàm cauſsâ cecidiſſe crederetur, atque adeo ab omnibus deſereretur; Peronam ſe contulit: magnâ tum Flandrorum, tum Hannonum nobilium turmâ ſtipatus. Lecticâ, vt plurimùm vehebatur: Græcum in morem talari tunicâ, & purpureâ indutus chlamyde: barbâ ad vmbilicum promiſsâ; quod, quia inſolens per id tempus erat,Peregrini Longobarbi nomen ſibi reperit.Lecticam verò,de more Imperatorū Con-

1. ſtantinopolitanorum,*Crux ſemper pręcedebat,inquit Godofredus. Eo igitur cultu Regem Galliæ Ludouicum conuenit: non ſine decore aliquo, & maieſtatis oſtentatione, quanquam non deerant, quibus inter ſcenicas illas veſtes, & fictam oris compoſitionem, rus redolere videretur.

Franciſcani de eo conſulti.

Peronam Ludouici R. rogatu vadit Pſeudo-Bald.

§. 5. Poſt multa leuiter vtrimque, vt in ſalutando aſſolet, iactata verba; queri Pſeudo-Balduinus acriter, atque in filias inuehi cœpit: quæ regnandi ambitione ductæ miſerum parentem, à quo vitam, & opes acceperant, tantis ærumnis

In filias inuehitur.

ærumnis defunctum, ne salute quidem dignatæ essent; iamque quasi si parum foret eum regno excludere, etiam probris appeterent, vulgoque veluti Sycophantam apud omnes traducerent. Domi se inclementiores ciues, quàm foris hostes, reperisse. Se è Flandriâ eijci, quem Græcia, Macedonia, Thracia aduenam exceperint; cùm tamen non tam se ipse, qui latere decreuerat, quàm Deus, & veritas tot argumentis, apud omnis ordinis viros comprobata prodidisset. Dolere se enimuero, quòd non in horridis Hæmi montis latebris, vti pridem constituerat, infelicem vitam agitare, quàm in Belgicam commigrare elegisset. Ad hæc Ludouicus suauiter, comiterque respondere: non esse quod quereretur, in re tantâ subitò fidem non adhiberi. Neminem esse prorsus, qui Balduinum reducem non optet, ne ipsas quidem eius filias, quibus Imperium parentis reditus non auferre, sed leuare posset. Quia tamen res non vsquequaque certa & comperta esset, se pro patroni in clientes, & consanguineas officio committere neutiquam posse, quin accuratiùs caussam discuteret; & exploraret magno vtriusque partis commodo: quo & illis quidem sine dubitatione aut metu parentem amplexari: ipsi verò semel aliquando palam & liberè à subditis populis in Principem recipi integrum esset. Si verus, inquiebat Rex, Balduinus es, cur Orientis Imperio derelicto, ad exiguas Prouincias redis? vbi porrò viginti totos annos delituisti, vt ne leuiculus quidē de latebris tuis rumor ad amicos tuos percrebuerit? Cur verò in has regiones reuersus, tādiu nomen dissimulasti, vt nunc te proderes? Multa sanè hæ Prouinciæ passæ sunt te absente, quibus mederi vnâ voce, vno scripto poteras, viuo; cùm non feceris, quis te viuum habeat? Ad hæc ille, repetitis conuitijs, & questu: se verò non Orientis modò Imperium, sed vitam ipsam pertæsum ita latere decreuisse: vt nisi agnitus à proceribus Belgij, coactusque esset, nunquam porrò cultum regium, aut Imperatoris nomen fuisse resumpturū. Aiebat igitur è custodiâ Bulgaricâ se astu liberatum, in Barbaros alios incidisse: à quibus, ignaris fortunæ suæ, in Syriâ venditus esset,

Ann. 1225.

Ludouici R. oratio.

Argumenta Pseudo B.

vtrobique

Ann. 1225. vtrobique ſeruitutem ſeruijſſe, ruſtico in ergaſtulo, & ſceptra cum ligonibus, ſolium cum aratro commutaſſe; tandé Germanorum Inſtitorum ope redemptum, in Belgium remiſſum eſſe. Verùm vt appulſus erat, tot fortunæ caſuum memorem, & nouos fluctus reformidantem eremum in eâ regione delegiſſe: in quâ Principem olim egerat. At nimirum interceſſiſſe nobilium virorum prolixam in ſe pietaté, quam tamen, heu! in filiabus ſuis deſideraret. Et poſt tot fluctus, imò & naufragia, in ipſo portu, in gremio, ſinuq; patriæ, in oculis chariſſimorum ciuium, maius his omnibus, atque adeo nouiſſimum periculum experiretur. Hæc aliaque eiuſmodi aptè diſſerens, varios in circumſtantium animis motus faciebat. Vnde veritus Rex, ne ſeditio oriretur; quo totam hanc diſputationem abſolueret, quædam ex eo queri voluit, quibus profectò commodè, ſi Balduinus eſſet, potuit reſpondere. Et mox per Bellouacensẽ Antiſtitẽ, de pauculis interrogatus veterator, (ab Hugone Leodienſi ait Warnantius) quas Imperator aliquando geſſerat, accuratè ille quidem quærenti ſatisfecit. Tum verò tres aliæ queſtiones in medium prolatæ ſunt, aliquantò paulò occultiores: quas tamen, non ipſe modò Balduinus, ſed quiuis ex nobilitate Belgicâ, qui cum eo conuixiſſet, ſine longâ indagatione poterat expedire; huic verò Mimo Sphyngis ænigmate abſtruſiora viſa ſunt. Et primò quidẽ ex eo quæſitum eſt, quo ipſe in loco, pro Flandriæ Principatu Auguſto Galliæ Regi fidem iuraſſet. Alterum vbi, & à quo equeſtri baltheo præcinctus. Demum quâ in vrbe, & conclaui, quoúe die Mariam Campanam ſibi matrimonio adiunxiſſet. Hæc tria quæ quærebantur, in publico facta: non altiùs 40. annis repetebantur. Hæc tamen qualia qualia iacula miſer Pſeudo-Balduinus non præuiderat, nec in his quæſtionibus ſtudium vllum poſuerat. Inducias igitur in craſtinum ab Rege petijt, cauſſatus cùm ætate, tum laboribus & ærumnis ſibi memoriæ non parum deperijſſe: vt momento temporis ad ea recognoſcenda, quæ tantò antè geſta fuerant, facultas non ſuppeteret. Liquidò veteratoris dolus patuit; ne quę tamẽ vulgo ex eâ præcipitatione

Rex ab eo quærit nonnulla.

obreperet

obreperet suspicio, minùs syncerè ab Rege quęstionem habitam, in sequentem diem negotium differri placuit: non Pseudo-Balduino; qui fugâ, cum alio modo nequiret, sese extricare maluit. Ann. 1225.

§. 6. Fugit veterator.

Nimirum nocte concubiâ auro argentoque omni, quod variè corrasérat, onustus vrbe se proripit: & in Burgundiā terram magnis itineribus, mutato habitu, contendit. Rex verò, vt eum postridie fugisse intellexit: præconis voce per totam Galliam denuntiauit, ei quidē, qui deceptorem detegeret, vim pecuniæ bene magnam: restem qui occuleret. Latuit nihilominus ille aliquammulto tempore: donec ipse vt sorex indicio suo se prodidit. Scilicet in vicū quendam, cui à Rubro-monte nomen est, se receperat; ibiq; lautiùs, quàm vt hominē infimæ sortis, qualis esse isthic noscebatur, deceret, obsonabatur: & sumptus alijs in rebus faciebat oppidò magnos. Ad Euerardum ergo de Cassenay vel Cachenay, eius loci Dynastam, de totâ re à varijs refertur, & ab eo Pseudo-Balduinus, vel furti, vel præstigiarum crimine arcessitus in carcerem compingitur. Vbi breui, cùm de eo quæstiones varię haberentur, & equuleus pararetur, quis esset ex eius ore scitum est. Fassus is est se * Bertrandū Raisium, vel Renssium à loco natiuitatis dici; Patrem sibi fuisse Petrum Cordelium, clientē Clarembaldi de Capes; se quidem arte citharædum, & histrionicam primùm, tum Anachoreticam vitam tam in Galliâ, quàm in Belgio, iuxta Valentianas agitasse, quoad improborum consilio Balduini personam sumpsisset. Ad Regem Ludouicum mox Cassenæus, & ille ad Ioannam Comitem in Flandriam reum amandat. Traductus ergo primùm per nonnulla Flandriæ oppida, vbique crimen suum, suamq; palam fraudem professus est: tum Insulis, ante senatus curiam, quam Hallam dicunt, patibulo appensus, & strangulatus: inde post dies aliquot extra vrbis muros proximè Laudense cœnobium in aliam crucem actus est. Hic finis fuit infelicis Anachoretæ, qui omnibus prope fraudum eiusmodi architectis obuenire solet; funestus, & tragicus; qualemque sortiti aliàs sunt

Capitur.

2.

Patibulo addictus.

Ann. 1225. Erophilus Smerdis Magus, Prompalus, Archelaus, Voldemarus, Mustapha, & plures alij, quos apud Valerium Maximum, Fulgosium, atque alios cùm antè, tum post Christum natum videre est; eiusmodi technis ad regiam dignitatem sublatos, ex eâ breui in supplicia & necē meritò corruisse. At ea tamen confessio, & sumpta de cōuicto rēo pœna tanti non fuit, vt vulgi opinionem altiùs iam menti impressam euelleret. Etiamnum Insulani, Valentianenses, pluresq; alij populi, ab Ioannâ Comite patrem impiè esse enectum credunt: eiusq; in parricidij expiationē Nosodochium, quod Comitissæ appellant, ab eâ Insulis erectum esse. Eam ob rem, quo clariùs & suam innocentiam testaretur, populique errorem redargueret: eos, quos superiùs memoraui, Legatos in Græciā, & Bulgariam mittere habuit; à quibus Balduini mors explorata, & comprobata est. Eum errorem & ipse Matthæus Paris secutus, ad annum CIↃCCXXIV. ait Balduinum è carcere Trinobiano euasisse ope cuiusdam puellæ nobilis, quæ eo officio baptismum pacta erat, atque captiui coniugium; vt verò in tuto fuit, eam puellam necari occultè Balduinum curasse. Cui crimini expiando, maximè quòd nondum sacris vndis ablutam trucidarat, de Papę præcepto, eremiticam vitā aggressum esse; at quia nec illa tanto sceleri par erat, Deo vindice sic decernente, eo quo diximus modo, vitā laqueo finijsse. Hęc ille bellus auctor. Qui tanto sectarijs opere arridet. Nihil quippe vel absurdius, vel magis impium dici posse quiuis facile videt. Hanc de eius morte fabulam, cum eâ, quam de lepido eius cum malo dæmone coniugio suprà retulimus, operæpretium est adtexere. Nec alijs necesse est argumentis, tam insulsum refellere narratorem.

Vulgus tamen ei fauet.

Matt. Paris.

Finis Libri Quarti.

CONSTAN-

CONSTANTINOPOLIS BELGICA.

ANN. 1206.

Liber Quintus & Postremus.

Tametsi Balduini frater Henricus minimè fuisset; quia tamen & ipse non modò Belga, sed & Valentianensis ortu erat: multumque ad fratris rerum gestarum seriem attinebat, quis earum victoriarum & Imperij Latino-Græci finis fuerit, intelligere; hoc libro, quæ Henricus in Oriente gessit: quiue in eius locum successerunt enarrabimus.

CAPVT PRIMVM.

Henricus Balduini frater Imp. inauguratur. Rem Latinorum in Oriente restituit. Venetorum ibidem progressus.

Villehard. Nicet.

§. I. Renerius de Trith ad socios redit.



Enerium de Trith, si bene meministis, ad Stenimachum: vbi eum Græci Valachis permisti tredecim ipsos menses obsessum tenuerant, reliquimus. Is porrò ope eius turmæ, quam Henricus ad eum destinarat, cuique præerant Cono Bethunius, & Villeharduynius, eo periculo liberatus: satius duxit, attentâ Latini auxilij exilitate, infelicem illam arcem, in quâ tot tamque indigna tolerarat deserere: quàm in obsidione alterâ; nullo prope operæ suæ pretio, ex-

 pectandâ

ANN. 1206. pectandâ animum obfirmare; cui consilio cæteri prorsus assenserunt. Tridui igitur itinere ad Moniacum castrum, Flumini Artæ impositum, peruenerunt. Et verò hîc eos opportunè Henricus præstolabatur. Quem, cum vniuerso exercitu, tam præclari Ducis, tantis periculis defuncti conspectus vehementer recreauit. Mox quando nihil iam de Balduini morte dubij supererat, societatis Duces omnes atque adeo ipsum militum vulgus, sine cunctatione vlla Henricum fratrem Imperatorem Constantinopolitanum pronuntiant; decernuntque continuò Byzantium contendendum: vt de more solemniter coronetur. Theodorum ergo Branam cum Græco sociorum exercitu, & quadraginta equitum Latinorum subsidio, eius regionis tutelam constituunt; ipsique omnes Constantinopolim proficiscuntur, vbi nouus Imperator mirâ & incredibili omnium quà indigenarum, qua conuenarum gaudio: apud quos ob clementiam, & mite ingenium, magnamque bellicæ rei peritiam gratiosissimus erat, exceptus est. Dein regiâ pompâ Dominicâ quæ proximè Assumptę Virginis festum sequebatur, hoc est XIII. Cal. Septembreis anni CIↃCCVI. in Sanctæ Sophiæ coronatus est, postea inquit Nicetas, quàm vacasset Imperium, annum vnum, & menses quatuor: hoc est à XIV. Aprilis anni CIↃCCV. ad XX. Augusti sequentis.

Henricus Imp. renuntiatur.

§. 2. Et hîc scilicet temperare sibi idem Græcus Auctor non potest, quin in populares suos inuectus, eorum siue leuitatem siue perfidiam detestetur; qui vix bene constitutum à se Imperatorem, eodem pæne momento, & coronant, & abijciunt: nouum aliquem quæritantes, quem alteri sufficiant. Contrà Latinorum, Henrici nominatim admiratur temperantiam, & in fratrem pietatem: cuius non ante mortem compertam, diadema capiti suo passus est imponi.

Theodorus Branas.

Quamprimùm verò Henricus Branæ Theodoro Adrianopolis & Didymotichi factam à Balduino donationem confirmauit: eumque harum ditionum possessionem adire permisit. Et ille quidem vtrobique præsidium imposuit.

bene

bene magnum, sed Græcorum: quos Ioanniza ex improuiso Didymotichum adueniens, facilè expugnauit. Vt scias quam Græcis Latini præstarent: siue fortitudine, siue prouidentiâ. Nam nec collapsos magnam partem, præterito bello, eius vrbis muros reparauit: nec rebus ad oppugnationem sustinendam necessarijs muniuit. Vnde & eam vrbem Bulgari solo æquauerunt, & vicina loca nouissimè depopulati, ingentem pecoris atque hominum vim abduxerunt. Hinc Valachus Adrianopolim meditabatur; vimq; parabat animo; maluit tamen antea fraude atque astu, suo more, eam attentare: prensatis eius loci primoribus, & aureis; vt est in prouerbio, hastis ciuium nobilitate oppugnatâ. Suboluit nihilominus id consilij reliquis oppidanis; qui Didymotichensi strage facti prudentiores, ab Henrico Imperatore opem efflagitarunt. Importuna eiusmodi petitio in ijs angustijs societati videbatur: quibus tantis Bulgarorum copijs exiguas opponere non nisi temerariè poterant. At quia tamen nihil Henrico erat antiquius; quàm vt Imperatoris nomen nuper acceptum præclaro aliquo facinore tum insigniret, tum subiectis populis redderet venerabile: potissimè verò vindicandæ fratris necis cupiditate inflammatus, auxilia pollicetur. Copias igitur quas potest colligit, & nullâ hostilis multitudinis, nec cladiũ acceptarum memoriâ attonitus, (inquit Nicetas, etiam in hoste suo virtutem suspiciens) Adrianopolim festinat: spe plenus fore vt Ioanniza solo Latini nominis terrore concideret. Et ita factum est. Valachus nempe Latinorum exercitum aduentare cognito, cum magnâ trepidatione receptui cecinit, & in regnum suum indecorè se recepit. Henricus eius fugæ ignarus iter prosecutus, sub ipsos vrbis muros in amplissimo prato castra collocabat. Vix autẽ tentoria explicare cœperat, cùm ab oppidanis admonetur Ioannizam & Didymotichi, & vicinæ ditionis spolijs onustum, longamque captiuorum seriem trahentem lentè ingredi: atque iam non longiùs quàm vnius diei iter abesse. Ocyùs ergo Henricus iter pronuntiari in crastinum diluculum iubet, tenta-

ANN. 1206.

Didymotichum à Bulgaris interceptum.

Adrianopolis ab ijsdem obsidetur.

Henricus obsidionem tollit.

Ann. 1206. turus si qua eum assequi, & misera mortalium agmina, quos in seruitutem abducebat, eripere latroni queat. Quatuor ipsos dies à persequendo non destitit: nec segniùs alter fugam maturabat, seque hosti subducebat. Quod in promtu fuit: cùm diei vnius itinere alterum præuertisset.

§. 3. Byziam capit.

Byziam Henricus peruenit, vrbem Valacho pridem deditam, & Latinis infensam. Vt verò Imperatorem adesse, & fugisse Ioannizam oppidani resciuere: mox vrbe destitutâ, in auios montium anfractus sese recepêre. Ad eam igitur Henricus diuertit, magno exercitus vniuersi emolumento. Præterquam enim quòd in vrbe omnis generis annonam affatim reperere; tum in subiectos vrbi agros effusi milites, boum, ouium, bubalorum & id genus pecorum magnum sanè modum in eam adduxere. Biduum porrò in eâ commoratus Blisinam primis castris peruenit; vrbem itidem, & à Græcis desertam, & copiosam, sub cuius muros noctem vnam traduxit. Interim nuntiatur captiuorum turmam à Valachis, quorum fugam illa remorabatur, destitutam, in valle quadam trium modò horarum spatio à castris remotâ consedisse; edictum mox vt postero die Didymotichenses, & Adrianopolitani cum duabus alis equitum, quibus præerant Eustachius Imperatoris frater, & Macarius à Sancto Maneholdo, eos requirant, atque in tuto collocent. Et ierunt quidem illi, captiuosque eo in loco reperêre: non solos tamen, aut liberos; nam Valachi magno numero ad sarcinas, interim cùm alij fugerent, remanserant: prædasque omnes asseruabant. Pugnatum acriter, pluresque non tantùm è militibus, sed è captiuis etiam vtriusque sexus telis temerè interfecti cecidere. Superiores nihilominus Latini euasere: cuncta hosti detracta spolia, captiuique inprimis, ad viginti aut eo amplius millia, & ter mille currus prædâ onusti ad castra sub noctem reducti: exilientibus præ gaudio socijs; qui victoribus obuiàm gratulabundi prodiere. Hæc omnia Villeharduynius, oculatus scilicet testis confirmat. Porrò, de Henrici iussu, intra castrorum ambitum,

Spolia Bulgaris eripit.

bitum, captiuis spolijsq; asseruandis assignatus est locus, vbi sic tutò eâ nocte, & postridie cohibita sunt, vt ne teruntius quidem vlli periret. Inde Adrianopolim itum est, vbi demum Græci captiui valere iussi, se suaque omnia quò libuit receperunt: reliquâ prædâ inter milites distributâ. Ann. 1206.

Quinque omnino dies Adrianopoli cum exercitu Imperator commoratus, Didymotichum perrexit: conspecturus deforme eius vrbis excidium: visurusque, si quà eæ ruinæ resarciri possent; quod tum fieri nequaquam posse omnes iudicarunt.

§. 4. Vxor Henrico adducitur.

Interea verò loci, cùm de eâ re agebatur, Otto de Rupe, vir nobilis, à Bonifacio Marchione Legatus aduenit: qui matrimonium de quo aliàs sermo fuerat, Henrici Imperatoris cum filiâ eiusdem Bonifacij vrgeret: Regiam puellam, à Parente euocatam, è Longòbardiâ in Græciam appulsam iam Thessalonicæ agere, nihilque intercedere: quo minùs eæ nuptiæ celebrarentur. Assensus est illico Henricus, pactisque, quæ eam in rem solent, virginem ad se mitti postulauit.

Valachiam ille populatur.

Secundùm hæc rursum contractis copijs in hostilem regionem Henricus mouet, Ioannizam in ipsa Valachiâ oppugnaturus. Vrbs est in eâ regione, quam Fermam Villeharduynius vocat, Crenem Nicetas: hoc est fontem, seu scaturiginem, ab aquis naturâ calidis, quæ hic erumpunt, sic dictam. Eam socij expugnatam diripuerunt: vt & aliam, quam Aquilonem Villeharduynius, Boream dicit Nicetas. In vtrâq; porrò eâ vrbe, vicinisq; actæ locis prædę maximæ; Crenem verò etiam solo socij ęquauerunt. Inde manubijs quisque suis onusti Adrianopolim rediere: in eâque ad Nouembrem ineuntem substitere. Tum verò quia hyems anni appetens suadebat ensem vaginæ recondere, militemque in statiua dimittere: Constantinopolim exercitum Imperator reduxit vniuersum, demptis viginti equestris ordinis viris, qui cum Petro de Radingean eorum Præfecto, & Græcis militibus Adrianopoli in præsidio essent.

Veneti

Ann. 1206. §. 5. Venetorum in Græcia progressus.

Veneti nihilo segniùs suis rebus studebant, atque vrbes arcesque sibi ab hostibus ereptas recuperare nitebantur. De quibus vt semel dicam compendio, quæ ab eorum potissimùm historicis traduntur, in hunc locum referenda iudicaui. Blond. Iustinian.

Ea igitur Respublica, quò, quæ loca sibi obuenerant (eæ plurimùm vel insulæ erant, vel oræ maritimæ) faciliùs cùm acquireret, tum retineret: edicto publico cauit, vt ne qui è suis ciuibus in Græciam nauigare prohiberentur: liceretque eorum singulis eâ in ditione, quæ in sortem Venetis cesserant, non modò arces, oppida, insulasque ex hostium manibus asserere, sed & sibi vsurpare: modò pro ijs Reipublicæ sic fidem iurent, quomodò illa Imperatori. Multi itaque ex eâ gente naues armato milite, cæterisque ad bellum necessarijs, suo sumptu, instruxere: & pro se quisque arcem aliquam, vel oppidum tentare cœperunt. Et Marcus quidem Dandulus, Iacobusque Viarius coniunctis viribus, & initâ inter se societate Naxum, Paron, Molum, Æginam, & Andron Cycladum Insulas occuparunt. Rabanus vero Carcerius Veronensis, qui Palæstinam meditans in Græciam transierat: EubϾæ partem, quæ circa Euripum est, in suam potestatem redegit. Andreas autem, & Hieremias Gisi Teno, Mycone, Schyro, Sciatho, & Scopelo potiti sunt. Philocalius etiam Nauigaiossus * Lemnum Insulam deditione accepit. 1.

§. 6. Cretæ expugnatio.

At verò maioris aliquantò laboris, & periculi fuit Cretæ expugnatio. In eam igitur S. P. Q. Venetus vnam & triginta triremes immisit, Renerio Dandulo Henrici filio, & Rogerio Permareno Ducibus. Hi in faucibus sinus Adriatici Leoni cuidam Genuensi, qui per eam oram piraticam factitabat, occurrentes, eius triremem expugnarunt: eumque laqueo præfocatum in mare deturbarunt. Hinc in Peloponnesum, Methone priùs, & Corone à latronibus, qui eam occupabant, vindicatis, in ijsque præsidio imposito, transmisêre. Corcyra etiam ab ijs capta est, atque in eam Venetorum ducta colonia. Inde omnes

Cretam

Cretam adnauigarunt: nulloque negotio exscensione factâ: Candiam primùm, eius regni metropolim (Cydoniam dixere veteres,) tum etiam reliquam regionem obtinuere. Postea iter prosecuti plures alias insulas, scopulos veriùs, quà Ægei, quà Ionici maris Reipublicæ Venetæ subiecere. Primus ab eâ Cretæ Præfectus est Iacobus Tiepoli. ANN. 1206.

At verò Genuenses veteribus odijs iuxta, & Leonis ciuis sui nece in Venetos accensi, in eâ Insulâ discordiarum venena sparserunt: atque incolas, quibus se Henricus Melitæ Regulus iunxerat, in Dominos armauerunt: Et hoc, puto, argumento inductus Nicetas, à piratis Genuensibus Cretam insulam occupatam esse tradidit. Mox tamen Renerij Danduli operâ, qui eò aduolarat, animi Insulanorum tantisper ad quietem compositi, pacataque omnia: donec nouam aliquam scintillam nescio qui excudere, rursusque exorta seditio; cuius auctores dum Renerius propellere conatur, sagittâ temerè allapsâ ictus occubuit. Ea propter Venetorum Respublica eius populi inquietudinem, leuitatemque perpendens, eò coloniam è suis ciuibus censuit esse traducendam: inter quos & agri, & prædia distributa sunt. Quo verò tempore ea patrabantur. Rabanus Carcerius, de quo memorabam, Veronensis veritus, vt suis viribus parta tueretur, in Venetorum clientelam & ipse transijt: quod & à Gaufredo Villeharduynio, Achaiæ & Cephaleniæ Regulo, factum esse Itali scriptores falsò prodidere. Nicet.

§. 7. Cum Lascari vt conuenerint socij.

Quid verò Lascaris interea rerum moliebatur? Inducias cum Henrico, simul hic Imperio admotus est, pactus: eas religiosè satis aliquamdiu obseruauit: seque in Anatoliâ quietè & pacificè habuit. Non diu tamen ea tenuit religio. Breui Theodorus immemor datæ fidei, Latinis arma intulit. Eâ re Imperator Pegas Petrum de Braiecueil, cui eam vrbem ditionemque addixerat: cum Anselmo de Caieu, & Eustachio fratre suo, turmæ centum & quadraginta lancreariorum lectissimorum ductoribus, Villehard.

ANN. 1206. traijcere in Asiam imperat: & violatæ fidei pœnas de Theodoro reposcere. Quod ipsi prolixè omnino præstiterunt. Et primùm quidem Exquisiam delati, quam alibi Esquiliam vocat (Scylacam Plinij Cyzico vicinam, ad littus Propontidis putat Vigenerius, nec dissentio:) oppidum, si exiguas fauces excipias, olim quidem opportunè munitas: nunc verò bellorum iniuriâ collapsis munimentis, apertas: totum mari murisque marmoreis circumseptum, eo facillimè potiti sunt. Et vrbis quidem, quod ea intra ditionis eius terminos comprehenderetur, fauces illas Petrus nouis munimentis conclusit: duplici insuper castello, ad vtrumque quà mari, quà terrâ patet, aditum extructo, vrbem firmauit.

Petri de Braiecueil facinora.

Hinc continuò, vt ea opera perfici potuere, in Lascarinas terras populabundi ruere, omnia agere, ferre, maximasque omne genus prædas in eam vrbem tantùm non quotidie auehere, cœperunt. Quamquam non otiosè sanè huiusmodi mala Theodorus Lascaris patiebatur; etenim & ipse cum multo milite Exquisiam accurrere: palantes cohibere, incautos opprimere, nec rarò etiam ad ineundum prælium omnes Petri copias cogere vario vtrimque successu.

Theodoricus Lossensis.

Iam verò Theodoricus Lossensis Imperij Latino-Græci Senescallus Nicomediam Imperatoris Balduini dono acceperat; in quam & ipse copiosum militem induxit; quando autem castrum repererat dirutum, & tantùm non à fundamentis euulsum, Sanctæ Sophiæ ædem altissimam, solidoque lapide constantem, in arcis formam redegit: & inde Lascarim, cuius regni caput Nicea, vnius dumtaxat diei iter aberat: bello, populationibusque per quàm molestissimis lacessere aggressus plurimùm Latinam rem auxit.

CAPVT

CAPVT II.

Nuptiæ Henrici cum filiâ Bonifacij. Variæ vrbes ab Imp. obsidione liberantur.

Villehard. Vm hæc in Asiâ geruntur, Bonifacius Marchio Thessalonicâ Serras venit, eamque vrbem Ioannizæ crudelitatis etiamnum vestigia retinentem instaurauit. Idemque Draminæ oppido, valli Philippææ incubanti præstitum est ab eo officium: ad suum vero omnis circumuicina regio vicissim, atque in Marchionis potestatem redijt. Ne qua tamen alicunde fraus ingrueret, eos agros, à quibus sibi meritò timere poterat, populationibus incendijsque deformauit. Et his eo modo peractis sub ineuntem anni CIↃCCVII. Ianuarium Legatos Constantinopolim ad Henricum amandauit, qui * Agnetem filiam nauibus Daonium transmisisse, ibique Imperatoris nuntios præstolari significarent. Eam illico Gaufredus Villeharduynius, cum Milone de Braibans accersitum profectus est: atque Daonio regiæ naui impositam Byzantium adduxit. Et quia illa triremi vehebatur: prope templum Blachernarum exscensione de more factâ (nam quæ terrâ sponsæ ingressæ erant, eum locum, qui extra vrbem positus * Fons appellatur, petere solitas esse tradit Codinus) ad portam Eugenij processit. E quâ digressus, vbi eam Imperator cum proceribus equo insidens, circa arcem regiam salutauit, in vrbem continuò redijt: sponsâ principum feminarum (eæ plerumque erant vel Reginæ, vel Sebastocratorissæ, aut Cæsarissæ:) custodiæ relictâ: à quibus rubros calceos reliquumque Imperatorium cultum induta, equo & ipsa in palatium deducta est. Nuptiæ proximâ post Hypapantes, siue Purificationis,

Margin notes: §. I. Bonifacij gesta. — An. CIↃCCVII. — 1. Nuptiæ Henrici cum Agnete Bonifacij filiâ. — Codin. de Offic. — 2. — Villehard.

ANN. 1207. nis, vt Latinis dicitur, festum Dominicâ, in regiâ Byzantij æde, quam Bucoleontis dicebant, solemni ritu, & apparatu celebratæ sunt.

§. 2. Lascaris Bulgarum inuocat.

Interim verò dum Byzantium huius matrimonij occasione festis ludis, & conuiuijs perstrepit: Sociorum lætitiam à Lascari excitata tempestas, diuturnam esse non siuit. Is quippe huiusmodi vti diximus à Lossensi, & Braiecuellio agitatus, suisque diffidens viribus, ad malas artes confugere, & communem iterum Latinæ iuxta & Græcæ gentis hostem inuocare: quam supplex pacem petere maluit. Ioannizam nempe monet distractis Henricum copijs: &, vt plurimùm in Asiam traductis, Thraciæ propugnandæ vix parem esse. In illam igitur ipse cum Valachis inuadat: se suis partibus non defuturum: quo socios, quominus sibi inuicem sint auxilio, distineat. Et verò sibi non defuit Ioanniza, quin tam iucundò pareret consilio; sed quantum potuit maximum quà ex Valachis & Bulgaris, quà ex Tartaris conflatum exercitum in Thraciam immittit. Et res incommodè accidit; nam supra eas copias, quas Petrus de Braiecueil, Pegas, & Theodoricus Lossensis Nicomediam abduxerant: hinc etiam Macarius à Sancto Maneholdo Caracasi ad sinum Nicomediensem, sex dumtaxat ab eà vrbe leucis arcem muniebat: illinc Guillelmus de Sains aliam Chiuetoti, non longè à Niceâ exædificabat: vtrique verò in eum finem bona sociorum manus erat attributa. Cum ergo eo pacto dissipatæ essent sociorum turmæ: ecce tibi sub medium circiter veris ieiunium, Ioanniza equitatus partem ad portas vsque Constantinopolis effundit. Ipse cum reliquo exercitu, qui copiosus erat Adrianopolim circumsedet: & triginta tribus machinis saxa immania eiaculantibus vrbis muros, & turres continenter pulsat. Eam Petrus de Radingean cum Græcorum præsidio, & Latinis decem dumtaxat equitibus tuebatur. Celeriter ergo illi ad Imperatorem nuntios emittunt: à quibus socij vrbis statum edoceantur, & suppetias maturent. Henrico in promptu fuit

Adrianopolim Ioanniza obsidet.

periculum

periculum aduertere, opem ferre non item. At, quia ferendum tamen omnino erat, sine longis ambagibus Exquisiâ, vbi plures è socijs cogebantur, Eustachium fratrem, & Anselmum de Kaieu, cum quàm maximo possent militum numero, ad se venire iubet; vt pauci prorsus cum Petro de Braiecueil' remanerent. Id vbi comperit Lascaris, Exquisiam bene comitatus aduolat: castra, quasi vrbem obsessurus, sub ipsis portis collocat: nostros telis appetit: & vicissim ab obsessis erumpentibus crebrò velitationes, leuioraque illa quidem, non incruenta verò vtrimque instituuntur certamina. Id tamen non obstitit, quin compertâ Latinorum præsidiariorum, quos solos Græci metuebant, paucitate, partem exercitus Lascaris dimitteret, qui mari terrâque Chiuetotum obsidione clauderent. Eam ipsi obsidionem inchoarunt pridie, eius Dominicæ, quæ vernum ieiunium æqualiter intersecat; intempestiuè sanè, si loci conditionem consideres. Nam præterquam quòd in eâ plures quadraginta lancearijs, quibus Macarius à Sancto Mancholdo præerat, haud essent: ipsa vrbs nondum munimentis claudi, sepirique perfectè potuerat: vt Græcis ad portas, atque adeo ad muros ipsos, primo impetu peruadere, & cum Latinis manus conserere licuerit. In quâ profectò dimicatione, vt obsessi strenuè supra modum sese tuerentur: quia tamen tam iniquo numero pugnabatur, quinque tantùm integri ex acie rediere: cæteris omnibus grauiter saucijs, vno etiam interfecto. Vocabatur is Ægidius, fuitque Milonis de Braibans ex fratre nepos.

ANN. 1207.

Lascaris socios vrget.

§. 3. Chiuetotum liberat Henricus.

Priùs verò quàm id prælium terrâ marique committeretur, Henricum Imperatorem in Blachernensi palatio prandentem, nuntius occupauit: Chiuetotum arctâ obsidione premi: socios paucos esse: actumque de præsidio, & loco, ni celeriter socij opitulentur. Cum Imperatore id temporis præter Cononem Bethunium, Gaufredum Villeharduynium, & Milonem de Braibans vix vlli supererant; nulla tamen longior de eâ re habita consultatio.

ANN. 1207. Celeritatem naufragijs infamem nonnemo vocat: nempe præcipitem, & incautam. Certè magna in rep. momenta sunt temporum. In subitis facto potius, quàm consulto opus est. Ad portum ergo omnes accurrunt: regiam triremem Henricus, aliam quisque, prout fors tulit, nauem conscendunt; & eodem prope temporis momento, præconis voce per vrbem totam edicitur: vt arma idonei quique corripiant: & ad societatis florem nouissimo eruendum periculo omnes se accingant. Vidisses mox Venetos, Pisanos, & id genus nauticæ artis gnaros homines ad portum accurrere: cum ijs Gallos, Belgasque armis instructos conscendere: & eâdem horâ, non expectatis socijs, tantus erat iuuandi sociorum ardor, vela explicare: remos agere, & Imperatorem sequi. Totum eum diem noctemque insequentem ad Solis vsque exortum, velis remisque contentâ nauigatione fatigati Chiuetotum: & circum quà mari, quà terrâ explicatum hostium exercitum conspexêre. Nullam omnino eâ nocte quietem obsessi repererant: sed armis vt erant contecti, fracti licet vsque labore & saucij, excubias agere perseuerabant, ac præter mortem honestam, nihil prorsus expectabant. Deditionem namque agitare, eiusmodi viris infame, & acerbius quolibet supplicio videbatur.

§. 4. Impar hostili, sociorum numerus.

Cæterùm Henricus Imperator, monitus hostem alteram impressionem in eos meditari: circumspexit si fortè nauium suarum numerus hostium classi non omnino impar esset. Sed aduertit hinc Villehardùynium in vnâ triremi seorsim: isthinc Milonem in alterâ, cum Pisanis aliquot, totamque suam classem, quà magnis, quà minoribus nauibus septemdecim omnino constare: cum hostis plures sexaginta numeraret. Fluctuari Henricus, & modò suam paucitatem, modò obsessorum periculum perpendere. Vt vt enim sua se haberet classis, videbat vrbem sociosque, nisi auxilium ferret, vel captum vel interfectum iri. Igitur petendum hostem decernit. Classem vnâ serie explicat, & in portum iubet intendere. Hostes certè in

procinctu

procinctu erant, vt vrbem inuaderent: cum classe conspe- ANN. 1207.
ctâ & agnitâ, ab assultu tantisper abstinent. Vniuersi equi- Hostium fuga.
tes iuxta & pedites in arenam glomeratim adlapsi, vt vide-
runt nihilo seciùs ad eos Imperatorem contendere: tum
verò omnes in naues se recipiunt: & prælium in speciem
expectant, reuera formidant & defugiunt tanto numero
superiores. Interim Constantinopoli aliæ super alias naues
ad socios adnauigant, tantâ copiâ vt ante noctis crepuscu-
lum, Græcos iam vice versâ numero superarent. Statuit
Henricus sub Auroram hostilem classem aggredi: &, si
Deus annuat, vrere; at id ipsum perfectum est nullo socio-
rum incommodo, aut labore. Etenim ipsi Græci nocte
concubiâ clanculum in littus euasere, vtque ne socijs eæ
vsui forent, in naues ipsi suas faces iniecere: ita vt eæ ante
conflagrare, quàm milites fugisse visæ sint. Vehementer
sanè ea res Henricum cæterosque socios exhilarauit; quos
tam opportunè Deus eò adduxisset, eiusque ope factum
esset: vt supra omnem spem, citraque vllam dimicationem
hostes suos triumpharent. Actis igitur Numini, vt par
erat, gratijs ad socios summo mane accurrere: quos lu-
ridos, squalore, & laboribus pæne confectos, mortuis
quàm viuis similiores: vrbem verò sic quassatam, vt pro-
pugnari vix posset, reperêre: quare eâ destitutâ, socios in
naues impositos Constantinopolim reuexere.

§. 5.

Adrianopolis obsessa.

Nec otio interea Bulgarorum Rex tẽpus conterebat. Ni-
mirum Adrianopolim grauiore in dies obsidione vrgebat:
& iam muris turribusque vi tormentorum, vel dirutis, vel
luxatis, ad ipsa mœnia fossas promouerat; vt nihil propius
esset, quàm impressione factâ, & munimentis labefacta-
tis, in vrbem vt hostes peruaderent. Qui vrbi præsidio
erant, Latini pariter & Græci, nihil omnino quidem
omittebant, quo vel summouerent hostes, vel se ab ijs
tuerentur; frequentes nihilominus ad Imperatorem nun-
tios missitabant, opem ab eo extremo huic periculo flagi-
tatum. Et eam ille, vt optabat maximè, sic ægrè profe-
ctò ferre poterat: ita vires sociorum, quæ aliàs erant exi-
guæ,

Ann. 1207. guæ, Asiatico bello distrahi oportebat: vt cui potiùs intendendum esset, non facilè aduerteret. Aprili tandem mense eos progressus in Adrianopolitanâ obsidione fecit Ioanniza: vt turribus aliquot, magnâque murorum parte binis in locis, siue per cuniculos suffossis, siue per machinas conuulsis: cominus manus conserere cum obsessis esset integrum; nihilo tamen segniùs illis vrbem propugnantibus, & Bulgarorum totos cuneos non semel ferro demententibus. Prorsus vt his mirabile videretur, tam diu illos, sine spe auxilij, tam infirmum locum defendere ausos esse. At quod à socijs ferri vix poterat, ab ipsis hostibus, aut è Cælo veriùs auxilium obsessi nacti sunt. Tartari quippe, quos ad ipsas vsque Byzantij portas populatum à Ioannizâ missos fuisse suprà dicebamus: in castra reuersi, spolijsque ditati, patriam repetere statuerunt. Atque adeo reipsâ, frustra reluctante Ioannizâ, & Adrianopolis expugnationem intra dies pauculos pollicente, abierunt. Et eos ipse Valachus mox secutus est atque institutam, ac pæne confectam obsidionem reliquit: tametsi copiæ bene magnæ ei suppeterent; quod prodigio simile nostris visum est. Non destiterunt tamen illi Imperatorem rogare vt accelerare auxilia: ne fortè Valachus, fugæ pænitentiâ ductus, obsidionem resumeret.

Soluitur obsidio.

§. 6.

Lascaris in Asiâ turbat.

At verò dum copiolas suas Henricus recenset, atque Adrianopolim destinat: ecce tibi ad eum acerbus enimuero defertur nuntius, Leonem Scurum classi Græcæ, à Theodoro Lascari præfectum, cum septemdecim triremibus Hellesponti fauces, quà Abydum Sestumque interfluit, ingressum esse: (Anij os appellat Villeharduynius) atque secundum illud fretum progressum, Esquisiam, vbi Petrus de Braiecueil cum Pagano Aurelianensi in præsidio erant, mari circumsedisse: terrâ autem Lascarim Theodorum. Nuntiabant insuper eius obsidionis famâ anima-
3. tos cùm eius regionis, tum * Marmoræ incolas, sociorum iugum excussisse. Marmoræm Proconnesum veteres dixere, Propontidis insulam Cyzico oppositam. Perculit is nuntius

nuntius Latinorum duces, magnosque in animis Byzantinorum motus exciuit. Ann. 1207.

Esquisiæ obsidio soluitur.

Henricus verò Imperator nihil territus eiusmodi periculo, qui iam pridem id genus omnia mente præceperat, adeoque ijs assueuerat: de suorum, Venetorumque consilio, quatuordecim triremes quamprimum instruit, easque tum è Venetâ, tum Gallicâ, Belgicâque, è Græcâ etiam nobilitate viris lectissimis implet. Et vnam quidem Cono Bethunius cum suis conscendit: alteram Villeharduynius: aliam Macarius à Sancto Maneholdo: quartam Milo de Braibans: quintam Anselmus de Kaïeu: sextam Theodoricus Lossensis Senescallus: septimam Guillielmus du Perçoy: octauam Eustachius Imperatoris frater; cum suâ quisque cohorte compleuerunt. Et hi omnes dilatâ tantisper Adrianopolitanâ expeditione, concitatissimo cursu enauigatâ Propontide, Esquisiam versus contendere. Verùm eius classis aduentantis rumor, vt in castris Græcorum increbuit; horum animos sic infregit, vt illius congressum Leo Scurus non magis quàm ipse Lascaris expectare sustinuerit; sed tempori omnes quo cuique vsus erat sese recepere. Et Leonis, quidem classem socij duos omnino dies noctesque persequi institêre: donec quadraginta trans Hellespontum milliaria in ipsum Aegeum mare prolapsi, ad Esquisiam reflexo cursu: indeque, quando terrâ marique vrbem liberauerant, Constantinopolim rediere. Iam verò vix portum eæ naues, domumque milites quisque suam tenuerant: cùm de Adrianopolitanâ obsidione tollendâ agi cœptum: & decreta profectio: interrupta tamen illa subinde nouo nuntio. Et vide quam inquietæ socijs res, & procellosum Henrico Imperium erat.

S. Sophiæ arx obsessa.

Potiorem copiarum suarum partem Nicomediam versus Lascaris emiserat: & Sanctæ Sophiæ templum in arcis modum à Theodorico Lossensi communitum, coronâ cinxerat. Et verò in extremum prope discrimen adducti socij, quibus nec annona ipsa in paucos dies satis esset, ab

ANN. 1207. Imperatore ſuppetias ſibi mitti flagitabant. Ipſe certè Henricus cum ijs nauigijs, quæ inſtrui poterant, mox Nicomediam traiecit. At è portu ſoluiſſe ſatis fuerat: ita eius nominis terror Græcum exercitum inuaſerat: Laſcaris enim ſimul audijt obſeſſis auxilium Byzantio mitti: mox Niceam repetijt & obſidionem ſoluit. Nihilominus Nicomediæ cum quantis potuit tam equitum, quàm peditum copijs remanere Theodoricum Loſſenſem Henricus iuſſit: Caracaſi verò Macarium à Sancto Maneholdo; Guillelmum autem du Perçoy Eſquiſiæ, ijs vrbibus agriſq; ſubiectis frænum & tutelam futuros. Sed non admodum feliciter vtriſque ea prouincia ceſſit, vti mox enarrabo.

Liberatur.

CAPVT III.

Cæduntur à Græcis ſocij. Loſſenſis capitur. Induciæ ad biennium vtrimque datæ. Valachia diripitur. Bonifacij cædes.

§. I. Cædes ſociorum.



His quo dicebamus modo conſtitutis, Conſtantinopolim Henricus Imperator reuectus eſt: tandem aliquando expeditionem Adrianopolitanam confecturus; ſerioque ſe ad eam accingebat: cùm id conſilij nouum rurſus infortunium interturbauit. Relicti in Aſiâ ſocij Theodoricus Loſſenſis Nicomediâ, & Guillelmus du Perçoy Eſquiſiâ cum ſuis non rarò populabundi hoſtiles agros percurrebant. Accidit verò vt ijs aliquando Laſcaris inſidias ſtrueret: & incautos in eas adduceret. Multis partibus Latinos Græci ſuperabant, cùm numero, tum loci opportunitate: atque adeo eos quantumuis ſtrenuè dimicantes fuderunt: nonnullis etiam vel cæſis, vel in captiuitatem abductis. Ex his fuit Theodoricus Loſſenſis Latino-Græci Imperij, ſiue Ro-

Villehard. 1

Loſſenſis capitur.

maniæ

maniæ Senescallus quem egregiè se defendentem hostibusque obsistentem: posteaquam duos illi equos confoderant, Græcorum plurimi superfusi viuum cepêre. Guillelmus du Perçoy alterâ manu saucius, ex acie cum potiori exercitus parte se proripuit: & ad Sanctæ Sophiæ arcem transfugit; quò mox etiam Lascaris victor aduolauit. Passim Antonius de Remy Theodorici Lossensis cliens, iure, an iniuriâ nescio, inquit Villeharduynius, patronum turpiter in eo discrimine destituisse creditus est. Porrò Imperator cladis huius & obsidionis certior factus, quàm annonâ deficiente vix ad quatuor, aut quinque vt summum dies tolerare socij possent: denuo Nicomediam contendit, tantâ celeritate, vt socij pro se quisque incompositè obuia quæque nauigia conscenderent; vix alterius rei memores, quàm vt commilitones periculo eximerent; atque ipse Lascaris priùs eos ad littus applicuisse, quàm soluisse Byzantio cognouit. Et Henricus quidem vt exscendit, suas copiolas in ordines compositas Nicomediam duxit: suas verò vicissim Lascaris, & qui cum eo erat eius frater recepto iam more fugere, ac Nicæam reducere perrexerunt. ANN. 1207.

Henricus ab eâ vrbis parte, quà Meridiem spectat, castra posuit in latâ atque herbidâ planitie, quam fluuius alluit: hincque vicinos populos, quos Senescalli captio, & nostrorum clades ad defectionem impulerat, copiarum partem populatum ire iussit. Dies quinque tenuit populatio: multæque pecudes abactæ, & capti mortales plurimi. Et verò ea res, atque inprimis ipsius Henrici præsentia, qui de reditu cogitare neutiquam videbatur, magnopere Theodorum terrebat; ad eum ergo Legatos destinat, qui inducias in biennium offerant: eâ conditione, vt Esquisiæ, & Sanctæ Sophiæ arces Henricus diruat: ipse verò captiuos è socijs, quicunque ij sint, sine lytro confestim dimittat. Non diu cunctandum censuit Henricus, aut longiori deliberatione disquirendum, essentne eæ induciæ concedendæ, quas ipse vltro, si ab hoste non propo- §. 2. Induciæ.

 nerentur,

Ann. 1207 nerentur, debuerat petijsse. Præterquam enim quod captiuorum vim magnam Lascaris habebat in vinculis: satiùs erat duo illa loca tantisper destituere, quàm Imperium, non Asiæ modò, sed & Thraciæ in extremum discrimen adducere: atque Adrianopolim nominatim amittere. Nec enim fieri posse videbatur, vt gemino bello sustinendo sociorum vires pares essent: inprimis verò hocce pacto initum inter potentissimos aduersarios Ioannizam & Lascarim dissoluebatur fædus: per quod ab hoc in Asiâ, ab illo in Europâ perpetua alioquin pericula subeunda erant. Inducias ergo illas in biennium pacisci placuit. Hæc Villeharduynius strictim. Logotheta verò pacem ait inter eos ictam esse his legibus, vt omnia quæ intra Cimenem montem posita sunt; ad Achuraos vsq; Cimeni con-
1. terminos, Francorum imperio subiecta essent; * Calamum verò vicum, quo Neocastrensis ditio termino definitur, à
2. nemine habitari placuit. Cætera, vtpote Neocastra, * Celbianum, Chliara, Pergamum, Opsicia, & Moldia regiones Lascaris Imperio vel adiecta vel relicta.

§. 3. *Imp. Trapezuntis Henrico subditur.* Porrò antè paulò quàm id fieret, Dauid & Alexius Comnenus Emmanuelis filij, atque Andronici Imperatoris nepotes, qui Ponti & Trapezuntis Imperium possidebant, ab Lascari appetiti: suisque diffidentes viribus, Henrici Imperatoris opem aduersus communem vtriusque hostem impetrarant: eique clientelæ sacramentum dixerant. Hi tales igitur ijs induciarum vel pacis tabulis, vt solet, comprehensi tantisper etiam ipsi à bello feriati sunt. Mox ad se Petro de Braiecueil Esquisiâ euocato, non laboriosè persuasit, eam arcem Lascari permitteret, vnà cum Sophianâ nudandam munimentis. Quo facto continuò Lossensis, cæterique captiui à Græcis libertate donati, ad socios rediere. *Villehard. Nicet.*

§. 4. *Valachiam populatur Henricus.* Secundùm hæc Byzantium Imperator transmisit, indeq; Selybriam; vbi nouo milite conscripto, veterique sub signa collecto, Adrianopolim, ad quam accedere iam quartùm fuerat prohibitus, tandem aliquando sub exeuntem Iu- *Villehard.*

nium

nium peruenit: atque in eius agro suburbano castra posuit. Oppidani verò qui tanto tamque diuturno eius visendi desiderio tenebantur, eo ordine & modo quo in supplicationibus sacris fieri solet, ex vrbe effusi ei obuiam venerabundi prodierunt. Vnum modò diem hic moratus: quo impressiones & ruinas, tam muris, quàm turribus à Valachis illatas contemplaretur atque resarciri curaret; in Bulgariam hosti signa ipse vicissim illaturus contendit. Ad Hæmi montis radices vrbem (Enluiam vocat Auctor noster) Ioanniza recens vel condiderat, vel instaurarat. Eius oppidani antè ad montes confugere, quàm nostri propiùs accederent. Sub ipsius oppidi muros castris collocatis, aliquot peditum cohortes per hostilem terram disseminauit; & illi quidem incredibilem pecoris modum rapuere. Adrianopolitæ verò currus, quos plurimos secum traxerant, pabulo omnis generis: cuius maximè indigebant, ex hostico collecto onerarunt. Triduum eiusmodi populationi indultum; quæ, tametsi non parebat exercitus qui impediret, non impunè tamen sociorum nonnullis cedebat: quos in auia nemorum, & montium abdita penetrare ausos, Valachi è latebris prosilientes trucidabant. Quare eiusmodi peditibus quatuor equitum turmas præsidio Imperator adiunxit; ducibus Eustachio fratre, Theodorico à Flandria, eiusdem nepote: Anselmo de Kaieu, Gualtero d'Escornaix, & Ioanne de Blians. Huius equitatus ope longiùs prouecti quàm antehac fecerant, susque deque miscere omnia, & terram vastare cœperunt. At vbi regrediendum fuit, à Valachis montium aditus insidentibus, occupati: nihil propiùs abfuit quàm vt omnes cederentur. Auxilio fuit quòd equites, quorum bestijs ægrè in eiusmodi angustijs locorum iter patebat; ipsi verò arborum ramis implicati arma expedire non poterant, ex equis desilientes hostem arcere aggressi sint: quod eis commodè cecidit; tandemque ad castra, acciso non parum exercitu se recepêre. Postridie Adrianopolim regressus Imperator, eam vrbem ANN. 1207.

ANN. 1207. omni commeatu: militem verò quindecim dierum quiete recreauit.

§. 5. Henrici Imp. cum Bonifacio colloquium.

Dum hæc ab Henrico geruntur: Bonifacius Marchio, qui recens nouis mænibus clauserat Serras, munieratque; Mosynopolim profectus, eam deditione accepit. Inde per Legatum Imperatorem enixè rogauit, vti sibi locum assignaret, vbi colloquendi cum eo potestas esset: quod hactenus per tam diuturna & atrocia bella, locorumque intercapedinem non licuerat. Et indicebat ille quidem aptissimum huic colloquio fluuium, qui Capesallam vrbem interfluit: Cypsellam intelligit, quæ hodie Ypsala dicitur, teste Leunclauio, quam fluuius Hebrus alluit. Volenti vtique animo huic petitioni annuit Henricus, & Conone Bethunio cum centum equitum nobilium præsidio Adrianopoli relicto, ipse cum reliquis copijs ad Capesallam contendit. In prato amænissimo, quod subter vrbis muros erat, generum socer salutauit: & ei pro Thessalonicensi regno fidem iurauit; mirum in modum exhilaratus Agnetem filiam vterum gestare, Imperio Latino-Græco Principem Porphyrogenitum, Deo bene propitio, propediem daturam. Villeharduynium etiam amicum in paucis suum amplexatus, eum vel Serrarum, vel Mosynopolis, quam mallet Toparchiâ donauit. In hoc suauissimo conuictu biduum commorati, haud priùs discesserunt, & valere, quod vltimum fuit, inuicem iusserunt: quàm sub exeuntem Octobrem, cum suis omnibus quisq; copijs, ad Adrianopolim condicerent: iunctis armis Bulgarum petituri. Et Henricus quidem Constantinopolim, Mosynopolim verò Bonifacius repetijt.

§. 6. Bonifacij cædes.

In eâ porrò vrbe vix dies quinque Marchio restiterat, cùm, Græcis auctoribus, in montem diei iter ab vrbe dissitum excurrit: eumque vastauit hostiliter. At in reditu Bulgari eius copiarum exilitate perspectâ, ingenti numero armati coire, & in postremam eius aciem inuadentes, reliquum exercitum nonnihil turbare cœperunt. Marchio certè, vt erat manu promptissimus, mox in equum insilijt, so-

lâque

Ann. 1207.

ſáque tragulâ, ſiue haſtâ armatus: cætera ab armis nudus equo calcaribus concitato in hoſtes proripuit, eoſque feliciter in fugam compulſos, perſequi tamdiu inſtitit: donec magno Chriſtianæ rei detrimento lethale in brachio, quà humero inſeritur, vulnus accepit. Ex quo, quia patulum erat, tanta vis cruoris emicuit, vt ſiſti non poſſet, paulatimque moribundo ſimilis remiſit arma, atque in manus ſuorum exceptus, animo linqui cœpit. Quod, vt cæteri aduertere, duce ſuo inter hoſtes deſtituto: fugâ quiſque ſibi ſalutem quæſijt. Pauci quibus morte dedecus potius erat, Regis ſui corpus non tam tueri, quàm honorare morte ſuâ maluerunt. Porrò infelici Bonifacio eius montis incolæ caput à ceruice reciſum ad Ioannizam, munus Barbaro longè gratiſſimum detulere. Et verò vt ea mors Græcis iuxta, & Valachis commodauit: ſic Rei Latinorum publicæ, ſi non interitum, certe plagam luculentam inflixit. Contigit porro clades illa Iulio circiter menſe anni CIϽCCVII. non ſexti, vt mendosè in Vigenerij codice legitur.

§. 7. Villeharduynius ſcribendi finem facit.

Tam chari capitis tam luctuoſum fatum Gaufredo Villeharduynio Romaniæ Mareſcallo, ſiue Protoſtratori è manibus calamum, vti conijcere eſt, excuſſit. Hic enim hiſtoricam ſuam narrationem concludit, quantùm ex edito typis libro colligere licet. Vir vel eo nomine de Republicâ meritiſſimus: digniſſimuſque cuius res ſubinde geſtas, atque inprimis è vitâ diſceſſum ſic ego deſcriberem, quemadmodum ipſe Balduini, aliorumque Belgarum fortia geſta ab obliuione vindicauit.

M. Sc. Cod.

Bonifacij filius in paterna hereditate turbatur.

Bonifacio Marchioni Theſſaliæ Regi natus fuerat filius Guillelmus: qui puer admodum erat dum parens obijt. Huic ſiue ex procerum voluntate, ſiue ex præſumptâ Bonifacij mente tutor vnà cum matre viduâ, regnique curator datus fuerat Comes Blandraſius domo Longobardus: quem Craſſum dictum fuiſſe autumo. Hic vir, capto ex ſuis conſilio, non modò ab Imperatoris fide ſe ſuoſque, & Theſſaliam ipſam ſubducere: ſed etiam Guillelmo neſcio

cui

cui Regis Guillelmi consanguineo, & Monferratensi Marchioni, legitimo Bonifacij hærede abdicato, Thessalonicam tradere nefariè moliebatur. Ita Manuscriptus Codex antiquus: cui, vt cætera quę subdit assentiar, de Guillelmo Marchione quæ affert ægrè adducor vt credam; quando præter Bonifacium defunctum, eiusque postea filium Guillelmum, Monferrato tum temporis imperasse scio neminem. Vt vt sit suboluit eiusmodi perfidia Henrico Imperatori; qui mox incommodâ tempestate, & mediâ anni hyeme, malum antequam adolesceret, radicitus extirpaturus Byzantio in Thessaliam profectus est. Rhedestum primò, indeque Neapolim, tum Christopolim copias duxit. Et hîc quidem, quò res loco essent, satis intellexit: quando eum arcis ingressu Præfectus Longobardus nescio qui, non arcuit modò, sed & in castra commeatum inferri vetuit. Eius superbiæ, an insaniæ? punitionem differendam, nec ramis cædendis inhærendum censuit Imperator: quo citiùs ad radicem securim admoueret. Et quia Natalitia Christi seruatoris celebranda erant, in loco, qui Vignerij ab Auctore appellatur, tantisper substitit. Ex Philippi valle, Blandrasium comitem per Legatum interea monuit: vt redimendi temporis gratiâ sibi in viâ occurreret. Id verò facturum se esse negauit ille, & interim Thessalonicam emunire perseuerauit. Dein Aubertinum quemdam Stinkij Toparcham Serras amandat: qui eam vrbem in suâ potestate contineat. Iter nihilominus capessit Imperator, & Coriaco (id Asceterio nomen) quò diuerterat, Cononem Bethunium, Petrum Duacensem, & Nicolaum de Mailly ad Comitem rursum ablegat: quæsitum quid tandem caussæ esset cur is ab Imperatoris, & sociorum fide desciceret. Respondit ille arroganter iuxta & stultè, Longobardorum enimuero industriâ, & sanguine, non Henrici aut Gallorum, Belgarumúe eas terras Græcis ereptas esse: quo comparatæ essent, eodem se pacto esse conseruaturos. Nihilominus trium Legatorum prudentiâ effectum est: vt iniquis sanè quidem conditionibus, sed tamen

Ab Henrico Imp. iuuatur.

Paricta.


men

men Reipublicæ, sociorum præ bello intestino magis conducentibus, pax rursum sanciretur.

Ergo Thessalonicam admissus Henricus, & quamquam ex pactis conuentis cautum esset: ne supra quadraginta nobilium equitum turmam, secum Imperator milites in vrbem induceret: eo imprudente factum est, vt totus exercitus per vim apertis portis in vrbem irrumperet; quod diuino consilio factum esse compertum est. §. 8.

Eam Reginæ rogatu rescinditur.

Etenim Regina Bonifacij vidua, huic postremæ, & iniquæ Longobardorum petitioni assentiri, atq; initi pacti tabulas consignasse credebatur. Illa verò, postquam se ab Comitis Blandrasij manibus, & violentiâ securam vidit: Imperatori palam atque libero ore professa est: se neque vt Comes filio tutor regnoque curator daretur: neque vt eæ conditiones ab Imperatòre extorquerentur voluisse vnquam; dissimulare autem eiusdem Comitis & asseclarum metu coactam fuisse. Ergo Comitem Henricus ex aulâ longius abire vetuit, dum Serras, & Christopolim in potestatem Imperatoris reduceret. Interim Guillelmum Bonifacij filium equestri baltheo præcinxit, eumdemque ipso Epiphaniæ festo regiâ coronâ de more redimiuit. Vnde conijcio postremo Henrici vitæ anno hæc gesta esse: quo vix & ne vix quidem ex ephebis excessisse Guillelmum ex eo constat, quòd non ante expugnatam Constantinopolim, Bonifacio adolescentis mater Maria Isaaci vidua nupsisse comperitur.



CAPVT IV.

Blandrasius in fraude pergit. Pax cum Longobardis. Henrici mors.

§. I. Pergit in fraude Blandrasius.

BLandrasius, tametsi Chirographo suo Serrarum, & Christopolis Præfectos arcibus excedere iusserat: simul se Principis & regni tutelâ abdicarat; nihilominus, vt erat dolis instructissimus, clam nuntium ad eosdem Præfectos submiserat: qui, nisi sibi, cuiquam arces tradi prohiberet. Qui igitur ab Imperatore & Reginâ missi eò fuerant, re infectâ ad eum locum rediere, quem Cycnum vocat auctor (fortasse Singum,) indeque rei gestæ seriem ad Imperatorem præscripsêre; qui fucus maximè, vt par erat, Henricum commouit. At mitigauere tamen eum Blandrasij preces, qui delicto pœnam deprecatus, recepit se indubiè pariturum; nouasque litteras ad eos Præfectos destinaturum. Assensit quidem Imperator; & tametsi vltionem fraudis distulit, cum tamen interea loci in custodiâ attineri iussit: quam Cononi Bethunio, Anselmo de Kaieu, Balduino Soriello, & triginta alijs equitibus commisit. M. Sc. Cod.

Serræ Imperatori traditæ.

Verùm Longobardus ille, quem Serris Blandrasius præfecerat, clam Burillum siue Borylam Bulgarorum Regem, qui Ioannizæ patruo vitâ functo successerat, accersiuit; asserens ei se, quàm Gallis parere malle. At Græci vrbis incolæ eam proditionem subodorati, Imperatoris milites, qui ad Cycnum hærebant, antè aduocarunt, quàm Burillus ille adueniret: iisque vrbem dediderunt: Longobardis in arcem compulsis, & hi eam quarto pòst die etiam Gallis cedere coacti sunt. Huc cum Blandrasio Comite pòst paulò Cono Bethunius, alijque eius custodes appulere: rebusque in eâ vrbe & arce Imperatori confirmatis,

matis, Christopolim concessêre. At eò praeire rursus perfidus Comes è suis Petrum Vens iusserat, monitum praesidiarios, ne Imperatori vnquam sese dederent, quicquid ipse in speciem diceret, scriberetue. Et verò maximo se illi in rebellione suâ opere obfirmarunt, & Cononi arcis ingrediendae potestatem sibi fieri postulanti peruicaciter restiterunt. Tandem cum ijs, quasi eâ de re ad consilium relaturis, breues inducias pactus Cono: cum suis ad oppidum * Dramium se recipit. At eâ ipsâ nocte ex arce furtim, & silentio egressi in Gallos Longobardi irruunt, & nonnullos captiuos ex ijs abducunt. Bethunius rei indignitate enimuero permotus, copijs aliquot ad regionis praesidium cum Balduino Soriello Dramij relictis, Thessalonicam regreditur: & Blandrasium totius fraudis architectum Imperatori: hic verò eumdem Reginae vinctum tradit: à quâ, dum aliud decerneretur, in carcerem compingitur. — Christopolitani Praesidij dolus. — 1.

§. 2. — Et latrocinia.

Secundùm haec ad Balduinum Soriellum eius regionis incolae trepidantes accurrêre, nuntiatum à Christopolitano praesidio vicos finitimos expilatos, & vstos esse: eosq; praedones nondum in arcem regressos. Ijs ergo Balduinus armatum militem ex insidijs obijcit, & temerè palantes, ex improuiso adortus, non paucos caedit: quosdam manu capit: caeteros potiori praedâ abiectâ in fugam dat. Et ipse quidem Petrum Vens, Matthaeus verò Kansius Radulphum Christopolitanae arcis Praefectum viuos in castra, & inde ad Imperatorem abduxere. Qui verò ex acie Longobardi euaserant, in montibus refugium se habituros rati, ab incolis prope omnes deleti sunt. — Caeditur.

Id tamen haud obstitit, quin & alij aliunde in Imperatorem insurgerent. Rolandus quidam Pichius Platemontis Toparcha, Henrico significari curat, se porrò tueri nequaquam aduersus hostes posse: nisi ferantur auxilia. Quare Imperator ocyùs ad eum Anselmum de Kaieu, & Guillelmum de Sains cum triginta lancearijs destinat. Vix autem illi prope Platemontem, vel Platamonem (ad — Pichij perfidia.

Thermaicum sinum ciuitas est) accesserant: cùm à milite quodam commonentur Pichium cum Longobardis fœdus ferijsse: ipsosque modò abijsse huc euocatos, quo Imperatoris milites incautos opprimant. Eo illi nuntio perculsi
2. * Citros regredi, quàm aperto periculo sese temerè obijcere maluerunt; moxque Imperator rei totius seriem edoctus, cùm vniuersis copijs Citros etiam ipse concessit. Et hinc Anselmum de Kaieu cum aliquot equitum turmâ Lauenicam, vel Venicam misit; eamque ille priùs occupauit quàm Longobardi aduerterent. Quos ea res, maximè verò Imperatoris aduentus perturbauit. Ad eum ergo sub Paschales ferias Robertum de Manchicourt ablegant; paratos esse pacem cum eo renouare, atque litem totam virorum prudentum arbitrio, qui è Gallis & Longobardis deligerentur, permittere: modò vicissim Imperator ijsdem totius controuersię disceptatoribus vti, & Blandrasio Comiti vinculis soluto Thessalici regni tutelam restituere velit. Enimuero ea legatio Henricum malè habuit: & quantumuis pacis cupientissimum, ad bellum Longobardis inferendum incitauit.

§. 3. Bellum apertum.

Ergo Christopolim iter pronuntiat. Longobardi autem suas copias inter arcem & fluuium collocarant, cuius pontem accuratè obseruabant. Eò Imperator exercitus partem præmittit: qui pontem occupent; quod non sine multo sanguine vtrimque fuso confici potuit: Longobardis Gallos, Belgasque strenuè arcentibus. Euicere tandem hi, & Italorum non modò tentoria, sed & pecora multa diripuere; deinde ipsam arcem, ad quam ij confugerant, coronâ cinxere. Verum illi oppugnatione non expectatâ, vitam dumtaxat pacti, arcem Imperatori dedidere. Hinc Myrum Henricus diuertit; quo in loco de pace seriò agi cœptum: diesque dictus, quo in valle Thessalonicensi ea tandem conficeretur. Sed neque modò fides Longobardis constitit: neque Imperatorem ij conuenêre. Ad eum autem accessit Villeharduynius (ex cuius commentarijs manu dumtaxat exaratis hanc narrationem desumptam esse

esse opinor) tum Otto à Rupe, & Gualterus de Stombes, cum quadraginta minimùm equestris ordinis viris. Cum quibus Henricus Thebas (quæ vrbs Ottoni parebat) profectus, atque à Græcis perquam honorificè exceptus est: ab Italis nón item, qui arce potiebantur. Eam ergo verberari Imperator iubet: quod posteaquam dies aliquot factitatum erat, Aubertinus, & Reginaldus Longobardorum duces se suaque Augusto permiserunt: eâ lege vt pax cæteris popularibus, & libertas Blandrasio Comiti eo concederetur, vt coram Imperatore caussam oraret. Sed rursum is cum legem accepisset, & Thebas venturus ad Imperatorem crederetur, Negropontum, siue Euboeam petijt: vnde malum Henrico machinari denuo occœpit. Ad eam nihilominus vrbem, Reginaldo, de quo dicebamus, eius loci Toparchâ duce, & pro Blandrasio spondente abijt Imperator. Et verò fidem Reginaldus præstitit; Blandrasium quippe ille veneno Imperatorem, vel certè ferro, si minùs alterum succederet, tollere molientem repressit: atque ab eâ mente reuocauit. Tandem etiam idem Comes pacem petijt, & honestis conditionibus impetrauit. Pax cum Longobardis.

§. 4. Et Michaele Angelo.

Thebis dum ageret Imperator Legatus ab Michaele Angelo Aetoliæ Principe ad eum missus, pacem etiam cum Latinis postulauit: in eumque finem locum diemque sibi petijt constitui: vti eâ de re agere sibi liceret. Ad Thessalonicas subiectam vallem colloquium indici placuit. Eoq; die constitutâ vterque Princeps tentoria fixit. Et Michael quidem per Cononem Bethunium & Petrum Duacensem, ad se accersitos, Henrico renũtiauit si Eustachio eius fratri suam filiam nuptum collocari velit: fore vt doti tertiã ipse regni sui partem donet: atq; Imperatori sacramentũ dicat. Non diu vellicanda Henrico auris fuit, vt conditionem huiusmodi luculentam acceptaret. Porrò de eâ Michaelis filiâ Græci: de Eustachio Henrici fratre scriptores nostri omnino tacent; quapropter eum illegitimo cõcubitu procreatum suspicor: breuique nullâ susceptâ prole obijsse:

quæ alioquin Michaelis aui regnum excepisset. Si quid in Logothetæ tenebris video, diem Eustachius in obsidione Leontianâ extremum obijt.

§. 5. Henrici mors. Interea verò dum pacando Imperio, eiusque finibus prolatandis vtilem nauat Henricus operam: mors ei insidias comparabat. Nempe, vt cum Poëtis dicam, non tam annos, quàm victorias, & trophæa numerans, senem credidit: qui nondum annum ætatis quadragesimum attigerat: & in medio gloriæ cursu, ne ad metas excurreret, occupauit. Thessalonicæ extinctum esse & quidem veneno passim traditur. Quis vero id ei propinarit dubium est. Græcorum dolo & arte id factum esse, volunt Locrius, alijque: quòd eos ad ritum, & obedientiam Romani Pontificis adducere operosè conaretur; & id vero mihi fit simillimum. Iperius autem, & Aquiscinctinus Monachus ab vxore potionatum esse prodidere: quibus ægrè admodum assentior. Quis enim credat virum mitissimum, quiq; Guillelmum Monferratensem tot beneficijs obstrinxerat, ab vxore, eius Guillelmi sorore, fuisse interfectũ: ex cuius vitâ, quidquid illa mulier haberet honoris & gloriæ, pendebat? Græcis autem, eo quo dixi nomine, inuisum fuisse satis probari potest, ex veteri, & inexpiabili odio, quo Latinos ritus, & scita: maximeque Pontificis Romani nomen, iam inde ab exorto schismate semper prosecuti sunt: ac etiamnum prosequuntur non veriti Turcos Latinis, & Barbari Tyranni dominatum suauissimo Christi, eiusque successorum iugo præferre. Pelagium, Henrici procul dubio rogatu, Legatum Constantinopolim à Pontifice Romano tradit Logotheta, multa pro Romanâ Ecclesiâ perpetrasse, quæ Græcis maximè doluerunt; vt gregatim eâ de re apud Imperatorem expostulatum accurrerent. Conatus est quidem Henricus eam vulgi commotionem sedare; & verò Pelagio auctor fuit, vt mitiùs paulò Pontificis iussa prudentiusque exequeretur: nihilominus plerique ex omni ordine, non Legati superbiâ, & crudelitate, vti ait schismaticus auctor, sed innato Romanæ

Margin notes: Veneno. — A Pelagio Pont. Legato Græci abhorrent. — Constantian. Onufr. Pan. Fer. Locrius. Auctor. Aq. Iper. — Logoth.

manæ sedis odio, & peruicaciâ ad Lascarim transfugerunt. Cæteri in Henrici vitam conspirarunt. Quod si ita est, quod aiebam, vitamque pro schismate tollendo Henricus posuit: haud vlli dubium esse debet, quin, vt fraternæ coronæ, atque Imperij hæres fuit, sic eiusdem virtutis & constantiæ æmulator, eamdem martyrij cum eo lauream in Cælis adeptus sit. Vtinam porrò, quod in fratre etiam nuper optabam, tam mortalibus plana esset, & comperta Henrici mortis caussa, quàm eius dum viueret, pietas & constantia nota fuit. Malè omnino Douza in Notis ad Logothetam ait, Pelagium Legatum surdis cecinisse, fauente Constantinopolitanis Imperatore Henrico; quando ipse idem ex Godofredo Monacho refert in eâ Synodo, quæ ad annum MCCXV. Romæ in Basilicâ Lateranensi cogebatur. Orientalem Ecclesiam (quod antehac inauditum fuerat) in Romanæ sedis auctoritatem consensisse; & duobus ijs qui Constantinopoli electi de Patriarchatu contendebant, à Summo Pontifice reiectis, tertium quemdam esse suffectum; quòd profectò Henrici operâ atque auctoritate perfectum est. Neutrius quidem nomen ediderunt; verùm anno decimosexto supra mille & ducentos Geruasius quidam Constantinopolitanam regebat Ecclesiam: vt apparet ex diplomate quodam, quod in notis repræsentabimus. Eo ipso die quo ad Pontem Bouinium à Gallis Flandri cœsi sunt, hoc est ad VII. Cal. Augusti anni MCCXIV. extinctum esse Henricum tradunt Aemilius, & Tilletius. At verò cum certum sit Concilio Lateranensi præter ipsum Patriarcham, etiam Imperatoris Constantinopolitani Legatum interfuisse: atque hic à Petro Henrici successore mitti nequiuerit, qui anno demum decimo sexto Romæ coronatus Constantinopolim numquam attigit: liquidò constat ab Henrico, anno MCCXV. adhuc superstite istum oratorem eò legatum esse: adeoq; Henricum anno MCCXVI. extremum diem obijsse prorsus mihi persuadeo. Etenim Petrum Cortenayum sororium & successorem eius biennium trienniumue postea distulisse

Douza corrigitur.

Conc. Lateran. c. 4.

V. Not. ad l. ult. c. 6. §. 7.

eam

eam dignitatem capessere, quàm ad eam vocatus erat, non est arbitrari. Ad hæc plerique omnes decem Regni annos Henrico adscribunt: quorum calculus rectissimè ducitur ab Augusto ineunte anni CIↃCCVI. quo necatum Balduinum aiebamus, ad exeuntem Iulium anni CIↃCCXVI. si in eum mensis atque anni diem Henrici obitus referatur. Iam vero Gregoras Petri ne meminit quidem: quòd exiguo admodum regnarit tempore: sed Robertum Henrico ipse continuò substituit: qui tamen Robertus non ante annum CIↃCCXIX. Imperium adeptus est. Henricum mirè dilaudat Logotheta: Is, inquit, tametsi natione Gallus: Græcis nihilominus Constantinopolitanis comem se mirificè exhibuit: pluresque ex ijs tam in Optimatum seu aulicorum, quàm in militum suorum album adscripsit; plebem verò vt domesticam familiam complectebatur. Iam autem, si quem virum bellicosum nactus erat: eum tan-
3. quam lucrum insperatum (quod * Hermæum Græci vocant) fouebat. Ita ille.

CAPVT V.

Petrus Cortenayus Henrico: Petro Robertus filius, huic Briennius, tum Balduinus Roberti frater succedit. Horum gesta.

§. 1. Vemadmodum tellus non semper vno ac perpetuo tenore vberes, maturosque fructus profert: sed subinde; veluti parturitionum labore fatigata, modò feriatur, modò immaturos atque ingratos fœtus edit, perinde quasi si abortiat. Sic natura felices ac strenuos Principes rectà sibi serie succedentes vix regnis indulgere nouit. Vnius alteriusue fere perfecti Regis decedentis Imperium deterior aliquis occupat

occupat. Qui Remp. à prioribus vel conditam fortiter, vel prudenter instauratam suâ labefactet imprudentiâ, aut ignauiâ. Græcum-Latinis Imperium asseruit Balduinus, concussum confirmauit Henricus; vterque sapientiæ, & fortitudinis laude florens: idipsum hos secuti pessumdedere. Sine liberis obijt Henricus; vel certè ea proles, quam ex Monferratensi Agnete susceperat, Parenti paululum superuixit: vt aliunde Imperator quærendus fuerit. Iam ante biennium Philippus Namurcensium Comes, vti dicebamus, è vitâ excesserat: nec è Balduini Animosi liberis quisquam supererat, præter Iolem: seu Iolantham: quæ Petro Cortenayo Antissiodorensi Comiti nupta, Namurci cum marito degebat. Eam quippe Prouinciam, iam inde à Philippi fratris, obitu, Henrici Imperatoris, qui proximus vitâ functi hæres fuerat, dono possidebant. Erant Petro Cortenayo plures liberi, Robertus, Balduinus, Philippus, qui à dolabra vel ad labra, seu labeo dictus est: & Margareta Henrici Viennensis Comitis vxor. Tanta porrò Flandrici, & Hannonici sanguinis, duorumque fratrum Balduini, & Henrici Imperatorum apud societatis duces erat veneratio: vt inter Gallos Belgasque, tametsi eo fastigio digni plures reperirentur: alios, quàm Augustis fratribus sanguine propiores, legere nefas arbitrarentur. Ergo ad Petrum Cortenayum Henrici sororium legationem destinant Latini nominis in Græciâ dynastæ, rogantque: vt quando nulla Henrico fratri soboles relicta sit, ipse defuncti hæreditatem cernere, & Imperatorium diadema suscipere festinet. Annuit Petrus, ac rebus in Belgio, atque Galliâ compositis, & Philippo filio Namurcensium Comite renuntiato: ipse cum duobus liberis Roberto & Balduino, atque vxore Iole Romam contendit. Hic à Pontifice Honorio eius nominis tertio, vnà cum coniuge, solemni pompâ coronatum, & Imperatorem Constantinopolis inauguratum esse anno Christi CIↃCCXVI. tradunt Historici passim: ego verò XVII. censeo: cùm Honorius in Pontificem non ante Iulium anni XVI. assumptus

Cuspin. P. Aemil. Gregor. Logoth. Alber. M.S.

Henrico sine liberis extincto.

I.

Petrus Cortenayus eius sororius successor ad-uocatur.

Coronatur.

sumptus fuerit. Quapropter vel eo anno Henricus è viuis excessit: vel Petrus, quod vero non est simile, biennium trienniumúe totum iter suum distulit.

§. 2. *Dyrrhachium obsidet.*

Interim quia ipse non sine aliquo operæ suæ pretio, & hostium clade maria, quæ Byzantium & Italiam interiacent, emetiri decreuerat: filios cum vxore præmittit; quos honorificè iuxta, & beneuolè non Latini modò, sed & Græci proceres plebsque ipsa excepere. Petrus autem in Ionium mare deflectens Dyrrhachium Græci Imperij oppidum obsedit: quo tunc per vim Theodorus Comnenus siue Angelus potiebatur, Michaelis Apostatæ frater. Hic enim Epiri, & Aetoliæ Dominus cum esset, vt suprà memorauimus, nullamque ex iusto matrimonio sobolem: præter eam filiam, quam Eustachio Henrici fratri elocarat, suscepisset: illâ itidem absque liberis mortuâ, Michaeli filio spurio, etiam dum puero, Theodorum fratrem, pupilli patruum, tutorem ex testamento dixit: & regno interim dum filius adolesceret, præfecit. At perfidus tutor, pupillo astu & armis submoto, atque in exilium pulso, regnum vsurpauit: & ipsum ex Bulgaricis Latinisque spolijs mirè ampliauit. Hic ergo vir Dyrrhachium possidebat: cùm eam vrbem Petrus Imperator obsedit, magno suo malo.

A Theodoro Angelo capitur, & occiditur.

Nam eruptione factâ, Theodorus Petri exercitum non modò fudit: sed & ipsum Imperatorem, vel intercepit, vel occidit. Sunt enim qui ipsum in acie cæsum esse: sunt qui in carcere biennio, postquam captus erat, obijsse: sunt demum & ij plures, qui asserunt Theodorum deditione simulatâ; ipsum Imperatorem Græcæ fraudis ignarum, nimioque plus quàm oportuit credulum, paucis comitantibus, in arcem illectum: medio in conuiuio ab impio hospite obtruncatum esse. Vt vt sit ante Dyrrhachij mortem Petrus oppetijt, quàm Constantinopolim oculis vsurparet: filioq; Roberto Imperium reliquit sub finem anni CIƆCCXIX.

Logoth. Marchant. Gramay. Iustin. Albericus.

§. 3. *Roberti Imperiū.*

Roberti sororem Mariam viduus iam Lascaris vxorem sibi

Logoth. Gregor.

ſibi dari poſtulat: & eius connubij vinculo fœdus cum Latinis ictum corroborat. Triennio cum eâ conuixit nullâ ſobole ſuſceptâ. Ex Annâ verò, Alexij Tyranni filiâ, puellas tulerat tres: Irenem, Ioanni Ducæ ſeu Batazæ nuptui datam: Mariam * Hungariæ Regis filij vxorem, & 2.
Eudociam. Et * Annæ quidem mortuæ Armenorum Regis filiam Laſcaris ſubſtituerat: atque ex eâ filium procrearat; eâ tamen repudiatâ, & domum remiſsâ, quem filium illa pepererat, tanquam nothum hæreditate excluſit. Priùs autem paulò quàm Laſcaris è vitâ decederet, ſic Roberti amicitiâ, & Latinæ gentis delectari viſus eſt: vt ei, qui cælebs etiam tum erat, Eudociam filiam nuptum elocare tentauerit. Et verò id connubium Roberto Imperatori non minùs quàm Catholicis Antiſtibus mirum in modum arridebat: nec eſſe quidquam videbatur in ſacris legibus, quo eiuſmodi coniunctio prohiberetur. Manueli autē ſchiſmatico Græcorum Patriarchæ, apud quos, contra quàm Romæ aſſolet, affinitas affinitatem, quod aiunt, parit: multum improbabatur, vt idem ſororius, & ſocer eſſet. Quin verò id perficeretur, non tam Patriarcha, quàm mors Laſcaris interceſſit. Ad plures ille abijt iuxta fidelem Latinorum ſcriptorum calculum anno Chriſtiano MCCXXII. ætatis duodequinquageſimo: regni decimo octauo; ducto eorum initio ab eo tempore, quo Byzantij Deſpota creatus eſt: non autem, vti ſumpſit Gregoras, ab eius Niceæ creatione; quod ſuo loco declarabitur. Vir fuit, Logothetæ teſtimonio, in adulteria effuſus, iræque impotens. Eius cadauer in Hyacinthi monaſterio ſepulturam habuit.

Laſcaris Roberto filiam offert. — *Laſcaris obitus.*

§. 4.

Ioannes Batazes ſocero ſuccedit. — *Logoth.*

Ioannes Ducas cognomento Batazes pro ſocero regnauit: & is maiori fortaſſis, quàm Laſcaris religione tactus, Eudociam vxoris ſuæ ſororem, Roberto cui à Parente promiſſa fuerat, repetenti dare omnino abnuit. Alexius & Iſaacus Sebaſtocratores Theodori Imperatoris fratres, id obſequij Roberto gratificaturi: vel certè, quod pronum eſt ſuſpicari, Batazæ, quem ſibi prælatum in Imperio

dolebant, ægrè facturi: Eudociam clam surripere, & ad Robertum transmittere moliuntur. Quod consilium cùm auctoribus secus cessisset, ipsique deprehensi essent, Byzantium transfugiunt, & Roberto persuadent, vt Ioanni Batazæ bellum inferat. Malum omnino Latinæ rei consilium, sed ipsis consultoribus pessimum. Ioannes quippe prælio victor vtrumque Sebastocratorem, primæ aciei ductores interceptos oculis priuat, & eâ victoriâ sapienter vsus, Leontiam, Charioron, Burbeniacum, aliaque plura loca in suam potestatem redigit. Inde etiam instructâ classe varijs Aegæi maris Insulis potitus, Latinam in Græciâ ditionem multùm accidit. Suo tamen tempore pacem cum Roberto percussit: eâ conditione, vt Pemanenum, & totam eius Imperij (in Asiâ ni fallor) regionem, quæ ad Austrum pertinet, sibi ipse haberet. Borealem tractum, & Nicomediæ vrbi contermina Latini retinueret. Nec feliciùs Thessalonicensium Regi Guillelmo res procedebant.

Robertus Batazæ bellum infert, suo malo.

Pax.

§. 5. Is namque sub annum MCCXXIV. aut non multo secus, in Italiam, Monferratum Prouinciam reuisurus, abijt, nec Epiri fines Macedoniæque, minimè autem Thessalonicam, eo quo in tantâ temporum iniquitate decuit, commeatu, ac præsidio instructam reliquit. Verum enimuero qui in eam iam pridem oculos adiecerat, minimè gentium dormitabat Theodorus Angelus, Epiri atque Aetoliæ Regulus; sed valido & numeroso exercitu coacto mox se ad Thessalonicæ portas sistit: priusque eam deditione occupat, quam eius obsidionis vel leuissimus susurrus ad infelicem Guillelmum perueniret. Superatâ metropoli, in promptu fuit reliquam Prouinciam antea nutantem, & domino destitutam occupare. Ita scilicet; quod magno sanè impendio, & labore Bonifacius compararat, momento pænè temporis indiligens filius regnum amisit. Et ille quidem in Italiâ remansit, Græciaque deinceps abstinuit, Monferrato contentus. Huius abneptis Irenæ vel Iole Monferrati hæres Andronico seniori Græcorum Imperatori nupta, Gregor.

Thessali Regni amissio.

Theodo-

Theodorum peperit Palæologum: ex quo, post longam seriem, Margarita prodijt, quæ Federici Gonzagæ Mantuæ Reguli vxor, in eam familiam Monferrati ditionem traduxit. Eius [a] familiæ seriem in Notis repræsentabo. Gulielmo illi Demetrium fratrem attribuit Pingonius Regem Thessaliæ: qui à Lascari regno exutus, à fratre eidem restitutus fuerit: quæ cum Gregorâ non consentiunt; neque, vt arbitror, cum veritate. — ANN. 1207. — 4. — Philib. Pingon Sab. Arbor gentil.

Porrò Theodorus, expugnatâ Thessalonicâ etiam in ditiones Roberti Imperatoris inuadere, Adrianopolim, & Vicina omnia loca occupare instituit; excepto Rhodope monte (qui etiam Achridos nominatur) vrbibusque eidem impositis, & Melenicorum castello. Cætera in potestate habuit: quemadmodum & Mosynopolim, Gatsianam, Xanthiam, Didymotichum aliasque plures; ac populabundus aliquando ad ipsas vsque Byzantij portas excurrit. Et tum quidem erumpentibus ex vrbe Latinis vulneratum est; in eoque congressu Anselmus de Kaieu (quem Aseldecae * vocat Logotheta) Lascaris gener hastà collum transfixus est quidem, sed non interemptus. Bulgaris quoque non pauca Theodorus eripuit; tum verò rubros calceos, & purpuram indui, Rexque dici cœptus est. Subinde tamen ab Asano Bulgarorum Rege, cui fractis induciis bellum intulerat, superatus, captus, luminibusque orbatus violati fœderis pœnas dedit. Manuel verò Angelus eius frater extemplo Thessalonicam aduolans, fraternum regnum occupauit. Interim rupto fœdere, quâ de causâ nescio, bellum Latinos inter Græcosque recruduerat. Robertus Imperator instructâ classe Lampsacum in potestatem recepit: inde Pegis etiam potitus est, ope cuiusdam Græci: à quo edocti in supremum montis cacumen, cui vrbs insidebat, Latini subeuntes viâ prorsus occultâ in arcem euasere: præsidioque trucidato, etiam vrbem occupauere. Hæc porrò aliaque eiusmodi ita bellè, & dilucidè narrat Logothetæ codex vt Œdipus necesse sit, qui lucem aliquam inde haurire speret. — §. 6. Theodori progressus. — Logoth. — 5. — Regem se dicit. — Bellum inter Latinos & Græcos.

§. 7. Roberti mors.

Nondum vxorem duxerat Robertus: & nescio quam nobilem non minus genere, quàm formâ puellam Constantinopoli adamabat. Erat illa Burgundo, non inferioris sortis viro vel desponsata, vel promissa. Nihilominus putauit Imperator id officere non posse, quo minus sibi eam matrimonio copularet: nec dissentire visa est mater, quæ ad tantum fastigium filiam suam euehi ardentissimè exoptabat. Et verò nuptiæ parabantur: cùm eius puellæ sponsus, non ferens sibi vel ab Imperatore sponsam eripi, furensque zelotypiâ, puellæ nasum præcidit: matrem in mare præcipitat. Post hæc, quasi re benè gesta, in oculis ipsius Imperatoris triumphare, facinusque suum deprædicare non verebatur; quam iniuriam tamen, quia primi nominis optimates Burgundum vel sanguine, vel amicitiâ contingebant, vlcisci Robertus non est ausus. Romam tantùm, longâ nauigatione, & absentiâ dolorem leniturus abscessit; & posteaquam à Pontifice publicè coronatus, atque in vrbe aliquamdiu fuerat commoratus: Byzantium repetijt; quò tamen non peruenit, immaturâ morte in Achaiâ præreptus, anno circiter MCCXXX. nullâ prole relictâ. Balduinum enim qui ex eo prognatum autumant, multum falluntur: cùm Petri Antissiodorensis filius, ac Roberti frater extiterit. *Blond. Sabell. Cuspin. Æquat.*

§. 8. Balduino Ioannes Briennius tutor datus.

Roberto vitâ functo Balduinus frater succedere in Imperio debuerat: verùm quia iuuenis admodum erat, atque adeo parum aptus iudicabatur, qui tam procelloso tempore quassatam Latini Imperij nauiculam gubernaret; Ioannem Briennium Balduini tutorem, regnique curatorem, qui Constantinopoli erant proceres, designarunt: eumque in Græciam aduocarunt. Is Gualteri Briennij Comitis, de quo, initio expeditionis sacræ à Balduino Augusto susceptæ, dixisse me memini, frater: eius, vti virtutum æmulator, sic fortunæ fuit. Quemadmodum enim ille Philippi Augusti delectu & auctoritate Neapolitanum sortitus est sceptrum: ita & hic ex Gallorum Principum, qui in Palæstinâ versabantur, suffragatione, Almerico Cypri *Matt. Paris. Hist. Sancta. Blond. P. Æmil.*

pti Rege abdicato: vnà cum Conradi Marchionis Monsferratensis filiâ Ierosolymitani regni hærede, eiusdem regni reliquias & nomen regium collegit. At verò rebus in eâ terrâ propè depositis, cum Ioanni nec rei, nec spei quidquam superesset: opportunè à Latinis optimatibus in Græciam est euocatus, eique non modò tutor, aut Prorex, sed Imperator dictus est; eâ tantùm lege: vt moriens Balduino genero (quippe Martham ei filiam nuptui dari placuit) Imperium relinqueret.

CAPVT VI.

Ioanne Briennio vitâ functo Balduinus Roberti frater capessit Imperium.

Logoth. Gregoras. Ncommodè sanè Ioannis Briennij regni initio cum Asano Bulgarorum Rege Ioannes Batazes fœdus percussit: eiusque filiam Helenam, ex Hungarâ prognatam, Theodoro filiolo suo, vndecim annos vix nato despondit. Mox enim vtrimque, diuisis copijs, eodem animo Latinos bello petere aggressi, Calliopolim quidem Bataza oppugnat, & coronâ capit: Venetis vrbem dedentibus: maduta, & vniuersa Chersonesus, Cissi castellum cæteraque ad Meristam vsque, siue Hebrum fluuium loca, mons Ganus, & Tzurulum ab eodem socijs erepta sunt. Asan verò Occiduam plagam Latinis parentem ferro & igni populatus: ad ipsas Byzantij portas excurrit; & Batazæ, qui ex aduerso veniens non mitiùs Latinos habebat, obuiam accessit: cunctis, qui in vrbe regiâ erant, trepidantibus. Secundùm hæc Ioannes Briennius, re parum feliciter gestâ, è vita decessit anno Christiano CIↃCCXXXVII. (non verò XLVII. vt habet Onufrius;) atque Imperium genero Balduino, tanquam

§. 1. Res Latinorum afflictæ.

Briennij mors.

quam hæreditatem, inquit Logotheta, vnà cum Regni Ierosolymitani titulo reliquit; quod ille quatuor omnino & viginti annos non tam tenuit, quàm è manibus paulatim fluere passus est: tantò infelicior, quantò lentiori igne carpi, & ad interitum agi visus est.

§. 2. Tartari in Græciam effusi.

Eà tempestate ingens Scytharum multitudo à Tartaris pulsâ; quicunque eorum barbariem potuerant euadere, vnà cum vxoribus & liberis, Istro vtribus transmisso, superatoque Hæmo monte: nequidquam obnitentibus Bulgaris, Macedoniam impleuerunt: oppida minùs munita expugnarunt: atque ex Adrianopoli, Didymoticho, Bisyâ, Calliopoli, alijsque abductos mortales sub coronâ vendiderunt. Tum verò ad Asani Bulgarorum Principis, à Græcis abalienati, Valachorumq; societatē Balduinus se applicuit: tum vterque pro se quisque Scythas aduenas, quà præmijs, quà pollicitationibus demeritr, socios adsciscunt. Tzurulum cū ijs copijs obsidione cingunt: nullo successu bono. Asanus namque, quem, nisi insita Barbaro leuitas à Græcis nihil abduxerat: repentinâ Hungaricæ vxoris, & linoli, atque Trinobiensis Pontificis morte perculsus, non obsidionem modò, sed & ictum cum Latinis fœdus soluit: atque Batazæ reconciliatur.

§. 3. Balduinus Imp. in Galliam excurrit.

Balduinus eâ re mirè anxius, & consilij dubius, Constantinopolim redit; hincque mox in Galliam, ab Rege Ludouico Sancto suppetias rogatum traijcit. Aiunt porrò scriptores alij Balduinum à Batazâ Constantinopoli obsessum, quod nullus Græcorum prodidit, Græciamque præcipitantem à Venetis esse liberatam, & Rhodum interceptam; tum stipendia militi repetentibus Venetis Coronam Christi Seruatoris spineam, aliaque sacra lipsana ab Imperatore pignori esse opposita; imò filium Philippum versurâ à priuatis mercatoribus factâ, quasi oppignorasse: atque eum obsidem ad eosdem Venetias misisse. Ipsa quoque templa plumbo, quo tecta erant nudasse, vt inde pecuniam conflaret, auctor est Fulgosius. Ingruente verò rursum bello in Gallias transmisisse: atque ab Rege Ludo- *Logoth. Blond. Platina. Fulgos. Nangis.*

uico,

uico, impetratis auxilijs, in grati animi significationem, eas * reliquias, quas Venetis pignori adiecerat, Sancto Ludouico condonasse: qui eas creditoribus repigneraauit. Hoc porrò postremum anno factum esse MCCXXXVIII. tradit Nangius: at decennio pòst Diploma Balduini eâ de re datum. Rhodum autem non à Venetis, sed à Genuensibus esse astu interceptam, & subinde à Græcis recuperatam asserit Logotheta. 1.

Quercet. Burg. Corroz. et. Antiq. Paris

§. 4. De Thessalis.

Logoth. Gregor. Laonic.

Ille insuper Balduinum in Francorum regno sexaginta militum millia collegisse: ijsque terrestri viâ, per Bulgariam traductis Tzurulum expugnasse ait. Interea verò temporis, dum hæc à Latinis geruntur, Theodorus Angelus, quem ab Alano captum, atque excæcatum fuisse dicebamus: eiusdem Asani ope, Thessalonicâ, atque vicinis vrbibus potitus, fratrem Manuelem in Orientem relegauit; filium verò suum Ioannem Regem nominauit; quanquam hic paulò pòst, eo titulo abiecto, Despota dici maluit. Atque, vt de * Aetolis huiusmodi inchoatam narrationem semel perstringam: Ioanni breui demortuo Demetrius frater successit: sed is ab Imperatore Græco bello captus, & Thessalonicâ spoliatus fuit: reliquis vrbibus in Manuelis etiam tum viuentis potestate remanentibus. Quo deinde etiam vitâ functo, Epiri regnum ad Michaëlem, Michaëlis primi filium nothum, qui ab Theodoro patruo olim suo, & tutore regno pulsus fuerat, deuoluitur. 2.

§. 5. Batazes Imp. obitus.

Gregor. Logoth. Franza.

Ad Græcos redeo. Irenæ vxori, cui inter venandum ex equo lapsus lethalis fuit, Ioannes Imperator Annam Manfredi Siciliæ Regis sororem substituit quidem: sed cum Marcesinâ nihilominus, ex Reginæ famulitio, puellâ turpi consuetudine regium thorum fœdauit. Viuere porrò Ioannes Batazes desijt anno Christi CIↃCCLV. cum sexaginta vixisset annos, tres autem & triginta imperasset.

Theodorus succedit, & moritur.

Parentis Imperium excepit Theodorus Ducas Lascaris, Ioannis filius, annos natus totidem, quot regnarat pater;

nec supra triennium ei superuixit: nullâ prope re ad commendationem nominis gestâ: nisi fortasse quod lethali correptus morbo, sacrum Monachorum habitum induit, in eoque iuxta & in Schismate piè quidem ad speciem, reuera autem infeliciter vitam posuit, anno Christi CIƆCCLVIII. cum Patriarcham Arsenium, & Georgium Muzalonem Protouestiarium Ioanni filio, & hæredi tum sexenni, tutores ex testamento dixisset. Et Muzalo quidem Theodoro secundo imperante: cui gratiosus in paucis fuerat, ex infimâ ad supremam fere sortem euasit; quæ res ei plurimorum inuidiam comparauit, & demum exitio fuit. Optimates quippe è Græcis, tantam potestatem, & dignitatem mediastino homini datam esse, nobilioribus prætermissis, non ferentes: in ipso Sosandrij Asceterij templo, dum Theodoro Imperatori iusta soluerentur: Muzalonem, eiusque fratres duos Andronicum magnum domesticum, & Theodorum Venationi Regiæ Præfectum trucidant. Arsenium Patriarcham id facinus perculit, perpulitque, ne qua forte & ipsi Ioanni Lascari insidiæ comparatæ essent, è purpuratis aliquem deligere, cuius auctoritate contra eiusmodi sicarios niteretur. Eâ re Michaëlem Palęologum, omnium ordinũ assensu Principis secum tutorem nominat; virum cætera magnum, inprimis vero gratiâ apud vtriusq; ordinis homines pollentem, & Alexij Imperatoris abnepotem. Is enim Imperator filiam Irenem Alexio Palęologo coniugauit: quem & Despotam creauit. Alexius vnicam tantùm prolem, eamq; fœminam moriens reliquit: quam Irene mater Andronico Palæologo, Magno domestico nuptui collocauit; ex quo coniugio susceptus est, vnà cum duobus alijs, Michaël Comnenus Diplopalæogus: hoc est ab vtroque parente Palęologus. Hic Michaël, quà pollebat gratiâ & vafritie, ita Græcorum animos occupauit: vt Despota, ijs volentibus, & iubentibus: tandem & Imperator dictus sit; impiè, vt mox dicam, amoto, & excæcato pupillo. Huius autem ambitioni commodauit plurimùm duplex & vtraque

Muzalonis cædes.

Michaël Palæologus Imperatoris tutor.

vtraque illustris, tum de Aetolis, tum de Latinis obtenta victoria. Quas ordine describemus.

Gregor. Logoth. Franza. Michaëlem Michaëlis Aetolorum, & Epiri Principis filium nothum, regno patrio redditum, & confirmatum esse diximus. Is ex Theodori Petralyphæ, è Galliâ oriundi sorore quinq; proles suscepit: tres mares, binas fœminas. Nicephorus filiorum primogenitus Mariam Theodori Imperatoris filiam vxorē habuit. Annam Michaël Guillelmo Villeharduynio, Achaiæ Principi: Helenam verò Manfredo Siciliæ Regi nuptum elocauit. Hinc eius affinitatis maiestate tumidus: & inde Theodori morte factus audacior, generum vtrumque sollicitat, vt bellum coniunctis viribus Græcis inferant. Michaël Palæologus, eius consilij certior factus, auctore Logothetâ, Nicephorum Aliatem * Canicleo Præfectum in Siciliam amandat: quo Manfredum ab eo bello auocet; ille verò biennium totum legatum apud se retinet. Vt scias duobus à Theodori obitu annis, prælium, de quo scribere aggredior, esse confectum. Tandem tres hi Principes socer & generi, conflato quisque copioso exercitu, ad Castoriam castra ponunt. Vicissim Palæologus copias in eos mouet: ducibus Ioanne Sebastocratore, Constantino Cæsare fratre suo vterino, Alexio Strategopulo,* Magno domestico, & Constantino Tornicio Magno * Primicerio. Hi circa Solstitium æstiuum, ardente caniculâ, ex Asiâ Hellespontum transmittunt, (nondum igitur Byzantium receperant) Michaëlis regionem populabundi peragrant: & demum intellecto ad * Aulonis planitiem hostem ita constitisse, vt solus mons intercederet: Michaëli, & socijs Belgradum ad meridiem obsidentibus, Græci Septentrioni obuersi dolos machinantur. Græcus quidam Sinon in hostium immissus castra, ad Michaëlem accedit, transfugam se à Græcis mentitur: eo consilio vt incautum Principem moneat, clanculum eius generos cum hostibus fœdus agitare: sibi quidem ipsis inprimis vtile, Michaëli verò perquam exitiosum. Credulum Principem, eiusmodi

§. 6. Michaël Aetoliæ Princeps cæditur.

3.

4. Prælium.

5.

6.

dolus vehementer terruit; igitur ille fugam arripit tam præcipitem: vt in eà Petralypha interierit, equo in voraginem temerè inducto. Michaël quidem, eiusque filius Nicephorus euasere. Ioannes verò itidem filius ex pellice, cum parte paternarum copiarum, ad Sebastocratorem transijt: eique sacramentum dixit; penes Græcos stetit victoria. Villeharduynius Castoriam petebat; sed cùm iam prope teneretur, in tugurium proximum illapsus est: atque sub paleis aliquamdiu latuit. Verùm accuratè quæsitus, repertus est: ex dentibus, quos prælongos gestabat agnitus: captiuusque abductus est. Rex Siciliæ fugâ sibi consuluit, hostesque elusit. Hinc cladem Augustani Annales post captam à Græcis Constantinopolim accidisse narrant; rectiùs Gregoras biennio antè quàm ea expugnaretur. Cum Guillelmo Villeharduynio capti sunt Asel decusi, & Kaxytaches Iofré. Ita Logotheta, cæterique Græci peregrina nomina inuertunt: vix vt à nobis agnosci queant: Asel quidem Anselmum, & Iofré Gaufredum esse nullus dubito. Qui verò ij fuerint, coniectandum. Prior quidem de Choisy, vel Coucy, posterior Chartrensis, vel Carnutensis esse potest.

Villeharduynius Achaiæ Princeps captus.

Chron. Augușt.

§. 7.

Eius lytrum.

7. Porrò * Villeharduynius lytri loco tres Peloponnesi vrbes non infimi nominis, Monembasiam, Mainam ad Leuctra (Tænari olim Promontorium) & Spartam, Lacedemoniorum metropolim hostibus cessit. Insuper iureiurando obstrinxit se, nunquam porrò Palæologis arma illaturum. Quanquam, inquit Pachymerius, non ita multò pòst ei Romanus Pontifex huiusmodi iurisiurandi gratiam fecit: nouarum turbarum & bellorum originem. Nihilominus earum vrbium sibi à Villeharduynio traditarum beneficio totâ Insulâ si paucula excipias, quæ Veneti retinebant: breui Græci sunt potiti. Quis verò ille Vellehar-duynius fuerit, quidúe eo factum sit, incompertum est. Blondus Rozam quendam scribit virum in Campaniâ Gallicâ nobilem, (Ottonem de la Roche, seu à Rupe procul dubio intelligit: quem Thebarum Regulum fuisse

Gregor. Franz. Pachymer. Laonic.

Quis ille Villeharduynius.

Blond. Iustin. Su. mont.

suprà

suprà scripsimus) Athenis,& in Achaiæ reliquijs regnasse: eique Gaufredum de Villa (hoc est Villeharduynium) quo iure nescio successisse; hunc verò Guillelmum hæredem tribuit Iustinianus: qui à Palæologo captus fuerit. Cùm autem suprà Gaufredus Auctor noster, & Latino-Græci Imperij Protostrator, siue Marescallus nepotem sibi cognominem se habuisse dicat: de filio autem habuerit nécne, omnino sileat: vero simile est hunc Achaiæ Dominum fuisse, & fortassis ipsius Ottonis generum. De quibus Notas consule. At hîc notandum venit, quod tradit Laonicus: post expugnatam eo, quo scripsimus, modo à Græcis Constantinopolim, Ioannem Thessalum, Michaelis nothi etiam nothum, inopinantes Græcos ad Patras, quas nouas dicunt, adortum esse: & ope quingentorum Atheniensium fudisse; eò faciliùs, quòd Græci Achaiæ, & Peloponnesi Principem, vel certè Thebarum, Eubææ, & Athenarum Ducem, cum vniuersis copijs adesse arbitrarentur; tametsi pauci omnino Thessali, cum quingentis dumtaxat Atheniensibus ei prælio interessent. Ex his porrò liquidò constat falsum esse, quod aiebat Blondus, Ottoni à Rupe, in Athenarum & Achaiæ Principatu, Villeharduynium successisse: quando eo, quo hic in Achaiâ regnabat, tempore, Athenis & Thebis, procul dubio alius quipiam, Otto videlicet, vel eius hæres dominabatur. Guillelmus porrò Gaufredi; siue filius, siue nepos filiam habuit, quam Philippo Caroli Siciliæ Regis primi filio obtulit, inquit Summontanus. Nec de eo, aut alijs Gallicæ Nobilitatis viris, qui Balduinum ea in expeditione secuti sunt, vsquam deinceps legere me memini.

CAPVT VII.

Constantinopolis à Palæologo intercipitur. Finis Imperij Latinorum in Graciâ.

§. 1. Ihil est sub sole perpetuum, sibique constans. Quæ hominibus senectus obuenit: eandem & Rebuspublicis, ac Regnis vsu venire non
1. absurdè aiebat Plato, (fatum vocat * Scipio Africanus:) & quemadmodum vrbium, atque monarchiarum conditorem, cum parente: ortum cum natiuitate mortalium conferebat: sic & ijs incrementa, decrementa, senium, & mortem ipsam attribuebat. Hoc ipsum in Latino-Græco Imperio manifestè deprehenditur; quod à Balduino primo, quasi conditum, sub Henrico adoleuit: mox languere, & senescere sub Petro, & Roberto: tandemque in alterius Balduini manibus interijsse videatur. Appian. Lib.

Eâ quam præcedenti capite referebamus, de Thessalis, & Achæis reportata victoria, supra modum, cùm Michaëlis Palæologi animum extulit, tum Latinorum fregit. Et ille quidem in tantæ rei præmium Ioannem fratrem Despotam Palæologus creauit: Tornicium, & Constantinum Sebastocratores: Alexius verò Strategopulus Cæsaris titulo ornatus est: nihilque deinceps animo volutare visus est Michaël, quàm vt Byzantio Latinos pelleret. Adhuc autem Nicææ in Bythyniâ, quod & reliqui Græci Gregor. Logoth. Leonc. Franza.
2. Imperatores ab vrbe captâ fecerant, agebat. * Anselmus de Kaieu, alterius de quo sæpe meminimus Anselmi filius vel nepos; Mariam Theodori Lascaris primi filiam, aliàs Hungarorum Regi desponsam, in vxorem acceperat: Anselmi de Kaieu infidelitas. eoque, siue mulieris blanditijs, seu propriâ leuitate ductus: siue, quòd à fortiori stare tutius esse iudicaret: seu

quâ

quâ aliâ de caussâ in Græcos pronior esse videbatur. Is ergo Michaëlis importunis blanditijs, & promissis fractus vrbem Regiam se proditurum recepit: si modò exercitum τὸ Imperator traducat; subinde tamen pænitentiâ tam fædi facinoris ductus, fidem mutauit. Et Palęologus quidem cum copioso milite Peræ, siue Galatæ muros verberauit, scalis, cuniculis, alijsque id genus artibus oppugnauit; repulsus verò satis habuit rem differre, & in vrbes, arcesque finitimas præsidium numerosius imponere; quo excursionibus suis assiduis Latinos fatigaret, obsessosque eminus circumcluderet. Nimirum tam arctè illi hoc pacto coërceri cœpti sunt, vt vix caput è mœnibus ostentare, nedum pedem lignatum, aut frumentatum efferre quoquam ausi, commeatus inopiâ tantâ laborarint; vt pleraque vrbis ædificia diruere, trabesque, ac tigna foco subministrare cogerentur. Byzantini obsessi.

Pacem quidem Græcos Latinosque post hæc ferijsse asserit Logotheta; verùm ea non diuturna fuerit. Biennio quippe quàm Villeharduynium, Thessalosque ceciderat, aduersus Michaëlem Angelum, rursum Græcis negotium facessentem, exercitum Palæologus cogit: octingentorum circiter Bithynorum: Duce Cæsare Strategopulo; alteras copias in Thraciâ & Macedoniâ, quantas posset maximas legere: tum etiam obiter Byzantina suburbia prætergredi, & si fors faueat, vrbem tentare iusso.

Per id tempus Latinis auxilio Veneti Constantinopolim miserant omnis generis nauigia: quibus præerat ex eâdem gente nescio qui popularibus suis iuridicundo in eâ vrbe præfectus: quem Magistratum ipsi Podestatum appellabant. Cum hoc milite suum coniunxit Balduinus: & vtrumque Daphnusiam, ad Pontum Euxinum, non longè à Byzantio vrbem obsessum misit: vix vt Regiæ ciuitatis præsidio vllus miles superesset. Strategopulus interea, cum octingentis suis Bithynis, Byzantio admouet: moxque ab institoribus quibusdam Græcis, Byzantinis ciuibus, qui ex vrbe messis gratiâ rus conuenerant edo- §. 2. Byzantium tentatur.

cetur

etur, quàm ab omni prorsus milite vacua sit Constantinopolis: quamque ciues, qui Græci sunt magnam partem, Palæologum exoptent. Et hic profectò nuntius spem aliquam præclari facinoris perpetrandi faciebat; at eam tamen vrbem, quantumcumque præsidio destitutam, cum tantulâ manu attentare ridiculum, oppugnare temerarium videbatur. Verùm cùm varia Cæsar animo reputat: ecce tibi, inquit Franza, ex ipsâ vrbe nocte sociâ egressus ciuis ei occurrit: qui interrogatus vnde, & quò tam intempestiuâ iret horâ: respondit se Byzantio eâ ipsâ horâ exisse. Fune igitur è muro dimissus, inquit Cæsar. Nequaquam, ait ille, sed domi meæ, quæ ad ipsos muros pertinet, cuniculum habeo, vix alteri cognitum qui sub ipsa munimentorum fundamenta ductus, non longè in suburbanum erumpit. Alij per aliquam rimarum, quas ex vetustate agerent muri, elabi solitum seniculum fuisse scribunt. Cæsar porrò hoc nuntio mirè exhilaratus: ipsum aditum exploraturus cum indice secedit: reque manifestò compertâ, quinquaginta è suis in vrbem ante diluculum intromittit. Hi quidem, cum vnum dumtaxat militem (vide & obstupesce, Lector, tam supinam in Latinis negligentiam) excubantem ad mœnia, in fossas præcipitassent: per portam securibus, alijsque id genus armis effractam, socios in vrbem induxêre. Ciues in speciem obsistere Nicæanis ingrediebantur; reuera eos ambabus vlnis excipiebant.

Aditus in vrbem.

Constantinopolis capta.

§. 3.

Balduinus Imp. fugit.

Balduinus in Pantocratoris palatium sese antea receperat, Blachernensi æde iam pridem, ob ruinas, & sordes quibus scatebat, destitutâ. Huc Latinorum concursus aliquis fuit; & facilè profectò illis fuerat hostes, non tantùm propellere, sed intra muros comprehensos enecare ad vnum omnes; si eorum paucitatem perspectam habuissent. Et eodem quoque tempore exercitus Daphnusiâ redire, iamque portum prope tenere nuntiabatur: cùm Cæsar, veritus ne Latinis ciuibus ij se adiungerent, adeoque bene cœpta malè sibi verterent; vrbem à quatuor partibus incendio

Vrbis incendium.

cendio distringi iubet: maximèque in eas domos ignem inijci quæ à Latinis ad littus extructæ, his æquè ac Græcis * Campus, quod castra Gallicè sonat, dicebantur: ideo 3.
credo quia eo in loco victor Sociorum olim exercitus consederat. Mox ergo eæ ciuium turmæ, quæ ad Imperatoris ædes propugnandas, hostemque arcendum confluxerant, in domos quisque suas dilabi: pars conuasare, & conscendere: pars inopinantes ab hostibus deprehensi, vel flammis, vel gladio hausti sunt. Solus prope Balduinus in Pantocratoris palatio derelictus vix euasit: cùm ægrè triremium vna, à Venetis immissa eò peruaderet. Eius autem fugam, & cladem portendere visum est ostentum quoddam, teste Gregorâ. Nempe in quodam palatij pariete, ante victricis Deiparæ sacellum, Georgij martyris, equo insidentis effigies, à Paulo præstantissimo olim pictore effecta visebatur. Is * equus, paulò antè quàm Balduinus 4.
fugam capesseret, sic clarè hinnitus aliquot edidit: vt omnes percellerentur. Quod portentum rursus exauditum est, cùm Andronicus iunior, ex aui Palatio sese noctu proripuit, bellum seniori, & Constantinopolitanis illaturus. Veluti id monstrum à Deo ei vrbi concessum foret; per quod futura infortunia, & Regibus obuenturas clades mirabiliter edocerentur. Cui similia non pauca, alibi terrarum, etiam hodie nonnumquam videri solere: quibus vel inquilinorum, vel Principum mors prænuntietur, varij tradunt Auctores. Cæterùm Balduinus conscenso nauigio, & pretiosissimis rerum in illud impositis: confestim soluit, & æternum contrà quàm opinabatur, à Græciâ abstractus, in Italiam vela dedit. Ex Prætore Græciæ, quem eumdem cum Logothetâ esse nemo iam negauerit, hæc paucula, quæ in edito per Douzam libro desiderantur, Leunclauius refert: Venerunt, captâ Constantinopoli, Græcorum in manus Imperatoria Balduini secundi Symbola; quæ quidem erant: * Calyptra, formæ 5.
Latinis vsitatæ, vnionibus distincta, cuius verticem rubri coloris lapillus adornabat: calceamenta cocco tincta;

Equus pictus hinnit.

Leuncl. in Pand. Turc.

gladius vaginæ sericæ coccinei coloris, inditus. Ita scilicet ad ludibrium rerum humanarum, ab octingentis viris, sine machinis, sine sanguine, sine prælio, ea vrbs momento pæne capta est: quam vniuersus, & copiosus sociorum exercitus, multorum dierum labore, varijsque quà mari, quà terrâ oppugnationibus ægrè expugnarat; & id Latinorum Imperium, quod Balduinum, quasi parentem & conditorem habuit, in altero Balduino exitium reperit. Quemadmodum, quod sequenti libro ostendemus: vti Constantino Magno, Helenæ filio, ortum: sic & interitum Græcorum regnum alteri Constantino Helenæ itidem filio debet adscribere. Eiulasse ad vrbis captæ nuntium, Theodorum Tornicem lethali correptum morbo, narrat Spanduginus: atque vaticinatum esse, ex eâ victoriâ certissimam Græco Imperio imminere perniciem; cuius scilicet optimates ex Asiâ vnà cum Imperatore, in Thraciam procul hoste traducti: delicijs frangi paulatim, ac belli artes dedoceri se passuri erant; atque adeo Turcis præda futuri. Quo dicto, resupinato in alteram lecti spondam corpore, vatem expirasse refert. *Theod. Spandugin.*

§. 4. *Quo anno vrbs capta.*

Quo * anno ea clades acciderit, adscribit quidem Logotheta: sed ita mendosè, vitio librariorum: vt insanabile interpreti vulnus visum fuerit; nec multò certiùs aut accuratiùs alij prodiderunt. Ego verò ita statuo,
6. anno CIↃCCLXI ereptam Latinis esse Constantinopolim XXV. Iulij: anni secundùm Græcos, ab orbe condito VI^M IↃCCLXIX. hisque argumentis fiet manifestum. Certè quidem eam victoriam, iuxta Logothetam, Cæsar Strategopulus Græcis peperit XXV Iulij, indictione IV; quæ in annum à me notatum incidit. Iam verò Aprilis XII anni CIↃCCIV à Latinis expugnata est Constantinopolis, quo tempore Theodorus Lascaris Imperator haberi cœpit; cuius regno si octodecim annos, tres & triginta Ioanni Batazæ eius genero: tres item Theodoro huius filio attribuas, occurret annus CIↃCCLVIII. Proximè insequentem annum, quà Muzalonis, quà

Michaelis

Michaelis Palæologi in regimine effluxisse vero non est absimile. Et Augusto mense anni CIↃCCLIX, iuxta Augustensem Chronologum, Guillelmus Villeharduynius cæsus, & captus est. Biennio autem postea vt ait Græcoras, anno igitur CIↃCCLXI, Latinis perijt Constantinopolis XXV Iulij: posteaquam eam annos LVIII, menses tres, diem vnam possedissent. Nimirum breuior fuit huius Imperij ætas, quàm quæ homini à naturâ præstituta est. Scripsit Plato statam, & definitam esse magnarum Rerump. periodum ac conuersionem circa septimum sęculum, quam & in Romano Imperio locum habuisse non pauci adnotarunt. At verò vix dimidiatum sæculum Gallo-Belgico in Græciâ Imperio fortuna indulsit, in Christianos, quam Ethnicos minus benefica. Verumenimuero nos fortunam nobis cudimus: & ne fortunet, malis nostris consilijs obstamus. Diuturnum hoc esse Imperium vetuit primùm, Latinorum, vti præmonui, in regundis populis intemperantia; qui opibus quàm subiectorum beneuolentiâ niti maluerunt: Tum Græcorum implacabile in illos odium: quod tempore ipso, longaque consuetudine, quibus vel feræ cicurantur, molliri non potuit. Accessit incredibilis quædam posteriorum Imperatorum ignauia; demum quod potissimè deplorandum occurrit, orthodoxorum Europæ Principum quà sacri, quà profani ordinis inclementia, ne dicam impietas; qui Latino-Græci Imperij ruinam siccis oculis intueri sustinuerunt: quod ipsi nullo negotio, collatis veluti symbolis, milite & pecuniâ, fulcire poterant. Cæterùm nusquam luculentiùs vanitatis fortunæ & rerum humanarum ducitur argumentum; magnas arbores diu crescere, vnâ horâ exstirpari: Dei ludum esse erecta deijcere, deiecta erigere.

Chilon. in Laert. *Gregor. Franza.* Constantinopolim Palæologus Imperatoris, Cæsar verò Strategopulus triumphantis habitu, paulò pòst inuecti sunt. At interiectis diebus, vt scias fabulam esse, quod dicitur: sub Lauro neminem afflari fulmine; Cæsar à Thessalo cæsus & captus est; subinde tamen liberatus ope Man- §. 5. Cæsar cæsus.

 fredi

fredi Siciliæ Regis, qui eo pacto sororem suam Ioannis Ducę viduam recepit, quam Græci ad fratrem, viro mortuo, redire prohibebant. Ipse verò Palæologus: quasi sit impietate, & crudelitate niterentur imperia: vestigijs maiorum insistens, barbarè Ioannem Lascarim pupillum oculis orbauit, sorores verò eius infelicis Principis, ne quã vnquam regni recuperandi spe aut desiderio caperentur, si non prorsus ignobili, certè inæquali matrimonio copulauit; Theodoram quidem Domino de Valaincour Belgæ Hannoni; quem fortè id tempus Villeharduynius ad Palæologum legarat: alteram cui nomen erat Irene, Italo cuidam Comiti Vintimiglio, eâ lege nuptui tradidit: vt ij in patriam quisque suam vxorem traducerent. Latinis verò mercatoribus facultas facta est in vrbe regiâ manendi; quod plerique Venetorum & Pisanorum fecerunt: in eâque domicilium sibi delegerunt. Genuensibus autem, quibus etiam ante captam vrbem amicis Græci vtebantur, Peram siue Galatam inhabitandam ij permisere: quæ deinceps Genuensium vrbs est appellata: atque à singulis earum nationum Rebus-publicis certus quipiam magistratus iuri in eâ vrbe dicundo præfici cœpit, quem quidem * Baiulum Veneti, Consulem Pisani, Genuenses verò potestatem appellarunt.

Palæologus Lascarim excæcat.

7.

§. 6.

Eubœa à Græcis expugnata.

Illud tamen non obstitit, quin Venetos bello peteret Palæologus, quo in bello id verò memorabile est inprimis, quòd Eubœę, siue Negroponti Insulam ijs eripuit. Rabanus Carcerius Veronensis, eius Prouinciæ Regulus, sub Venetorum erat clientelâ. Ab eo Icarius quidam, vir ignobilis, mox ab expugnatâ Constantinopoli deficit: & vrbeculâ, atque arce quibusdam astu interceptis, cum reliqua solus occupare desperaret, à Palæologo impetrat auxilia, miserumque Carcerium, in comparatas insidias allectum, viuum capit, atque Imperatori tradit. Vt verò ad eum Carcerius non iam, vt olim, Regis, sed mancipij instar, aut rei, à satellitibus raptatus, & coram Imperatore excelso solio insidente, magnâque nobilium coronâ,

Tragica mors.

sed

ſed nominatim coram ipſo Icario, ſuo quondam famulo, nunc Iudicis in morem regio cultu, ad latus ipſius Imperatoris accubante, genu flectere iuſſus eſt: tunc quidem priſtinam cùm ſuam, tum Icarij ſortem cum præſente conferens, atque perpendens: ſic animo angi, & defici cœptus eſt: vt in ipſo prope aulæ limine, præ doloris & pudoris magnitudine, intercluſo ſpiritu occiderit. Raro quidem, ſed luculento mortalibus argumento, quid in vltimis mundi Comitijs ſit expectandum; vbi à piſcatorum, & mancipiorum turbâ maximi quique Reges, & Tyranni iudicabuntur. Magni Iudicij dies.

Balduinus porrò Imperator Carolum Siciliæ Regem adſciuit generum: quo eum aduerſus Græcos concitaret. Et hic vtique, quoad vixit, non deſtitit varia in eos moliri nullo vel exiguo ſucceſſu: tamdiu quippe iniuſtè partum Palæologi Imperium tenuere, donec à Barbaris ſuperati atque extincti ſunt; quod libro ſingulari explicabimus. Hunc autem ipſius victoris Michaëlis exitu concludo.

Gregor. Logoth. Hic * nouus Conſtantinus (ita ſcilicet ab vrbe receptâ indigetari voluit) multa à Conſtantino Toecho, Bulgarici regni inuaſore, Ioanniſque Laſcaris, impiè ab ipſo Palæologo excæcati ſororio & vindice; dura & acerba pertulit; non minora à Ioanne Michaelis Theſſali filio notho; plura longè ab Iconienſibus Turcis in Paphlagoniam effuſis paſſus eſt. Et ab his quidem ad vltimas Græcorum fortuna adacta eſt metas: exercitu eorum ita cæſo, vt vix ſupereſſent, qui Palæologum extra periculum eductum Conſtantinopolim comitarentur. Certè Barbari, iam quaſi aggeribus ruptis ſecuri, ac nemine prohibente in Romanas Prouincias ad amnem vſque prædabundi excurrêre. In quâ prędatione id accidit, vt commemoratione, ſic & commiſeratione digniſſimum. Sorores duæ adoleſcentulæ cum diuerſis dominis ſorte obtigiſſent, iamque diuellendæ eſſent: ad vltimum vale in amplexu mutuo expirarunt. Sub hæc Theſſalicum bellum recruduit; ad quod Michael proficiſcens palpitantis cordis concitatiore motu la- §. 7. Mich. Palæologi infortunia. 8. Amoris vis.

borare cœpit; qui lethalis à Medicis continuò habitus est. Cumque is loci nomen; in quo eum morbus occuparat, quæsijsset: intellexit se Pachomium inter & Allagen (locorum ea sunt nomina) constitutum; tum verò altum ducens suspirium: Hîc enimuero, inquit, vitæ mihi allage: hoc est mutatio imminet, quia Pachomium honestum & probum virum non ita pridem indictâ causâ, atque immeritò excæcaui. Adiecisset vtique infelicem pupillum: quem oculis & regno priuarat. At huius sceleris pænitentiam vel non admittebat, vel non prodebat; ne ambiguam liberis suis malè parti Imperij hæreditatem relinqueret. Verùm vtriusque rationem redditurus æterno & incorrupto Iudici abijt anno Mundi secundùm Græcorum calculum sexies millesimo supra septingentesimum nonagesimum primum: Christi verò CIↃCCLXXXIII, Indict. XI. ætatis LVIII, regni anno XXIII. Ex Theodorâ coniuge procreauit Andronicum Imp. * Constantinum Porphyrogennetam, Theodorum Lydiæ Pręfectum: filias tres Eudociam, Annam, & Irenen. Et hîc vti Constantinopolis Belgicæ, sic & huius operis finis esto.

Mic. Paleologi obitus.

9.

Constantinopolis Belgicæ Finis.

DE



DE EXCIDIO GRÆCORVM LIBER SINGVLARIS.

DE EXCIDIO GRÆCORVM LIBER SINGVLARIS.

Præfatio.



Mni tempore ludit in orbe terrarum diuina Sapientia; quo porro ludi genere ſe oblectet, ſi quæris: aio ego pilâ, & latrunculis. Res illa publicas, & Imperia: hi ſingulos in ijs homines examußim referũt. Dij nos, inquit Comicus, vt pilas habent: imo regna ipſa. Haud facilius ſæpiuſue pila manus locumue mutat, quàm ſortes imperia. Voluuntur, reuoluuntur, ſurſum, deorſum, volant, repunt, affligũtur, demum exhauſta concidunt. Nec mitius Reges, aut Dynaſtas habet fortuna. Regem ille hodie, hic equitem, alter peditem, aut lixam agit: cras vice verſâ. Nec tam latrunculi ipſi (quamuis reuera paßim Viuitur ex rapto*) quàm ſortis, certè mortis latrocinijs obnoxij. Omnes quippe ſeu viuos, ſeu mortuos, quemadmodum ex eodem*

ligno latrunculi, ex eodem luto homines effecti sunt: sic dignitate, & cultu spoliatos, seriùs ocyùs in eamdem vrnam nullo discrimine Mors deturbat, ac miscet. Græcorum Imperium Macedonibus, Romanis, indigenis, Belgis paruit: toti quondam orbi terrarum ius dedit: subinde ab extraneis & peregrinis hominibus, ex vltimo prope mundi angulo elapsis, accepit; floruit, defloruit. Athenæ, Thebæ, Sparta, aliæq; eius regionis vrbes tum mitiorum artium, tum bellicarum gloriâ celebres cœlo olim caput inferebant: nunc virgultis obsitæ, ne nomen quidem retinent, nedum famam. In eâ terrâ Balduinus noster admirabili felicitate dimicauit, vicit, regnauit, imo triumphauit tantùm, ad pompam, & celebritatem nominis veriùs, quàm ad dominationem, aut diuturnitatem Imperij, fulgetro, quàm astro similior. Henrico fratri diuturnitate forsan felicius regnum obtigit: orbitate infelicius, successorum vero ignauiâ; vtrique infelicissimum. Hæc ego nimirum hactenus rudi calamo descripsi & quia Patriæ honori hoc opere velificatus sum: nihil vltrà erat, quod ei in hoc argumento desudarem: at lectoris desiderio non pauca superesse existimo. Nempe vt mentem

tem.

tem eius inter tot bellorum & cladium æstus pendulam, ac vagantem retineam: & quò tandem resistendum sit edoceam. Id ego hoc libro meditor. Balduini, Latinorumq; in Græciam appulsum, & victorias, recensui. Hoc fieri commodè non potuit, nisi vnà Imperij Orientis initia, incrementa, & decrementa leui manu percurrerem. Nostratium subinde clades, Græcique Regni anastasim quandam adieci. Id ergo superest, vt quò tandem Palæologi, postremi scilicet, Græcorum Imperatores euaserint; quibusue locum cesserint, aperiam. Quod vt faciam meo more altius paulò rem repeto; & qui vndéue Saraceni, Turci, atque Ottomanni prodierint breuiter expono. Operis argumentum.

CAPVT I.

De Saracenis, & Mahometanis.

Gen. 25. 25, Paral. 5. §. 1. Vnde Saracenis nomen.



EX diuinis Codicibus notum est posteros Ismaëlis, quem ex Agar Abrahamus Patriarcha procrearat Arabiam tenuisse: atque ab eâ fæminâ originis suæ Principe * Agarenos, & 1. Agareos, Agreosque dictos: & vrbem eius regionis, quam incolebant, Agar esse nominatam. Vero autem non est absimile hos postea quasi seruilem matris conditionem de-

dignatos, pro Agar, Saram generis sui principium arcessere, & Saracenos dici maluisse. Quanquam & à Saracâ vrbe, quam in Arabiâ Petræâ Agarenorum regione Geographi collocant, Saraceni dici potuerint. Saracenorum nomen in Ptolemęo, & in Historiâ Zenobię Palmyrensium Reginæ reperitur; eos tamen ab Agarenis olim distinctos fuisse Iosephus Scaliger arbitratur. Horum regia fuit Petra, arx Arabię munitissima; cuius omnes Principes Aretę dicebantur: quomodo Ægypti Ptolomęi. Hique diu Damascum tenuerunt.

Ptolem. Plin. Stephan. orb. Strabo Ios. Scalig. de emend. temp.

Mahometi ortus.

Ex ijs ortus est anno circiter Christiano supra quingentesimum sexagesimo, mense Februario Mahometus in valle lapidosâ, Itraripo Meccanę ditionis vico, quem alij Iatribam, vel Itraribam vocant, Patre Abdelâ, Matre Enimâ, illo Idololatrâ, hâc Iudæâ. Is Sergij Arriani Monachi operâ nouam sectam condidit: & Prophetæ nomen mentitus præstigijs suis Arabum animos dementauit: eo tempore quo Heraclius rerum potiebatur. Et verò hic Imperator secundum quietem vidit sibi à muribus è terrâ enascentibus arrodi vestium lacinias; & inde ea animalcula etiam in superiora adrepere. Certissimum imminentis Romano Imperio cladis portentum. Aiunt eidem Heraclio Mahometum Saracenorum ducem, atque Arabas eo pręlio nauasse operam, quo Persas debellauit. Cumque Arabes quererentur merito se stipendio fraudari; Quæstor tam imprudenter, quàm superbè, vix superesse in ærario respondit, quod Græcis & Romanis militibus penderetur, nedum huic canum turbę. Quæ verba altè in pectus demissa, ac sæpius inter sectæ Principes gregariosque commemorata sic eorum animos, alioqui feros, & in iram præcipites, accenderunt; vt non modò Romano Imperio, sed toti propemodum Orbi Christiano interitum parauerint. In Syriam igitur secessere, tum se Mahometo totos permittentes mirum in modum eius conatus adiuuere. Namque his viribus auctus sceleratissimus latro Meccam expugnat, & breui totâ Arabiâ potitur.

Bizar. de reb. Pers. Abu-Giafar Arabs Erpenij Leunclau. Hist. Musulm. Roder. Tolet. Io. Leo. Afric. Hayto. Armen. Constant. Torpo. Mariana. Spandugin.

Heraclij somnium.

Arabum defectio.

Æram

Auitt. S. Aeram autem suam, seu annorum seriem vti nos à Christo vel nato, vel passo: sic illi à Mahometi fugâ auspicantur, & Aegiram vocant. Aiunt quippe Christi anno ɪↄcxxɪɪ, Iulij mensis die xv, feriâ sextâ Meccâ Pseudoprophetam, propter hostium factionem, quos infestissimos sibi, & Alcorano experiebatur, profugisse. Abeâ fugâ annos hodie putant Mahometistę omnes, vocantque Senathil-he-girathi, vel Terichil-hegirathi, hoc est annos fugę, vel Aeram fugę. Auspicatissimam sanè legem, quæ à fugâ cœpta fugacibus nebulonibus datur. Sed hoc mendacium esse vult Iosephus Scaliger, qui Hegiram non ab Aerâ corruptum, vt Genebrardus; nec à fugâ vt Mahometani ductum nomen existimat: sed à gente ipsâ Agarenicâ; prorsus vt nihil aliud sit Senathil-hegirathi quam Aera Agarenica. Et verò Leunclauius, non à fugâ, sed à natiuitate Mahometi Hegiram duci arbitratur. Annos porro Lunares ij habent, adeoque nostris minores, vt * eorum xxxɪɪ, Solares nostros vnum & triginta dumtaxat conficiant, cum exiguo additamento. Africani Hegiram suam ab anno Christi ɪↄxcɪɪ, ordiuntur. Tandem impius veterator anno Heraclij xxɪ, Christi ɪↄcxxx, (nonnulli alios vɪɪ, adijciunt) animam Orco tradidit. §. 2. Aera Mahometana. 2. Mors Mahometi.

De emend. T and c. xi.

Auitt. S. Mahometo Eubocara, seu Abubecrus, vel Ebubekir successit: tum huic post biennium, & menses tres Homarus. Ambo (inquit Mariana) Mahometi soceri. Sub hoc dici vix queat quantùm impia superstitio, & Saracenorum potentia accreuit. Nam post expugnatam Damascum, Ægyptum subiugatam, etiam Ierosolymam occuparunt, Hegirâ secundum Abugiafarum Arabem xvɪ', hoc est Christi anno ɪↄcxxxvɪ. Quâ victoria elatus Homarus, non ita multis post annis Persas, aduersis rebus debilitatos bello petijt, & Hormisdâ (quem Haito Ascaiorth, Elmacinus Arabs Iasdegirdum vocat, filium Siahriaris) Persarum Rege in prælio interfecto, eius Imperium vsurpauit. §. 3. Eius successores, & eorum progressus. Occupant Hierosolymam. Et Persidem.

Postel de Reb. Turc. Const. Porphyrogenitus.

Quia verò non armis modò, sed & superstitionis suæ auctori- §. 4. Eorum Calyphæ.

auctoritate sibi ad illa regna viam strauerant: quos Reges, seu Duces Regionibus subactis præfici contigit: illis & Pontificatus dignitatem simul conferebant Saracenici Imperatores, potestatemque Alcoranum interpretandi. Itaque non longè post Pseudoprophetæ obitum, quatuor
3. visi sunt * Patriarchæ, legisque Mahometanę Doctores, qui Calyphæ dicebantur, atque vnà populorum Rectores. Prima horum sedes fuit in Medinâ Elnabi, quod ciuitatem Prophetę sonat; cui subdebatur Mecca, atque adeo Arabia vniuersa. Altera fuit Bagdad Chaldeæ vrbs, propter priscę Babilonis ruinas ędificata; (Baldac vel Bandas Galli veteres appellabant) quæ Caramaniam, Persiam, Parthiam, Mediam, Mesopotamiam, Assyriam, & Chaldęam sub suo continebat Imperio. Et huic passim primus honos cultusque à Saracenis exhibitus: imò verò cæteris omnibus ipse imperabat. Primus ab eo desciuit Ægyptius Sultanus; qui ne ab extraneo confirmationem, vel inaugurationem (vt mos ferebat) expectaret, suum sibi Caliphani delegit. Tertiam igitur Imperij sedem in Ægyptiacâ Cairo, vrbe recens extructâ è ruinis Mempheos, constituêre. Eiusmodi autem Regnum, siue præfectura duarum potissimùm muliercularum ope atque auctoritate adoleuit; quę quia propiùs Pseudoprophetam sanguine attingebant, & à sanctitate vitæ sibi nomen compararant,
Fatima. maximo apud Saracenos erant in pretio. Harum vna dicta est Fatima Mahometi filia, à quâ Fatimij vocati sunt primi Pontifices; alteri Nafissæ nomen fuit: cuius sepulchro tanta fuit veneratio vt Selimus Solimanni Pater, Sultanis Cairensibus deuictis, Ægypto potitus, in Mesquitæ seu templi eius gazophylacio, supra quingenta Seraphinorum seu aureorum millia, præter infinitam gemmarum, & vnionum copiam reperisse dicatur. Quarta sedes fuit Cahiroan ciuitas à Saracenis iuxta Syrtes Africæ, (hodie Siccas Barbariæ vocant) ædificata. Quam sedem posuere Haly discipuli, & successores. Fuit porro Haly Fatimę maritus, ipsiusque Mahometi gener: quem socero præferunt Cahiroenses,

hiroenses, Persæ, Cilices, alijque permulti; qui omnes vbi cæteri: Ia Mahumed in periculis suis inclamant; hi, Ia Haly vsurpant. Quinta demum postea accessit Maroci Africæ Occidentalis vrbe. Ad rem venio.

Auctores qui initio cap.

Homaro, posteaquam regnauerat annos decem & menses sex, defuncto successor datus est Otman vel Otsman. Cuius Pontificis auspicijs, ductu verò Abdallæ Ægypti Præfecti (Hucbam alij nominant) tota Africa Saracenico cessit Imperio. Hoc regnante, vel non multò secus, Hegirâ videlicet XXXIII obijsse ferunt Annales Arabici Solimannum Persam annos natum CCLVI. vel iuxta alios CCCL. §. 5. **Homari successores.** **Senex.**

Otmanno Haly, tum Hasen (ex quibus duobus vnum fecit Byzarrus Alhasen) inde Muauias; alijque ex interuallo suffecti variè rem Saracenicam promouere: vt à Mahometo Pseudoprophetâ ad Zuleymannum, & ab Heraclio ad Leonis Isauri initium, hoc est seculo non plus vno Saraceni Arabiam, Palæstinam, Syriam, Persidem, Ægyptum, Africam, Hispaniam occuparint. Et Hegirâ quidem XCIII. Christi anno IↃCCXII. Vlito, seu Walido Calyphâ regnante, Lybiæ vniuersæ ad ipsum Oceanum Muza Amiras summâ cum potestate Præfectus, Tarico vel Tariffio eius legato ductore, Hispaniam partim populatus est: partim Roderico Wisigothorum Regi ereptam obtinuit. Infeliciùs in Galliâ rem egerunt. Aliquot namque post annis Abderama Saracenorum in Africâ dux, euocatus ab Eudone Wisigotho, Aquitaniæ Duce (inquiunt Galli scriptores, negant Hispani) in Galliam traduxit infinitum Mahometanorum exercitum: quorum trecenta omnino & septuaginta quinque millia in Turonibus Carolus Martellus internecione deleuit anno IↃCCXXXIII. Idemque pòst paulò Athinum ex Hispaniâ in Narbonnensem Galliam, cum magnis copijs effusum superauit, & Amorrheum, qui ei suppetias venerat, interfecit. **Mirum eorum seculo vno incrementum.** **A Car. Martello cæsi.**

Tandem circa Hegiram CCCXXV. Christi annum nongentesi- §. 6. **Decrementum.**

gentesimum trigesimum septimum, intestinis bellis, & dissensionibus laborare, hoc est senescere, & ad interitum vergere ea cœpit Monarchia, quæ concordiâ coaluerat, Religionis tametsi falsæ glutine coagmentata. Tum enim, vti in Galliâ sub postremis Carolinæ stirpis Regibus factitatum est; in quâ ex Præfectis vrbium, Prouinciarumue domini plærique euaserunt: sic inter Agarenos, quam quisque arcem, aut Regionem gubernabat, sibi adscripsit; prorsus vt in potestate Calyphæ, præter Bagdatum nihil esset reliqui. Et interiectis annis, quatuor de summo Ponficatu contendentibus, se mutuò bellis ciuilibus, attriuêre, atque hîc Christianis: illic Turcis pręclaram rei bene gerendæ occasionem præbuere. Et in Hispaniâ quidem Mahometo Enasir Maroci Calyphâ, quem Amiramomeni etiam dicebant, prope Valentiam in Gotthalaniâ victo; ac sexaginta Saracenorum millibus cæsis anno circiter CIↃCL Christiani Valentiam, Murciam, Cordubam, Hispalim, cæteraque Hispaniæ regna Barbaris ademerunt; solâ ijs Granatâ relictâ. Et eam tandem ipsam Ferdinandus Caroli V. auus maternus gloriosè Christo, & libertati vindicauit. Turci verò feliciùs his dissensionibus vsi, Saracenicum Imperium non modò occuparunt; sed etiam multis partibus auctum, in hęc vsque tempora conseruarunt. Qui verò & vnde Turci prodierint discutiendum est.

CAPVT II.

Qui & vnde Turci, & Tartari.

§. I. Turcorum origo.



Vrci, nomen suum, quod agreste quidpiam significat teste Laonico, detestati: se Musulmannos hoc est fideles vocant. Fortassis & suam ipsi originem eâdem de caussâ latere voluerunt, ita variè ab antiquis æquè ac recentioribus traditur. Eorum

Fanol. in Hodapor. Byzant Leuncl Musulman. Histor.

Plin. Mela. Ptolem. Leuncl. Bizar. Zonar. Eustath. Auentin. Cambin. Spandugin.

rum sedes à Plinio & Melâ ad Mæotidem Paludem describitur. Ptolemæus inter Sarmatas Asiaticos supra Caspias portas collocat. Quidam ex ijs ortos volunt Scythis, quos Alexander Macedo intra Hyperboreos montes, ferreis, tanquam indomitam gentem, clauserit repagulis; nonnulli Parthos faciunt. Sunt demum qui è Regione Iuchrâ, quæ vltra Tanaim est, versus Oceanum Septentrionalem, subestque Moschorum Principi, educant, Hunnorumque * populares credunt. De Iuchrâ quidem consonat Herodoti nomen Iurcæ, quod Nomadem significat: & lingua tum Turcarum, tum Hungarorum, quę Iuchræorum idiomati admodum affinis esse perhibetur. Pintianus certè in suis Pomponianis castigationibus Turcorum nomen ex Plinio, & Melâ expungit, in eorumque locum Iurcas substituit, ex Herodoti Melpomene. Vnnos à Persis vocari Turcos scribit Eustathius. Thunnos etiam à Plinio appellari docet Hermolaus. Quibusdam Curtij, & Cyrtij, Curtiíue dicti sunt: Hebręis Thogorma, auctore Postello. 1.

Hermol. Castig.

A Scythis, qui Caucasios montes inter Pontum Euxinum, & Caspium mare habitant, originem traxisse plerisque omnibus Auctoribus videntur. E latebris prodierunt annum circiter IↃCCLIX, & cum Auaribus, siue Hunnis eo tempore conflixerunt, quo Pipinus Caroli magni Pater res Gallicas gubernabat. E Caucasijs portis egressos Moscouiam alij primum petijsse narrant; indeque à Romanis Græcisque Imperatoribus aduersus Saracenos, & Persas mercede conductos in limitibus Cappadociæ, & Armeniæ, inter Romanorum (vti dicetur) & Persarum regna consedisse: ac pòst paulò Armeniam, Minoremque Asiam inuasisse memorant.

Leuncl. Bizar. Erpen. Aithon. Cedren. Zonar.

§. 2. Quando noti.

Vnde vnde venerint dubium non est quin initio siue è Caramaniâ, siue aliunde contra Saracenos Persis suppetias laturi eruperint. Cumque Muchametus Persidis, & Chorasmiorum Princeps Bagdati Chalypham bello peteret: tribus millibus Turcorum impetratis, quibus præerat

Togrulbec Salghucida, qui à nostris Tangrolipix dicitur, de hoste triumphauit. Illi tamen postea defecerunt, & se in Carbonitidem solitudinem, quæ iuxta Araxem Asiæ amnem est, subtraxêre: inde Saracenorum agros depopulari ingressi. Imò subinde etiam contra eos missum à Persâ exercitum profligant: eiusque partem non modicam, quę ob rem infeliciter gestam à Principe sibi metuebat, sub signa recipiunt. His copijs alijsque aucti non sunt veriti aperto Marte cum Muchameto confligere: tametsi ille myriadas bellatorum quingentas, centumque elephantes turritos secum traheret; cumque apud Aspacham, siue Spahan superant, & interficiunt; quo factum est vt conspirante vtriusque partis voluntate Togrulbecus Persarum Princeps salutaretur. Et hic eàdem vsus fortunæ propensione, & animis militum spe calentibus, Babylonium Chalyfam adoritur, cædit, & quasdam eius Regni Prouincias suo adijcit imperio, annum circiter Christi CIↃL. Ita passim omnes præter Erpenij Annalistam Arabem: qui Togrulbecum Bagdati Chalyfæ Legatum modò, & quasi Cæsarem more Græco fuisse declaratum, eiusque successores demum Imperium & regnum vsurpasse asserit. Iam verò hi antea Mahometi deliria pro certis oraculis exceperant, eiusque superstitioni, posito præputio, dederant nomen. Vnius ergo fidei vinculum ita vtrosque copulauit, vt Saraceni pro Turcis, & contrà Turci pro Saracenis indiscretâ appellatione aliquamdiu vocati sint; donec, quomodo minores amnes in maioribus aquas nomenque confundunt: Turcarum ita nomen inualuit, vt alterum penitus excideret.

Persas cædunt. *Persidem occupant.* *Saracenicum nomen extinguunt.*

§. 3. *Quid interim Chalyfæ.*

Togrulbeco defuncto successit Axhan filius. Interim & Babylone Chalyfa regnabat, non tam prophanæ, quàm sacræ (fas sit ita cum impijs dicere) auctoritatis titulo clarus; quippe quem tota Mahometanorum turba, tanquam Pseudoprophetæ vicarium, & summum Religionis suæ Pontificem, vt antè dixi, venerabatur. Alius item in Ægypto Laodiceam vsque imperabat: cuius beneficio nescio

qui

qui Halapiam, siue Calepum possedit, & Damascum. Pater is Noradini fuit, quo cum multa Ierosolymitanis Regibus fuit diuturnaque contentio.

Cùm ciuili bello Græcia ferueret, & Michaelem Parapinacium Nicephorus Botoniata premeret, Asiam minorem Turci penetrarunt, Axani * Sultano (hoc enim nomen gentis supremo Principi indi solitum) relictâ Perside: Cutlumuses Togrulbeci consobrinus Romanorum ditionem sui iuris fecit; cuius filius Solimannus Scachus Nicæâ, totâque Asiaticâ Romaniâ per Godofredum Bullonium exutus est: quo tempore pijssimus æquè ac fortissimus Princeps Palæstinam ex Barbarorum manibus ereptum ibat. Et is eas Prouincias Turcis ablatas ingratis Græcis restituit.

Turcorum incrementa.

2.

Gregor. Gr. S.

A Tartaris expulsi.

Nihilominus Togrulbeci posteri Persidem obtinuerunt ad annum vsque ducentesimum supra millesimum, quo à Tartaris eiecti nouas sedes quęrere compulsi sunt.

Leuncl. Hattho Pedro Texeira Ph Mornaus Ptolem Plin. Ortel.

§. 4.

Qui & vnde Tartari.

Tartaros Scythas promiscuè appellant Græci; Moglos esse, vel Mogolenos antiquos Ptolemæi ad Tapuros montes, eosdemque Tocharos Plinij arbitrantur nonnulli. Alij ex Iudęis deriuant. Quippe * Israëlitas esse traductos aiunt, etiam Herodoto teste, vltra Mediam, ad regiones id temporis inhabitatas: & ab his partim Colchos, qui Herodoti tempore circumcidebantur; partim Tartaros (Tataros dicunt non pauci Auctores tum nostri, tum Arabes) originem duxisse opinantur; qui quòd à Maioribus præputio abstinerent faciliori negotio adduci se passi sunt, vt in ritum impij Mahometi transirent. Hi populi Changio, vel * Zingio duce, quem Cham vel Chan, hoc est summum Imperatorem vocant, aliquot post millesimum ducentesimum annis, Abassinorum iugo excusso, ex Cathaiâ, vel Kitaiâ, & Hyperboreis effusi ad Caspium mare descenderunt, obuia quęque sternentes.

3.

4.

Logoth. Auben. Leuncl. Gregor.

§. 5.

Interim Turcæ in Asiam Minorem se recipiunt.

Sultanus Aladin filius natu maior Caichosroæ, horum armis expulsus è Perside, in Asiam minorem migrauit: & pluribus in eâ locis occupatis, sedem Regni Iconij constituit.

tuit. Moriens duos ille reliquit filios: Azadinem (nostri Azathinem, Aithonus Aladinum perperam nominat) & Giassadinem, qui Græcis est Iathathines. Hic ad Alexium, vti suprà in Balduino dictum est, Constantinopolim se recepit, ibique Christo nomen dedit; dein fratri defuncto ex interuallo successit: & hunc ex fratre Azadine nepos cognomine Giassadinus vel Gaiazadinus, Græcis Iathatines alter, excepit. Hic anno regni Ioannis Batazæ nono, à quadam Tartarorum gente, quos Tancharos Logotheta, Tangoros Aithonus appellat, multa passus, à Ioanne Batazâ auxilio impetrato, sæpius cum ijs dimicauit. Nihilominus à Tartaris omni suâ ditione exutus ad Michaelem Palæologum, quem olim hospitio benignè exceperat, iam Constantinopoli regnantem, confugit; nunquam porrò regnum adeptus.

A Tartaris inde expulsi.

Et restituti subinde.

Si tamen Annalibus Musulmannorum credendum est, Gazan Chan, quem Ghin cum Aithono nonnulli, alij Gog vel Gioc (vnâ syllabâ) Chan nominant, Mesooto, & Kei-Cubadi è Selzucia familiâ (ex quâ erat & Iathathines) regnum sub tributo restituit; quorum primo sine liberis mortuo Sahibus quidam è Turcarum primoribus Iconiense regnum vsurpauit. Sed eo pariter breui submoto, Sultanatus Iconiensis, vti mox dicemus, in septem Satrapias distractus est.

Ann. Musulm. Leunclauij. Aithon. Vinc. Bellouac. M. P. Venetus.

§. 6.

Duæ Turcorum familiæ.

Turcorum, qui in Persidem, vti supra dictum est, immigrarunt, duæ principes extitere familiæ. Harum vna Selzucia regnum Belcham, siue Balcham vicinum Chorasani (quam Persidem interiorem Tartariam versus Cedrenus vocat) obtinuit. Altera huic agnata Ogusia nomine, sedem principatus Machanæ: quæ Aiemiæ, siue Persiæ ciuitas erat, constituit. Vtramque profligauit, simul & Bagdati Chalyfam Saracenum Zingis Chan, Tartarorum Dux, atque omnes suis abegit finibus. Et Selzuciæ quidem princeps familiæ Aladinus in regionem Asiæ Ionam, nunc Caramaniam perrupit. Sebastem & Iconium instaurauit: dictusque est Padisçah: hoc est Regulus Iconij. Ex Ogu-

Hist. Musul. Man. Leunclau. Theod. Spanduginus.

sis verò familiâ. Solimannes non segniùs fortuæ insistens Erzingam Armeniæ vrbem se contulit. Vnde in Romaniam Asiaticam, siue Anatoliam penetrans, Amasiam Cappadociæ vrbem: tum Chalepum diripuit. At cum militum inopiâ vrgeretur, & parta ægrè se cohibere posse speraret: in Persidem, quæ melius habere dicebatur, regredi statuit; & in traijciendo Euphrate submergitur. Eius filij duo viam, quam pater occœperat, tenuere; tertius Ertucules ad Aladinem abijt: ab eoque Moesiæ (quâ * Engurim, 5. siue Ancyram Asiaticæ Galatiæ vrbem spectat) * Suguttâ 6. oppido, seu vico impetrato: reliquos inter Iconiensis Dynastæ subditos accensus est.

Huic filius à Musulmannis datur Otman, vel Otsman; §. 7. eius quæ tamdiu deinceps Orientis potita est, Ottomannicæ familiæ princeps, & origo: quæque * Lunæ suæ obiectu, tot astris deliquium luminis attulit. Alij tamen cum Theodoro Spandugino Cantacuseno, eius stirpem ex armentarijs Tartaris, & à villâ Ottomanzicâ (inquit Leunclauius) nomen deducunt: quæ in Anatoliâ est, hodie, si Ortelio & Busbequio fides, Otmanlick scribitur. Mahotes autem Byzantij expugnator, ne ad bubulcos ablegaretur, genus suum ad Isaacium Sebastocratorem Ioannis Comneni Imperatoris fratrem referebat; cuius scilicet filius patruo infensus ad Turcos defecisset, & Sultani Iconij gener factus Solimannem procreasset. Vt vt sit dicendum non è Scythiâ Turcos: sed è Persiâ pulsos à Tartaris in Asiam minorem commigrasse. Et verò Logotheta, Laonicus alijque passim Azathinem, & Iathathinem Aladini posteros Persarchas appellant. Quamquam non desint, qui eos Parthos nominent. Eosdem quippe esse Parthos, & Persas sunt qui opinentur; eo ducti argumento quod etiamnum Persia ab indigenis Pars nuncupetur; vnde pronum fuerit & Parthiam, siue Parthsiam (thetâ molliter, & per sibilum Græcorum more pronuntiato) dici.

Otman vel Otsman. 7.

Busbeq. Iter Amasian. Nicet. Franza. Spandug.

Parthi Persæ.

Pedro Texeira.

Cæterùm Otsman sub Aladine latrocinari cœpit, Nacholiæ castrum ad Sagarium amnem Phrygiæ maioris expugnauit;

Otsmanis initia.

 pugnauit;

pugnauit; & feliciter cum Christianis congressus anno Mahometano, seu Hegira LXXXVII², supra sexcentesimam, qui Christi CIↃCCXC. respondet: ab Aladine Palæpoli donatus est; eoque sine liberis postea defuncto, ditiones suas longè lateque protulit, demum sede Regiâ Neapoli, quam Genischer ipsi dicunt, constitutâ circa annum Christi CIↃCCC, Sultani nomen sibi sumpsit.

§. 8. Asiæ in VII. satrapias diuisio.

At non ille solus: sed itidem alij sex ex eâdem gente Principes in partes septem Michaele Palæologo regnante, Asiam minorem distraxere, & quam quisque tenuit, fere de suo nomine dixere. Et huius quidem diuisionis plurimi meminerunt; in eâ autem explicandâ & enumerandâ in plures, quàm ipsa Asia, de qua agimus, partes abierunt. Amurij primo siue Omeris filij Chasan, & Mahometh à Sangari fluuio ad Paphlagoniam imperarunt. Laonicus ei Paphlagoniam ad Pontum Euxinum attribuit. Sasan Magnesiam, Prienen, Ephesum accepit. Sarchani maritima Ioniæ regio Smyrnam vsque obtigit: quę & Sarchania dicta. Ortelius Sarchum nominat. Caramanus Alisurius partem Phrygiæ maioris, si Franzæ, minoris si Laonico credimus, potiorem vnà cum Ciliciâ, quæ ab eo Caramaniæ nomen sortita est: tum proxima omnia à Mæandro flumine Antiochiam vsque obtinuit. Quinto & sexto loco Calases seu Calames, Carasesque pater & filius à Lydiâ & Aeolide ad Mysiam & Hellespontum; quæ regio Carasia dici cœpit. Otsman demum finitima Olympi montis, & Bithyniam occupauit: eiusque demum posteritas cęteras omnes; quæ in vnam Ottomannicam ditionem & Imperium coaluere, quasi si multi funiculi colligentur, quo sæuius & atrocius, fortiusque flagellum fieret, excitandis à torpore Christianis, eorumque criminibus puniendis. Vti factum esse, ex ijs quæ dicturi sumus, cuiuis patebit.

Laon. Franza. Pachymer. Ann. Musulm.

CAPVT

CAPVT III.

Andronicus filius Michaeli Palæologo succedit. A Turcis & Tarraconensibus Hispanis vexatur.

Anno 1283.

Gregor. Logoth. Pachymer. Franza. Cantacus. Leunel. Laon. Cuspin.

§. 1. Andronici impietas.



Ichaelem Palæologum, anno Christi vti supra diximus, millesimo ducentesimo octogesimo tertio vitâ functum mali corui peius ouum excepit Andronicus: & læuo omine, ad ipsum limen cespitauit. Patrem, quòd cum Ecclesiâ Romanâ aliquando consenserat: ne plebeiæ quidem sepulturæ honore dignatus; iacuitque vtrâque sui parte infortunatus parens, dies plusculos insepultus; donec è primoribus nonnemo, quam exuerat filius, pietate ductus Principis sui cadauer, quasi furtim terræ mandauit. Credo ego, vt Andronico cætera defuissent: hoc vnum scelus calamitates, quæ postea in Græciam inundarunt, aduocare potuisse. Anna Hungarica, iam antea Michaelis soceri obitum præuerterat, binâ prole relictâ: Constantino quidem despotâ, & Michaele Imperatore. Simonidem addit Gregoras. Alteram igitur Andronicus sibi sociauit Irenem vel Iolen aut Iolentam (alij Mariam vocant,) Longobardicam: Regis Hispaniæ ex sorore Beatrice neptem: Bonifacij Regis Thessaliæ, & Marchionis Montisferratensis abneptem aut proneptem ex Bonifacio, vel Guillelmo eius nominis quinto; quem Guillelmus Thessaliæ Rex genuerat. Ex eâ Andronicus tulit Theodorum, qui auo postea, in Marchiâ, vt vocant, Montferratensi successit: & Palæologos in Italiam primus traduxit.

§. 2. Græciæ excidij origo.

Sub Andronico Græcorum res, quæ paululum emerserant: iterum ruere in vltimam perniciem visæ sunt. Caussam

ſam eius mali Gregoras auaritiæ Andronici adſcribit; qui nauticam rem, Imperij neruos diſtraxerit; in ſpeciem quia Carolo Siciliæ Rege ſublato, non erat cur tantam claſſem tolerarent; reuera autem vt ſuæ ſuorumúe cupiditati eiuſmodi pretio obſecundaret. Nonnulli Maſſagetas ſeu Scythas eius ruinæ auctores faciunt: quos Tartarorum iugum pertæſos, ſuas in terras admiſit ad decem virorum millia: eiſque pecuniam & arma largitus eſt; queis illi in Græciç viſcera ſæuierunt: ſunt qui Tarraconenſes Hiſpanos, quos in patriæ ſuæ perniciem imprudens aduocauit; plerique in Turcas Ottomannos, quibus familiarius, quàm par erat, vſus ſit; alij demum aliò huius excidij cauſſam reijciunt. Credo ego & Maſſagetas, & Hiſpanos, & Turcas adminiſtros eius fuiſſe Iuſtitiæ, cuius oculus dormitat nunquam: & quæ grauiſſima ſcelera, laneo quidem pede, at manu ferreâ, per ferreos, ſceleratoſque homines plectere ſolita eſt.

Et de cæteris quidem nonnulla iam prædiximus: de Catalanis ſiue Tarraconenſibus (vti paſſim Græci appellant) Hiſpanis nonnulla ſunt hunc in locum referri digniſſima.

§. 3. Catalanorum in Græciâ facinora.

Catalani pace inter Principes in Siciliâ compoſitâ, piraticam exercebant. Præcipuus eorum Dux Rogerius quidam fuit. Huic cognomen de Empurijs adijciunt nonnulli, Brunduſinum vocant Hiſpani, Germanum origine: cui pater fuerit Ricardus Florus (vnde & Flori nomẽ Rogerio tribuit Moncada) Friderico Auguſto familiaris, ad Manfredoniam cæſus, cum Conradini partes ſequeretur; Cantabrum dicunt alij. Hic poſt captam Ptolemaidem relictâ Templariorum Sodalitate, cui ſe addixerat: cum duobus armatorum millibus Friderico Siciliç Regi aduerſus Carolum Valeſium venerat auxilio, & iam pace duos inter hoſce Principes conſtitutâ piraticam factitabat, cùm quatuor triremibus egregiè inſtructis. Hunc numerum à Græcis traditum plurimum augent Hiſpani ſcriptores, & cum Conſtantinopolim abijſſe referunt cum claſſe nauium

Moncada. Mariana. Laon. Gregor. Franza. Logoth. Tachymer.

octo

octo & triginta; in quibus triremes octodecim, equites mille quingenti, pedites ad quatuor millia. Hos Amogabaros Græci, Hispani * Amulgabares dicebant. Atque eum virum aduersus Turcas accitum, Mariâ nepte suâ Asanis filiâ ei desponsâ, Andronicus magni Ducis, seu Megaducis dignitate exornat: & Senescalli Corbaranum de Alet eius popularem His blandimentis conciliati Catalani Constantinopolim aduenere; vbi mox ortâ inter eos, & Genuenses rixâ vtrimque multi cecidere: sed plures ex Genuensibus, atque inprimis Roseus de Final horum Dux. Re compositâ Catalani Rogerio summo classis Præfecto, Fernando de Haones Thalassiarchâ, siue Admirallio, ijsque Marullo Græco cum turmis aliquot suæ gentis adiuncto, sub vicinum Asię littus Turcas cædunt ad tredecim millia. Rursus Phrygiâ, Mæoniâque penetratis, ad Philadelphiam Pactolo fluuio nobilem, pari euentu cum hostibus pugnarunt, iterumque ab ijs haud procul Epheso dimicatum non minori impiæ gentis strage. Anno CIↃCCCIII cæsos sub monte Tauro ab ijsdem Turcarum equitum sex millia, peditum duodecim refert ex Montanerio Moncada. Magnum momentum his rebus accessit Berengarius Entensa, vel de Intentijs, (Piringerium Tenza dicunt Græci) domo itidem Catalanus, in auxilium cum copijs allectus; qui & ipse magni Ducis titulo cohonestatus est: Rogerio * Cęsaris nomen datum. Berengarium Græci Rogerij consanguineum faciunt, eique socios addunt Pherenzam Zimes, hoc est Ferrandum Ximenes de Arenos (sed hunc statim à Rogerio discessisse scribit Moncada) & alterum Berengarium, cui à Rupe-forti nomen fuit; huicque post Corbarani mortem Senescalli munus commissum.

Amogabari.

1.

2.

§. 4. Catalani Græcis infecti.

Hi sanè Græcis vtilem operam nauauere: plura facturi si vt ipsi fideliter, ita Græci syncerè pactis conuentis stetissent. Sed Andronicus diu stipendia distulit, tum adulterinâ pecuniâ persoluit. Subinde reconciliatis animis stipẽdij vice Asiæ agros in Hispanorũ duces, ac milites describi

iussit: quos illi sub Imperatoris fide possiderent. Sed neque hoc edictum tenuit. Quas iniurias vbi frustra Hispani cum Græcis expostulauerant, conuersis in ipsos armis; Asiam depopulati, rursum in Europam traiecere: ducum periculo, in quos Augusti ira vertit. Hanc accendebat hinc optimatum, & Michaelis Andronici filij inuidia: qui Cęsaris nomen in externo homine non ferebat: illinc Genuensium calumniæ, qui odium priore illo dissidio concitatum nondum posuerant. Rogerius à Michaele Adrianopolim, quasi de rebus magnis deliberatum euocatus, insigni perfidia oppressus est: & confossus à Georgio Alanorum, ac Melecco Turcopulorum ducibus. Tres dumtaxat equites ex Rogerij comitibus euasere. In pluribus alijs Græcię vrbibus Catalani, seu Tarraconenses à plebe item furiosè necati sunt. Quin & Rodericum Perez de S. Cruz, Arnaldum de Moncortes, & Ferrerium de Torellas à Berengarijs ad Andronicum Legatos Byzantinus populus dedi sibi ad necem postulauit; quod cùm negaretur in Raulis, seu Radulfi Paquei (qui Ferrandi Aones socer erat) iniecto igne eos vnà cum domo concremarunt. Cęteri Callipoli, vbi se muniera nt obsessi, magnâ eam virtute propugnarunt. Deinde suis bifariam diuisis, triremes octo Berengario de Entensa, ijs præfecto, ad hellesponti fauces occupandas abiere, reliqui in Thraciam effusi sunt. Hæc fiebant anno CIↃCCCIV. Classis Genuensis forte fortunà ad littora Byzantij appulsà Eduardo d'Oria duce rebus Græcorum opem attulit, classis Catalanorum demersa est, Entensa captus ab ipsis Genuensibus per dolum, inquit Moncada. Paulò pòst tamen duce Rupeforti XXI Iunij eiusdem anni insignem de Græcis victoriam reportarunt, eosque castris exuerunt: interfectis peditum viginti millibus, equitum sex, vno dumtaxat equite Hispano, duobus peditibus desideratis. Ita Moncada, & Mariana. Interim alij Turcorum auxilium nacti, Michaelem Imperatorem ad Apros vrbem fundunt, cæsis XXV Græcorum millibus, (nisi forte eadem sit hæc cum præceden-

Rogerius Catalanorum dux à Græcis oppressus.

te victoria) & vicinam regionem fœdè infestant: Massagetas primò, tum Genuenses prælio superant. Hæc tamen ante aduentum Turcarum gesta esse refert Moncada. Entensam redditâ longo interuallo libertate, cum nouâ classe, quam in Cataloniâ comparauerat, ad littora Græciæ appulsum, rebus præfici Rocafortius non est passus. Ferrandus Ximenes Berengario adhæsit. Inde ciuiles discordiæ, grauesque vtrimque insidiæ comparatæ. A Friderico Rege Siciliæ, cuius auspicijs pugnare cœperant, missus Ferdinandus Balearici Regis minor filius, in pace Catalanos ponere nequiuit. Impetrauit tamen vt facto agmine, quoniam omnis ad Callipolim tractus vastatus erat Neapolim Thraciæ vrbem peterent. In itinere siue disceptatione litis armis permissa, quod aiunt aliqui, siue inopinato à Rocafortis fratribus interemptus (vti refert Moncada) Berengarius cecidit; Ximenes ad Andronicum refugit; à quo præter spem omnem exceptus magni Ducis nomen, & Theodoram Imperatoris neptem vxorem impetrauit. Ferdinandus Balearicus ad Euboeam nauigans à Venetis & Gallicis triremibus, quas ducebat Theobaldus de Sipois Caroli Gallorum Regis legatus, per dolum captus est, & Athenas ductus inde Neapolim transmissus. Rocafortius eiusque frater cum ijs Gallis fœdus facit, eorum que commiserat veniâ apud Aragonios, Siculosque desperatâ. Postea autem vterque, ob superbiam & fastum Gallis inuisi, ab ijs ferro vincti Auersæ in Roberti Neapolitani Regis infensissimi carcere, fame perierunt. Ferdinandus Balearicus redditus libertati Messanæ Isabellam duxit Ludouici neptem, eius qui Gallicæ stirpis postremus Peloponnesi Princeps, sine virili prole, inquiunt auctores Latini, ante aliquot annos decesserat. Iuxta hos dicendum Guillelmo Achaiæ seu Peloponnesi Regulo filium fuisse Ludouicum Villeharduynium, cuius hæc neptis fuerit. Malim tamen pro vtroque vnicum Guillelmum statuere: vtpote qui anno CIƆCCLX aut circiter captus aliquamdiu superuixerit, filiâ vnicâ & herede relictâ, quæ Isabellam hanc

Eorum clades.

hanc genuerit. Ad Catalanos redeo: de quibus nonnulla habet Mariana, ab Gregoræ & Franzæ narratione aliena.

§. 5. Hi porrò tradunt Catalanos Aprinâ victoriâ elatos, & Turcorum atque Turcopulorum (quorum hi Christiani saltem nomine fuisse dicuntur) Chalele & Meleco ducibus, societate roboratos in Macedoniam transiisse, tum superatis locis illis quæ Tempe nominantur in Thessaliam populabundos irruisse. Quum autem minimè lacessendos Thessali Catalanos statuissent, pestem illam pecuniâ redemerunt, datisque viæ ducibus impetrarunt; vt eorum finibus excederent. Igitur in Bæotiam delati ab Athenarum Duce transitum per eius fines, sine cuiusquam fraude postulant. Sed præter conuitia, & minas impetrant nihil. Moncada ait cum Duce pepigisse Hispanos, eoque promissa stipendia denegante, ortum inter eos esse bellum. Eius regionis Princeps, quem olim Primmicerium, inquit Gregoras, nunc verò magnum Dominum appellant: per Autumnum & hyemem vires suas collegit, & quæcunq; ad hostem propulsandum erat necessaria, apparauit. Sub Veris initium Catalani haud procul à Cephiso amne castris positis hostem opperiebantur. Constabat eorum exercitus peditum quatuor, equitum tribus millibus & quingentis. Interea vero dum aduersarios præstolantur, omnem illam terram aratro proscindunt, vbi ipsis pugnare certum erat. Deinde obducto vallo, & actis flumine fossis, totam planitiem sic irrigant, vt stagnaret. In eam cum Atheniensis magno impetu equites immisisset, quā suos inter & hostes interiectam multo gramine virentem conspexerat: equi veluti vinculis impediti, madefactâ terrâ ad gressum subsidente, partim in luto volutari: partim equitibus excussis temerè hac & illac vagari: Hispani verò telis hostes circumuentos internecione delere, & fugientes acerrimè persequi: eo in prælio ipse Dux occubuit. De vniuerso equitatu duo tantum superauere, Bonifacius de Verona, & Rogerius Deslan Ruscinonensis. Et ijs tamen captiuis totius exercitus, adeoque & Prouinciæ Præfecturam victores

Athenienses à Catalaunis victi.

obtulere:

obtulere: mirum dictu, mirabilius autem quod eam Bonifacius recusarit, admiserit Rogerius Thebæ & Athenæ eodem impetu ab ijs interceptæ sunt, & in Arragoniorum Regum potestatem redactæ: qui deinceps & Athenarum Ducis nomen gestauere, ac præsidia Præfectosque aliquantò post hanc victoriam in eas vrbes transmisere.

§. 6. Villeharduynij.

Quis porrò Athenis ab hac Catalanorum manu motus fuerit, in incerto est. Gualterum Briennium statuit Vignerius cum Moncadâ, & Marianâ; additque Clementem Pontificem minacibus ad Aragonium litteris ex Græciâ deduci Catalanos mandasse; Carolo Valesio, in Peloponneso dotales vrbes obtinenti, hac in parte gratificatum. Quo autem iure Briennius Athenis, aut Valesij vxor Peloponneso potiti sint, nihil edisserit. Ottonis de Rupe Villeharduynium suprà docuimus hæredem, & fortasse generum extitisse, adeoque præter Achaiam & Peloponnesum, etiam Athenas Thebasque possedisse, & Villeharduynio quidem Briennius cognationis, aut donationis, siue quâ aliâ lege successisse potuit. In comperto quippe est Briennios, Athenarum Duces passim habitos, & nominatos esse. Iam verò Carolus Valesius Catharinam Philippi Courtehaj, & Beatricis Siculæ filiam vxorem duxit: cuius auus fuerat Balduinus Constantinopolitanus Imperator. An autem aliquas in Peloponneso vrbes Balduinus Byzantio pulsus retinuerit, clam me est. Nam quæ de Siculorum Regum in Græciâ ditionibus, earumque origine tradunt Itali, tam inter se pugnant, quam quæ cæteri passim de * Villeharduynij posteritate enarrant. Atque ea extricare modò non est animus. Notas nostras consule.

In Bald. l. vi. c. vi.

Cæterùm Catalanos, in Græciâ, quod modò explicui, duodecim ipsos annos bellum exercuit; post hæc in Peloponneso pedem fixere, & cum finitimis vario marte sæpius dimicauere.

Turci à Catalanis deficiunt.

Turci iam antea Catalanos deseruerant; & vt ab illis, sic & à se inuicem animis disiuncti, in duas partes abiêre:

quarum vna duce Meleco, post iuratam, atque mox eiuratam Christi fidem, Græcis etiam infidi Crali * Seruiæ se submiserunt. Altera Chalelem secuta est; qui cum reditum in patriam impetrare per Andronicum, qui eis pontem aureum sternere debuerat; non potuissent, in Cherroneso Michaëlis Imperatoris copias deleuerunt. Quâ victoriâ elati Barbari, Thraciam vsque ad ipsa Constantinopolis mœnia ferro & igne deformarunt; vt Græci toto biennio vrbe egredi ad arandum serendumúe non auderent. Aliquanto tamen post tempore à Phile Palæologo Protostratore ad flumen Xerogypsum iuxta Bizyam non paruâ clade affecti, & Cherroneso exire compulsi sunt.

4. Thraciam vastant.

Cæduntur.

CAPVT IV.

Michaëlis obitus. Andronici vtriusque Aui & nepotis dissidia.

§. 1. Ichaël Imperator (nam ab Andronico Patre in Collegam assumptum esse suprà docuimus) cum Thessalonicæ ageret; duorum liberorum Manuëlis, & Annæ, quam Thomæ Nicephori filio Acarnaniæ Principi nuptum elocauerat, præcipiti fato sic perculsus est, vt & ipse statim obierit anno Christi CIↃCCCXXI, IV Idus Octobris, ætatis anno quadragesimo tertio. Manuelis porro mors ita accidit. Meretricem quandam iunior Andronicus, senioris ex Michaële filio nepos deperibat, cuius riualem illa fouere non verebatur, adolescentem formâ longè pulcherrimum. Vnde ille irâ zeloque æstuans, æmulum suum ad necem auidissimè persequebatur, sagittarijs & gladiatoribus propter scorti ædes dispositis. In hos Manuel Andronicum fratrem noctu quæritans incidit; & ab ijs per tenebras, pro adolescente illo agnitus mulierculæ amasio, crebris telis impetitur, lethalique

Cantacuzen. Gregor. Franza.

Michaelis obitus.

Et Manuelis eius filij. Ann 1321.

lethalique vulnere accepto, ac semianimis in palatium ægrè delatus, in ipsius Andronici aui oculis expirauit. Hæc si non prima, maxima certè abalienati à Nepote Imperatoris animi caussa fuit. Nepotis verò in auum odij hanc afferunt, qui pro ipso stant Auctores. Andronicus senior meditari creditus est in Constantinum Despotam, eiusque ex pellice filium Michaëlem, cognomento Catharum Imperium transferre; & verò eam ob rem hunc in aulam euocatum, ad omnia Principis munia, & supra nothi conditionem liberaliter, magnificeque educabat. Magistratus, qui in Imperatoris Andronici, & Michaëlis dum viueret, atque ipsius Andronici iunioris verba iurare consueuerant: soli deinceps seniori, nepote misso, iusiurandum præstare iussi sunt. Vter potiorem irarum & belli nactus sit materiam, nemo facilè dixerit. Quisque suos patronos & defensores reperit. Pro seniore Gregoras scripsit; iuniorem tuetur Cantacuzenus, vterque magni nominis, eiusdemque ætatis scriptor: at vereor ne alteri alter pro iure suo intercedat, & non tam veritati, quàm caussæ suæ patrocinetur. Vtrumque Andronicum in culpâ esse, eâque grauissimâ censeo: qui priuatis odijs Reip. ruinam posthabuerunt. Canes se inuicem quandoque dentibus lacerant: at vbi lupus est in conspectu, mutuâ, quasi datis inducijs, abstinent cæde, dum communem hostem propulsarint. Quod feris bestijs vsuuenit: id in nepote & auo desideratum est. Maluerunt scilicet Barbaris, quam naturæ cedere. Sed frustra id doleo, quod in orthodoxis, nedum in Schismaticis Principibus dolendum quotidie cernimus. Ad rem venio, & quàm possum arctissimè Iliadem, malorum vtique, nũc cohibeo.

Odiorum, & dissidiorum inter nepotem & Auum caussæ.

§. 2. His igitur atque alijs occasionibus permoti, vbi aliquamdiu latentem animi sensum compresserant, aperuerunt tandem; & iunior quidem amicos sibi comparat Syrgianem quendam Comanum, Theodorum Synadenum Protostratorem, Alexium Apocaucum, & quem primò nominatum oportuit Ioannem Cantacuzenum Magnum

Pro nepote qui steterint.

num domesticum. Hi omnes nepoti se addicunt: Cralem (hoc est Principem) Stephanum Tryballum Andronico socero, propter milites suos, diutius quàm conuenerat, ab eo detentos offensum in consiliorum societatem trahunt. Et ipse Andronicus operâ Raphaëlis Doriæ, Federici Spinolæ, & Raphaëlis Temarij Genuensium ipso die, vel certè peruigilio Paschatis anni CIↃCCCXXI. Adrianopolim fugit. Cùm verò is discessum adornaret, equum, de quo alias à nobis commemoratum est, in pariete depictum, cui Diui Georgij insidebat effigies, sæpius acuteque hinnitum edidisse scribit Gregoras, quasi futuri belli classicum caneret.

121. Multi iuniorem Andronicum milites, Germani potissimùm sequebantur: Eorum ope Thraciam, Christopolim vsque, vniuersam occupat; tum verò quinquaginta (quinque legendum autumo) equitum millibus stipatus Constantinopolim versus iter intendit. Hîc omnes trepidare, illi contra seniorem, contra iuniorem alij fremere. Imperator per Eugeniam monacham Michaëlis primi ex filiâ neptem, & Theoliptum Philadelphiensem, quos ad nepotem allegarat, pacem his legibus impetrat: Andronicus iunior re & nomine imperato: Selybriam inter & Christopolim, quæcumque interiacent possideto. Quod Imperij reliquum est, in potestate senioris esto.

§. 3. Bellum renouatur.

Non diu tamen pax illa tenuit. Quippe Syrgianes, Cantacuzeni auctoritatem non ferens, sub hyemis sequentis initium, ad seniorem deficiens, sopitos quasi inimicitiarum igniculos, varijs susurrationibus, veris an falsis, ad huiusmodi homines parum attinet, excitauit. Bellum ergo priori periculosius, vt est in morbos iteratus lapsus, auum inter & nepotem recruduit. Pro seniore, verius pro se ipsis Turci è Perside aduolant; sed nullo vel exiguo emolumento. Georgius Terteres Sphendislabi (Wenceslai arbitror) Mæsorum siue Bulgariæ Regis filius Philippopolim vtrique eripit. Cœterùm illinc vrbium, adeo & Prouinciarum ad iuniorem fit accessio. Constantinus

Despota

Despota cum magnâ militum manu nepotem circumsedet. Is in angustum coactus, quod vi non poterat dolo effecit, vt se manibus eius eriperet. Namque sparsis quaquauersum litteris Despotæ patrui caput, veluti subhastauit, præmio percussori proposito. Iisdem autem Andronici aui obitum proclamari fecit, tamquam si is in seditione Byzantij esset interfectus. Præclarè sanè iuueni cessit supra spem etiam suam huiusmodi dolus; quippe Thessalonicenses Despotam vinculis oneratum ad eum amiserunt: quem in carcerem fœdissimum coniectum, eò adegit, vt is Monachus fieri, quàm tot malis immori maluerit. Igitur in asceterium se abdidit, & crinibus positis, veste & nomine mutatis Callistus dictus est.

Constantinum patruum Andronicus iunior intercipit astu,

Et Monachum facit.

§. 4.

Pax rursum coalescit.

Auus his calamitatibus remollitus: nutabundus tamen adhuc tantisper pacemne eligeret, an bello insisteret, sorti: quod tunc temporis iusto frequentiùs vsurpabatur, consilium commisit: & Psalterij Dauidici libello aperto: Hæc de septuaginta virorum Interpretatione, sententia eius oculis occurrit. *Dum cælestis dissociat Reges: niue dealbabuntur in Selmon* quo lecto manus dedit, & pacem quibus antea conditionibus renouauit anno Christi CIↃCCCXXII. mense Augusto.

Psal. 67.

Andronicus iunior his expeditus Philippopolim per Georgium Briennium (Branam malim) recipit; & Michaëlem Terteris successorem, qui Græcos vrgebat acriter, datâ in vxorem Theodorâ sorore suâ, Wencesslai viduâ, amicitiæ & affinitatis nexu sibi deuincit. Dein anno insequenti qui fuit quartus & vigesimus supra millesimum & trecentesimum, Tætach & Toglutargan Scytharum Duces, cum centum & viginti armatorum millibus, Thraciæ quam diripuerant, spolijs graues, ad Hebrum amnem assecutus frangit & delet.

Iunior rem bellè gerit.

Anno 1324.

Eiusdem anni Augusto mense * Irene Alemannica Andronici iunioris vxor, è viuis abijt nullâ prole relictâ. Ei alteris nuptijs suffecta est Anna Sabaudi Comitis soror, quam anno CIↃCCCXXVII cum iam vigesimum & octa-

I.

Andronicus iunior alteram vxorem ducit Anno 1327.

uum ætatis annum ageret, Andronicus Byzantij duxit. Quibus in nuptijs, ab Italis Annæ comitibus primùm id
2. pugnæ genus edocti Græci, ludos equestres, quos * torneamenta dicebant, populo dederunt: belli sequentis præludia.

§. 5. Tertium inter eos bellum.

Siquidem annum non ampliùs tenuit hæc pacis vmbra veriùs, quàm pax. Eam refregit Andronici Palæologi Protouestiarij, & Metochitæ magni Logothetæ, si Cantacuzenus verum narrat: si verò Gregoræ assentiendum Andronici iunioris ambitio. Tertiùm igitur ad arma non minùs impia, quàm Græciæ vniuersæ perniciosa ventum est. Michaëlem Bulgariæ Principem sororium suum visus est iunior sibi deuinxisse; verùm is ad seniorem non multò pòst defecit; ad quem etiam Crales seu Princeps Seruiæ inclinauit. Iunior sub mensem Octobrem anni secundum Græcos VI^m IↃCCCXXXVI Christi autem
Ann. 1328. CIↃCCCXXVIII, indictione XI. mille trecentis militibus lectis stipatus, ad ipsa Byzantij mænia excurrit auum alloquendi gratiâ: vel certè Theodorum patruum Marchionem Monferratensem: is quippe commodè non ita pridem
3. ex * Italiâ aduenerat. Cuius cùm copia vtriusque peruicaciter negaretur, furoris & minarum plenùs discedit, milites cogit; & quod tum temporis solemne erat; fæderis inter eos nuper icti apographum vexillo præferri iubet: quo testatum cunctis fieret, iurisiurandi religionem ab Auo contemptam esse, & se eius vltorem aduenire. Illico ait Franza, Patris partibus valere iussis Theodorus Marchio seipsum ad nepotis castra transfert, & animos plerique omnes Byzantini ciues. Ianuario mense anni
Ann. 1329. CIↃCCCXXIX Thessalonicam iunior Princeps aduocatur, & apertis vltro portis excipitur: indeque rectâ ad Diui * Demetrij venerabundus processit; hîc quia à Persis

A S. Demetrio Andronicus iunior sanatur.

4. acceptum nuper vulnus nullâ medicorum ope sanari potuerat; oleo è Sancti Martyris corpore iugiter promanante (vnde & myroblitæ nomen sibi peperit) vbi pedem inunxit: continuò sanatus est; vt scias etiam Schismaticis, & infidelibus

Gregor. Cantacuz. Franza.

infidelibus Diuinæ misericordiæ fores nequaquam clausas esse solere, quo ad saniorem mentem reuocentur.

Edessa, Castoria, & aliæ nonnullæ Thessalonicæ exemplum & fortunam secutæ, Andronico se iuniori etiam dedidetunt. Copijs supra modum ex horum oppidorum & Prouinciarum accessione in dies auctior, Byzantium iterum, non tam eius potiundæ, quàm aui sibi demerendi studio, succedit. Pacem igitur; sin minus oris saltem sui copiam vt nepoti faciat, auum etiam atque etiam per quendam muri custodem rogat, & obtestatur. Surdo canebatur; ita senem dementabant, siue adulatorum maligna consilia: siue animo insita ad odium ponendum durities, prope dicam, adamantina. Recedit ergo tantisper ad flumen Nigrum iunior, & dum melior se offerat fortuna, castris positis subsistit. At verò vix tentoria fixerat, cum refigendum fuit. Eum enim opportunè conuenere Byzantini ciues duo, quorum vnus Camaris: alter Castellanus dicebatur: atque ambo pro ciuibus in quodam vrbis loco, propter portam quâ Adrianopolim itur excubabant. Hi propositâ mercede paciscuntur se Andronicum nepotem, totumque adeo eius exercitum in vrbem intromissuros: & pactis steterunt fideliter, infideliter commisso sibi munere defuncti. Namque multo vino empto vicinos excubitores vesperi ita obruunt: vt ij à mortuis solo spiritu, quem altissimum ducebant, distarent; & tametsi exercitus scalas non admodum silenter muris admoueret, nihil penitus exaudirent, obsisterentue. Primi igitur qui subierant reseratâ portâ socium agmen cum Imperatore accipiunt; Cùm nequidquam senioris vel inertiam, vel confidentiam ex agro monitores succussissent. Paulo etenim post Solis occasum quidam è proximis villis accurrerat, & Gyrolimnæ portâ vehementius pulsatâ, eò iunioris exercitum celeri passu ferri, nuntiarat. De secundâ vigiliâ denuo plures rustici è suburbano ad eandem portam confluunt, copias iam portæ quæ Sancti Romani dicebatur, imminere. Quæ cum seniorem Andronicum nonnihil

§. 6. Progressus facit.

Vrbem intercipit.

nihil terruissent; Logothetes tanquam vana terriculamenta reiecit, irrisitque; donec affuerunt qui affirmarent ingressum in vrbem esse iuniorem, passimque ab omnibus Imperatorem salutari. Tum demum vterque sapere, sed serò. Cum enim fugam molirentur adfuit victor Andronicus, palatium occupat: auumque trepidantem, & extrema quæque formidantem bono animo esse iubet. Capta est hoc modo Constantinopolis XIV Cal. Iunias secundum Cantacuzenum, XII iuxta Gregoram, anni CIↃCCCXXIX.

CAPVT V.

Andronici senioris, & Ottomanni obitus. Orchanes huius successor. Andronicus Zacchariam Chio pellit. Cum Crale Seruiæ bellum.

§. I. Andronicus senior Imperio abdicato monachus fieri cogitur.

Greg. Cantacuz. Franza.



Tametsi post expugnatam eo quo diximus modo Constantinopolim, Andronicus iunior specie tenus auum voluit antiquam suam retinere dignitatem: reuera solus ipse Imperium tenuit; seniori censu duplici cum è fisco, tum è vectigali quodam, quod Piken dicebant assignato: ex quibus aureorum circiter viginti quatuor millia in annos singulos captabat. Ita infelix senex Imperio per nepotem primùm; tum verò non longè postea etiam oculorum vsu per ætatis vitium, & ærumnas priuatus est: non tameo nomine infortunatus: quàm quòd eadem sors aures illi reseruasset; quibus cauillos, conuitia, opprobria, & sexcenta huiusmodi quotidie illum haurire necesse erat. Et verò nondum his exsaturatus malis pijssimus, si Deo placet, Nepos operâ Synadeni Protostratoris, auo persuasit, cucullum indueret, & ex Imperatore Monachus, ex Andronico Anthonius fieret,

fieret. Quo in statu duos vt exegit annos, ad vitam transijt alteram; meliorem non ausim dicere, quem in Schismate vixisse constat: ad Ecclesiæ sinum redijsse non constat. Obijt verò anno Christi CIƆCCCXXXII mensis Februarij die XIII. annos natus duos supra septuaginta. Eius obitus. Anno 1332.

§. 2. Ottomanni Victoriæ.

Annal Musulm. Gregor. Cantacuz. Franza. Laon

Qui Turcarum res, dum inter se auus nepósque confligerent, habuerint, facile est cogitatione assequi. Et vt de cæteris taceam, quos antea diximus in septem Satrapias Asiam minorem diuisisse. Ottomannus certè Isnicam, siue Nicæam, Neapolim, & Prusam Græcis eripuit. Et Neapoli quidem, quam Genischer modò appellant, domicilij sui sedem esse voluit. Atq; vt hæc magna sint, Imperium non tam protulisse, quàm stabiliuisse dicet, quicunque sequentibus, quæ dicturi sumus, animum attenderit. Viginti & nouem regni annos Ottomanno tribuunt Annales Turcici, eumque Hegirâ IƆCCXXVII, quæ Christi anno CIƆCCCXXVIII exeunti, vel XXIX ineunti apprimè respondet, fato functum esse tradunt. Mors.

§. 3. Orchanes succedit.

Nicæam quidem Græci paulò antè receperant: quàm is ad Mahometem suum abijsset: at eam Orchanes eius filius, vbi patri iusta persoluit, illico arctissimè circumsessam ad vltimas redegit angustias. Habebat secum è fratribus vnum: (nondum enim impius ille fratres obtruncandi apud Ottomannos mos inualuerat) is Pascha Ali vocabatur: Græci Pasarlum dicunt. Quo eam vrbem obsidione absoluat Andronicus Imperator vere ineunte copias cogit Barbaris, non numero modò, sed etiam animi robore longè impares. Cuius argumento est, quòd plærique non ad traijciendum, sed ad fugiendum, futuri exitus ex suâ ignauiâ iam conscij, comparatos lembos secum detulerant. Acies vtraque ad Pelecanum (Philocrenen vocat Gregoras) Iunio mense congreditur: & licet diem totum pro Græcis stare victoria videretur; inclinante ad Occasum Sole, etiam ad Barbaros illa inclinauit. Cum etenim receptui cani iussisset Imperator, & se cum suis dubiâ iam palmâ referret ad castra: altero pede, (alijs femore) vul- Græcos cædit.

nus excepit: leuiculum illud quidem: at non leuis ruinæ caussam. Græcorum quippe subitò castra peruasit rumor eum Philocrenæ, quò se receperat, Lethaliter saucium animam tantùm non agere. Elabi igitur, & diffluere sparsim exercitum, quà Philocrenem, quà Niceæiatum, quà aliò. Turcæ autem fugientes persequi: à quibus occisi multi, capti non pauci; & Nicæa demum ipsa, spe salutis positâ, hostibus se permisit. Imperator animo quàm corpore magis saucius, ac mærore oppletus Constantinopolim redijt. Hanc cladem immerentis spolijs reparare conatus Martinum Chiensis Insulæ Dominum bello petijt.

§. 4. Andronicus Chium Zaccharix eripit.

Benedictus Zaccharias, seu Centerio Genuensis Chium Insulam possederat, pactâ, vt aliqui aiunt, cum Andronico seniore conditione: vt ad decennium totum nihil omnino tributi penderet; tantùm vrbium munimentis, & turribus Græci Imperatoris vexilla figerentur, quò eam non aliter, quã eius beneficio & fide retineri palam esset. Is verò Benedictus, siue quòd nondum elapsum esset præstitutum tempus: siue quòd absq; præscriptione temporis ab Imperatore eius possessionem sibi comparasset; datâ forsan eius loco Achaiæ, aut Elidis parte: quas Heroldus in ejus concessisse potestatem sub annum CIↃCCLXXXIX; asserit siue quo alio modo Chij Insulæ Dynastiam ad Nicolaum fratrem; & is ad Martinum filium suum transmisit. Certè non aliam huius belli caussam Gregoras, & Franza adducunt, quàm quòd Martini virtus, quâ Barbaros Asianos triremibus infestabat, ei suspecta esset: & opibus eâdem virtute partis nefariè Andronicus inhiaret. His accessit Benedicti Zaccharie iunioris perfidia; qui vt Martinum fratrem expungeret, eiusque hæreditatem inuolaret; currenti, quod aiunt, in scelus Andronico stimulos addidit, eumque in Chium adduxit. Martinum Andronicus vltro se dedentem, Byzantium ablegat: Benedictum Insulæ non Dominum, sed Præfectum constituit. Atque adeo is huic concessioni non acquieuit: vt paulò pòst Galatam profectus, triremibus octo à Genuensibus ciuibus suis impetra-

Impius frater.

tis,

tis, hostili animo in Chium renauigarit: at ille arce frustra tentatâ redire Galatam cogitur: solâ infamiâ & impiâ in fratrem proditione nobilis. Atque hîc eum Comitialis morbus quem ira vehementior, & mæstitia contraxerant, extinxit.

Cantacuz. Gregor. Franza. Iustinian. Herold.

§. 5. Andreas Catanes Phocææ Regulus.

Andronicus, vt hanc labem elueret; in alterum Genuensem, quàm isti eius populari fuerat, mitior aliquantò, & liberalior videri voluit. Erat is Andreas Catanes; quem alij Catalusium, Catagoram nonnulli nominant qui Phocæam nouam à se hostibus ereptam sub Imperatorum clientelâ possidebat. Eum Andronicus, à fide, & virtute collaudatum, iussit in suâ possessione securum agere.

Bellum Græcis à Seruiæ Rege infertur.

Seruiæ Crales, siue Rex Stephanus, Græcis æquè ac Mæsis infensus, quòd horum Princeps Michaël, legitimâ vxore, quæ ipsius Cralis soror erat, temerè, & per summam iniuriam repudiatâ: tametsi plures ex eâ liberos susceperat: cum Andronici iunioris sorore sacrilegas nuptias contraxisset: Achridem vrbem Græci nominis sub Pierio monte sitam adoriri instituit. Andronicus contra eum cum Michaële conspirat: & hic quidem coactò duodecim millium è suis exercitu, atque conductis mercede Scytharum ternis millibus, quà Septentrioni Mons Hæmus obuertitur, in Tryballos impetum facit; Imperator verò per Pelagoniam irruens eiusdem regionis vrbes nonnullas expugnat, & diripit. Crales vtrique diuisis agminibus occurrere periculosum ratus, totas copias aduersus Michaëlem adducit. Erant ei trecenti grauis armaturæ ex Alemanniâ equites, inquit Cantacuzenus: mille Gallos sub eius signa meruisse, & magnitudine corporum, & robore in paucis insignes refert Gregoras. Horum ope Mæsos fundit, ipsumque Michaëlem intercipit: qui ex vulnere in hostium castris, quarto post die vitâ cessit.

Michael Tryballus capitur, & moritur.

§. 6. Contra Tryballos Andronicus insurgit.

Eo mortuo Mæsorum primates Imperatoris sororem vnà cum liberis ad fratrem amittunt: Stephani verò sororem, quæ priùs eidem Michaëli nupta fuerat, atque eiusdem liberos pristinæ dignitati restituunt. Andronicus sorori,

rori, atque adeo sibi factam iniuriam vlturus, parte copiarum contra vim Tryballorum Syrgiani commissa; ipse in Mæsiam irrumpit, Anchialum, Mesembriam, Rhosocastrum & Diampolim per deditionem accipit, tum Byzantium reuertitur.

Stephanus Seruiæ Rex à filio regno exuitur, & vitâ.

At Crales Seruiæ Stephanus, cum Cæsaris filiam duodennem ipse quinquagenario maior duxisset: aliquot pòst annis filius eius, qui iam alterum & vigesimum annum agebat, videns ex eâ liberos esse Patri procreatos: sibique ab ijs metuens, ne regno aliquando pelleretur: Patrem in carcerem condidit; vbi infortunato seni, si non conscio, & iubente; at postea certè approbante filio parricidâ, laqueo guttur elisum est. En quò regnandi cæca fames mortales abripit: vt per eorum mortem, per quos vitam acceperunt, sibi ad infelicissimam felicitatem: viam sternant.

Anno 1333.

Hæc anno Christi CIↃCCCXXXIII. contigêre.

CAPVT VI.

Varijs contra Mæsos, Turcos, aliosque implicatur bellis Andronicus.

§. I.

Orchanes Nicomediam obsidet.

Gregor. Cantacuz. l. Franza. Leon. Arn. A: fulm.



SVb hoc tempus Orchanes Bithyniæ regione totâ potitus: interim dum Christiani Græci, Mæsi, & Bulgari inter se digladiantur, Nicomediam in Sinu Astaceno positam totis viribus oppugnat. Verum collectis tam onerarijs, quàm bellicis nauibus, quas potuit Andronicus, ijsque numerosâ militum manu impositâ, vrbem ab obsidione vindicatum contendit: haud irrito conatu. Siquidem Orchanes antè pacem per Legatos ab eo petijt; quàm is Nicomediense littus teneret. Eâ igitur conditione data, & accepta pax est; vt Barbarus quidem quas à Græcis tulerat, sibi seruaret

Pax cum eo icta.

ret

ret vrbes; reliquas ne infestaret. Receſſit ille quidem tum, propediem ſcilicet rediturus.

Interim Syrgianes, de quo ſuprà, ad Cralem fugit, à quo Tryballorum copijs vniuerſis præfectus, Græcos multis affecit iniurijs. Donec Franciſcus Palæologus, ſimulatâ ab eodem Andronico defectione, in eius amicitiam & familiaritatem per dolum inuectus: aliquando occaſione captatâ, Syrgianem cùm à turbâ ſemouiſſet, iugulauit: quo factum eſt vt cum Andronico fœdus Crales iceret. Et hic nimirum exitus fuit, qui eſſe ſolet, infauſtiſſimus eius, qui auum contra nepotem extulerat. Vt qui cædium ſementem fecerat, cædem meteret. Syrgianis obitus.

Eidem Andronico ſtuduerunt Mæſorum Dynaſtæ, nominatim Raxima Protoueſtiarius, & Philippus Logotheta. At illi Reginam ſuam (quam diximus Andronici ſorore amandatâ rerum potitam) Cralis Stephani materteram ſolio deturbarunt; & Alexandrum Stranzimeri ex Michaëlis ſorore filium Regem ſibi elegerunt. Hic Scytharum auxiliari manu comparatâ, ciuitates quæ ſe Imperatori tradiderant, recuperauit; & Meſembriam obſidione cinxit. Cui cùm occurrit Andronicus, aliud ei à tergo malum enaſcitur. Orchanes quippe, nullâ fractæ fidei religione tactus iterum Nicomediam adoritur. Huc igitur pedem ferre coactus Imperator, Barbaros in fugam vertit, vrbem metu liberauit; tum in Mæſiam, quà Hæmo obiecta eſt, regreſſus Alexandrum perterrefecit, & ad pacem compulit. Hæc ſic confecta eſt, vt hic Anchialum Græcis, ille Mæſis Diampolim redderet; cæterùm ſua quiſque retineret. At eâ ipsâ nocte, cui dies iuriſiurando præſcripta illuxit, neſcio quid in caſtris turbatur, confligitur, vincuntur Græci; vix alio tamen victoris commodo; quàm quòd Meſembria, Græcorum clade auditâ ad Mæſos, eiecto præſidio, defecit. In Græcos diſſidij cauſſam Gregoras: in Mæſos alius regerit. Pax ſubinde confirmata, & Maria Andronici filia Michaëli Aſani Alexandri filio matrimonio iuncta eſt. §. 2. Alexander Mæſorum Rex Græcos bello petit. Orchanes fractâ fide Nicomediam denuo tentat; ſed repellitur. Pax cum Alexandro. Meſembria capta.

Ppp Amurius

Amurius Ioniæ Satrapa, Aegeo pelago transmisso, Thraciæ oram legere ferebatur, aliquid forsan maius his meditans, at ille huius pacis famâ acceptâ, prædâ onustus, Andronico, qui se ad iter accingebat, tempori se subduxit. Et opportunè quidem: nam eodem pœnè tempore in Thessaliam Imperatori proficiscendum fuit; quo illam à Monomacho quodam, eius olim Prætore, nunc occupatore vindicaret: & vrbes quasdam, quas post Gabrielis Stephani Sebastocratoris, Thessaliæ Despotæ obitum Ioannes Acarnaniæ Regulus inuaserat, in antiquum statum assereret. Quod præstitit non magno impendio. Maiori opus fuit, vt Mitylenem Genuensibus eriperet.

In Thessaliam Imp. excurrit.

§. 3.

Phocęentium Regulus Catalusius Lesbum occupat. Anno 1335.

Io.

Annum circiter millesimum trecentesimum tricesimum quintum Rhodij * Equites, (quos Hospitalenses Delios vocat Cantacuzenus,) simulque Cycladum Insularum, & alter Phocæę maritimæ Principes contra Græcum coniurant. Dominicus Andreæ Catanis, vel Catalusij filius Phocææ Dynasta huius expeditionis Dux, & auctor erat. Is quidem Genuâ vndecim triremibus suo sumptu adornatis; à Rhodijs quinque in subsidium, & vnâ è Siciliâ impetratis Lesbum adnauigat. Ac Mitylenæos quidem insperato casu perterritos expugnat: reliqua quotquot erant per Insulam oppidula in suam ditionem redigit. Eressum, & Methymnam, Lesbi seu Mitylenes oppida, tentauit ille tantùm: ciuibus & præsidiarijs fortiter se, suaque tuentibus. Ita Cantacuzenus: Gregoras verò paulò secus. Cum Rhodij, inquit, & Cycladum Princeps opes diripere, & Insulæ ditionem partiri statuissent: Catanes Phocæensium Regulus per astum & dolum suum Mitylenem præsidium induxit: ac exclusis belli, consilijque socijs, sibi totam vindicauit. Andronicus non totis viginti diebus, quatuor & octoginta nauium classe instructâ, Mitylenem aduolat; septem Catanis triremibus obuiam factus; ex ijs duas in fugam vertit, cæteras occupat. Inde Pincernâ Philanthropeno ad Mitylenem obsidione claudendam relicto: Phocæam, cui Odoardus præerat, contendit;

Cantacuz.

Gregor.

Andronicus ei ereptum it.

tendit;

tendit; atque in huius belli societatem Sarchanem Turcam, non longè hinc imperitantem aduocat: infidam, & exitiosam enimuero Christianis in Christianos Barbarorum societatem.

§. 4. Sarchanes Genuensibus infensus.

Sarchanes verò, præter commune gentis in Christianos odium, Genuenses in Phocæâ agentes auersabatur; quòd ij Solimannum, & viginti quatuor nobiles adolescentes Turcarum filios, dolo captos reddere detrectarent; quasi obsidum loco retentos. Adfuerunt vnà tres Aïtinis Ioniæ Satrapæ filij, Cheterus, Amurius, & Suleimasas. Phocæenses strenuè quidem semestrem obsidionem tolerarunt: Genuenses verò Galatæi Byzantinam nobilitatem aduersus Imperatorem armarunt; quo eum à suorum popularium oppugnatione auocarent. At irrita ceciderunt omnia. Et verò quis credat Deum, tam obliquis, ne dicam impijs conatibus fauere velle? Phocæenses igitur, quando nihil aliud sperabatur, Lesbo redditâ, dimissisque Turcarum liberis, pacem impetrarunt. Hinc ad Albanos; Scythas vocat Gregoras, qui facilè in ordinem redacti sunt; tum in Acarnanas itum.

Genuenses Byzantinos aduersus Imp. concitant.

Lesbus recepta.

§. 5. In Acarnaniam Andronicus aduocatur.

Cantacuz. Gregor.

Michaëlis, cognomento Apostatæ facinora superioribus libris demonstrauimus, & posterorum eius vtcunque seriem texuimus. Horum Principatus, qui annos tres supra centum durauerat, hoc demum tempore extinctus est. Ioanne Conto à suis interfecto, Anna eius vidua Protouestiarij filia, cum filio Nicephoro superstes, ægrè sibi subiectas regiones moderabatur; nec enim poterant Primates adduci, vt muliebrem dominationem, & Principis vixdum septennis nomen patienter ferrent. Vtrumque pertæsi plærique Græcum Imperatorem aduocandum esse, & Prouincias has à capite olim reuulsas, tandem reliquo corpori restituendas conclamabant. Nonnulli legitimo Principi, vsque licet iuueni, seruari fidem æquum esse statuebant: ætatem hæredis iuri nec suffragari, nec obesse: potiores viam mediam sequebantur, & hi euicere. Per Legatos ab Imperatore petunt Nicephoro Domestici filiam

 coniungi,

coniungi, Reginam eius matrem pro dignitate haberi, eique à fisco stipendium dari: cæterùm ipse Protectoris titulo contentus Reip. in modum eos viuere pateretur. Andronicus duobus prioribus postulatis annuit: tertium negauit omnino se esse facturum; itaque optionem dedit se Principem, hostemúe mallent eligerent. Ijs igitur in Græci Imperatoris potestate futuros se aientibus Protostratorem Synadenum præposuit. Nicephorum tamen ipsius pueri Pædagogus, nomine Ricardus, clam à Græcis abductum, Patras ad defuncti Achaiæ, & Peloponnesi Principis viduam traduxit: vt ait Gregoras: Cantacuzenus verò in Siciliam ad Principem Tarentinam asportatum asserit, ibique educatum.

§. 6. *Princeps Tarentina Nicephoro præbet auxilium.* Illa verò aliquot pòst annis ei filiam suam despondet: dein quòd abneptis, hæresque esset Balduini secundi, atque adeo Imperatricem se diceret: hanc occasionem nacta partem Imperij saltem aliquam recuperandi: cum armatâ in Acarnaniam classe Nicephorum dimittit. Iam verò antea huius auxilij spe freti Nicolaûs Basilitzes, & Cabasilas à Græcis abalienati Artam Acarnaniæ caput, Synadeno in carcerem coniecto: tum verò alia nonnulla oppida castellaque Nicephori nomine occuparant. Sed vere ineunte aduenienti Imperatori vterque primò, tum & ipse Nicephorus, Tarentinis nequidquam dissuadentibus, se suaque omnia permisere; sicque Acarnania tota Græcis cessit. *Sed is se Græco Imp. dedit.* Ipse autem Nicephorus Aeni Præfecturâ contentus viginti pòst annis vixit: demum contra Albanos dimicans occubuit: finemque Aetolorum, Acarnanum, Epiri, & Thessaliæ imposuit Principatui. Est porro Aenus Thraciæ vrbs, propter quam Hebrus fluuius in mare se euoluit. Et hâc potiti aliquando sunt Catelusij Lesbi Reguli.

§. 7. *Orchanes Nicomediam astu intercipit.* At verò dum sic noua recuperat Andronicus, hinc amittit vetera: Orchanes namque Nicomediæ inhiabat, quam iam semel infeliciori ausu attentarat. Armis igitur ille parum fidens, fraudibus tutiorem sibi aditum aperiendum credidit. Eius itaque vrbis Præfectum sibi demeretur, à


quo

quo cùm ad filij nuptias inuitaretur, Constantinopolim misit, quò pretiosissima quæque compararent: dicerentque nuptijs isthæc munera apparari. Interim cistas non mercibus istis, quod fingebat: sed viris replet, camelisque imponit: ipse quadraginta viris lectissimis stipatus subsequitur: cistas sub noctem aperit, atque ciuitatem occupat. Hinc Nicæam sedem Imperij Orchanes transtulit: Prusâ cum * Sangiacatus titulo filio relictâ; vnde Becsangil ab Ortelio dicta est, pro Beg-sanzac-ili, quod Begi seu Domini Sangiaci ditionem sonat. Dein Atzlan Bego Carasis filio anno Christi CIↃCCCXXXVI defuncto Carasinam regionem totam sibi vsurpauit. 2. Ann. 1336.

Obijt Andronicus iunior in Hodegio Monasterio; quò se pietatis, & religionis caussâ contulerat, mense Iunio anni ab orbe secundum Græcos condito VI^m IↃCCCXLIX, Christi CIↃCCCXLI. Regni, si à captâ Constantinopoli numeres, decimo quarto: non vigesimo, vt deprauatè Cantacuzenus habet, & Franza, ætatis verò quadragesimo quinto. Ex Irene Alemannâ prolem nullam: ex Annâ filias duas suscepit; quarum vnam Mæsorum Principi nuptam prædiximus: altera Orchani postea data est: mares duos Ioannem Imperatorem, & Manuelem. Andronici mors. Anno 1341. Anno 1341.

CAPVT VII.

Discordiæ inter Ioannem Palæologum Imp. pupillum, & Ioannem Cantacuzenum Tutorem ortæ Imperium ad ruinam trahunt.



AVum inter nepotemque natas, renatasque discordias, quas modo scribebamus: ludum fuisse haud iniuriâ dixerim, præ vt huius dissidij, quod pupillum contra tutorem armauit, rabies dabit. Et si quis huius infelicis Imperij sensim, non sine

sine sensu in ruinam euntis actus & tempora inter se composuerit, Tragœdiam dicet: cuius Protasim auus nepósque dederunt; catastasim tutor & pupillus; & qui post eos in hanc quasi scenam à me prodibunt, epitasim acturi videbuntur.

§. 1. Ioannes Cantacuzenus Ioannis Imp. tutor.

Ioannes Andronici iunioris filiorum natu grandior, nonum vix ætatis annum excesserat, cùm Pater è viuis abijt. Et hic filio tutorem cum summâ potestate, regnique curatorem Ioannem Cantacuzenum Magnum Domesticum, ex testamento præfecerat, dum puer adolesceret. Cui etiam eiusdem Cantacuzeni filiam, nomine Helenam paulò antè quàm excederet, desponderat. Nimirum quantùm Cantacuzeno debuisset, & quàm multis ab eo beneficijs affectus esset, dum aduiueret Andronicus, nesciebat nemo. Et si verum fateri vellent ex aulâ Principes viri, nullum ab ingenio, prudentiâ, fide, rerumque bene gestarum famâ instructiorem, magisque idoneum huic muneri reperirent. Supra omnes facilè auctoritate; non tamen supra inuidiam erat.

Cantacuz. Leonic. Franza.

Eius virtus,

§. 2. Et facinora.

Iam verò sub ipsius publicæ rei administrationis initium; felici auspicio Gyaxem, Sarchanis Turcæ Lydiæ Satrapæ Legatum: qui Thraciam, Andronici morte factus audacior, depopulaturus irruerat, cæcidit: atque ad pacem petendam ipsum Sarchanem coëgit; quod idem Orchani Bithyniæ Regi factitatum. Eius virtutis, & prudentiæ terrore, vel amore allecti qui in Peloponneso dominabantur Latini, Græcorum se Imperio submiserunt: ab ijsque sacramentum accepit Imperatoris nomine Cantacuzenus; at ipsa victoriæ, lætitiæque seges sementem odij, & indignationis æmulis ministrauit. Apocaucus quidam ex ignobili loco ad sacri cubiculi Præfecturam euectus, dissidij huius auctor primus extitit, suo malo, vt solet: quod alijs adhuc exemplis luculentè probabimus. Is homo Patriarcham, proceres permultos, ipsamq; Reginam: atque adeo Andronicum Asanem Cantacuzeni socerum, falsis plerumq; criminationibus, in ipsum commouit,

Apocauci inuidiâ proceres Cantacuzeno aduersantur.

de

de ambitu accusatio potior. Omnes hi eiusmodi calumnijs occupati, pro se quisque contra Domesticum insurgunt: eius matrem cum Andronico, alijsque eiusdem consanguineis domi apposità custodiâ detinent. Apocaucum, quò maximè contendebat, vrbi præficiunt octauo Idus Octobris. Litteras insuper Imperatoris pueri nomine, & sigillo munitas ad cæteras Imperij vrbes quaquauersum destinant, quibus pronuntiabatur Cantacuzenum hostis loco habendum, & ei arma inferenda esse. Hostemque eum pronuntiant.

§. 3.

Is sanè, harum omnium rerum ignarus Didymotichi agebat; sed mox per amicos, quos eo nomine eius aduersarij vrbe expulerant, eorum quæ gesta erant fit certior. Tum verò per Cyriacum quendam à Reginâ ad se missum accipit de Imperatorij Consilij decreto edictum esse: vt ipse magistratu suo se abdicet: domi priuatus viuat: atque vt ne Didymoticho pedem quoquam efferat: caussas eius edicti breui vulgandas. Ille & huius facti acerbitate, & propriâ, quam non satis hactenus celauerat ambitione perpulsus, adeo non obtemperauit: vt continuò tutoris personâ positâ, Imperatoris insignia & nomen sumserit; epistolas cynnabari, vt mos erat Græcis Regibus, exaratas ad vrbes & Prouincias scripsit: quibus se Ioannis Palæologi Imperatoris non iam tutorem, quod hactenus egerat, sed collegam, & Nouæ Romæ Imperatorem esse ex defuncti Andronici voluntate profitetur. Dein inaugurationi dies dicta; in quâ cultu regio processit, atque vnà cum Irene Augustâ haud dispari ornatu collucente, à Lazaro Patriarchâ Ierosolymitano coronatur: præcone solemni ritu acclamante: Annæ Augustæ, Ioanni Palæologo, & Ioanni Cantacuzeno cum Irene coniuge Augustis Romanorum Imperatoribus salus & victoria. Imperatoris nomen ipse assumit.

At hoc temporis & loci à quibusdam superstitiosè singula, quæ cum in creationibus, tum inaugurationibus Imperatorum accidebant, quasi tot futuræ sortis argumenta, rimari & pensare solitis, adnotatum sinistri nescio quid portenti. Nam interiorem noui Regis vestem plus æquo Eius inauguratio.

strictam

ſtrictam eſſe contigit: vt quamuis multum diſtenta corpus operire non poſſet; exteriorem planè contrà laxiorem quàm par eſſet. Quæ nonnulli quidem ſic interpretati ſunt, vt principia Imperij ſcilicet admodum arcta, & impedita: reliqua verò lata & expedita in progreſſu fore augurarentur. Erant qui ſecus omnia hæc ominati: quæ paterent ſanè ſpecioſa omnino, & aperta videri: at vbi ad intima ventum fuerit, nihil niſi anguſtias, & preſſuras repertum iri cenſerent.

§. 4. Græcia à vicinis laceratur.

Lacrymis dignus planè Græciæ ſtatus: vbi quieto eſſe non licet: & vt potiorem ſanioremque partem delegeris, tutiorem non reperias. Internitet veri, iuriſque ſplendor aliquis, ſed à fulgure; vt in cæcâ tempeſtate à nautis conſpici ſolet: & ea ipſa quæ vtriuſlibet partis fortunam fulciunt, Reipublicæ euertunt. Quid interea vicini Moeſi, Tryballi, Turcæ? Rogas? quæ in naufragio ſolent littori adſidentes populi. Pro ſe quiſque, non ad naufragos ſeruandos, ſed ad tabulas, vaſa, cæteraque maris eiectamenta manus admouent.

Mœſis.

Alexander Moeſorum, ſeu Bulgarorum Rex vrbes Thraciæ diripere inſtitit: tum vbi Turcos hoſtes ſenſit Cantacuzeno primùm, dein Palæologo adhæſit: pactâ prius mercede vt Stenimachum & Zepenæ cùm maiores tum minores (erant autem numero nouem) ei in perpetuum cederent. Haud minori ſtetit

Tryballis.

Cantacuzeno Cralis Seruiæ, & Tryballorum Principis amicitia: quippe Scopiam, Bleſſum, Melenicum, & quaſcunque alias à Græcis vrbes per vim rapuerat; iure deinceps vt ſibi retineret conceſſit, qui in eas iuris vmquam habuerat nihil. Et nihilo plus egit Cantacuzenus, quàm ſi eas non dediſſet; ita parum in icto fædere ſibi alter conſtitit Crales. Germanos tamen cataphractos, quos ad eum ſtatim à pactis miſerat, fruſtra repetijt: quippe ij Tryballi leuitatem deteſtati Cantacuzeno operam ſuam porrò nauare perrexerunt. Eidem ſuppetias venerat Amurius Turca: at dum is alienis ſtudet, & cum ſocio Theſſaliam vaſtat, Smyrnam ei Rhodij Equites ſurripuêre.

Orchanes

Orchanes à partibus eiusdem Cantacuzeni stetit, & in Byzantio subiectos campos hostiliter grassatus est. Hunc, quo sibi Cantacuzenus fortiori necessitudinis nexu obligaret, Theodoram filiam non est veritus eidem despondere. Tertius itidem Turca Solimannes Sarchanis filius non tam ad bellum, quàm ad prædam accurrit: verùm Cantacuzeno militantem improuisa mors occupauit. Crales inter hæc in partem prædæ vt veniret tempori, sedulam dedit operam. Posteaquam igitur is Pheras, aliaque Macedoniæ oppida: tum Thessaliam totam, demptâ Thessalonicâ, dein Acarnaniam etiam armis subiecerat; palam se Græcorum & Tryballorum Imperatorem: filiumque Cralem, siue Regem pronuntiat. Hæc in continenti. Aliâ ex parte Genuenses aliquot nobiles triginta duabus triremibus suo sumptu ad bellum egregiè instructis in Chium nauigant, obsident, vsurpant. §. 5. Turcis.

CAPVT VIII.

Pergunt socer generque dissidere. Turci pedem figunt in Europâ. Vtriusque Cantacuzeni Imperij finis.

Auct. qui supra.



Onstantinopolim redeo, Palæologi, eiusque factionis hominum studia, consiliaque exploraturus. Apocaucus, vir sæuus, & maximè asper, vrbem interea non tam regebat, quàm opprimebat. Is posteaquam, quemadmodum alienis, ita etiam suis grauiorem in dies esse se ipse senserat; iamque de ipsiusmet liberis duo ad Cantacuzenum misso Patre fugerant: plerosque ex vtroque ordine ciues ob leues suspiciones in carcerem conijcit; &, vt quisque crudelior est, eo minùs §. 1. Apocauci mors.

ſecurus viuit: arctiorem dum captis cuſtodiam extruit: ij clauſtris perfractis Apocaucum ſecus eas ædes ambulantem occidunt: quamuis & ipſi ad vnum omnes ſubinde à ſatellitibus intercepti, viciſſim enecti perierint. Hunc finem habuit Apocaucus, quem prædixeram: & iuxta Dauidis Prophetiam: *incidit in foueam quam fecit.* Pſal. 7.

§. 2. Patriarcha exauctoratur.

Interiectis diebus à Patriarchâ diſſentire Anna Auguſta cœpit, & ſimultatem primò clam, tum etiam palam exercere; eò demum hæc odia euaſerunt: vt aduerſus eum Synodum coëgerit. Conuocatur clerus, ipſa cum filio pænè impubere, ac decimum quintum ætatis annum vix agente conſilio præeſt: & quà minis, quà rationibus euincit, vt * Patriarcha exauctoraretur. Monſtrum acephalum, quia biceps. Eccleſiæ ſcilicet Orientalis caput mulier, & puer: vterque regi, quàm regere, non dico ſacra, ſed prophana aptior. Habent Angli quos imitantur, Hæretici Schiſmaticos, Annam cum Eliſabethâ, Ioannem cum Eduardo ſi conferant, videant ne ſimile vtroſque maneat exitium.

Rex & Regina Eccleſiæ Orient. caput.

1.

Byzantium occupat Cantacuzenus.

Dum hæc agerentur, amicorum nonnulli Cantacuzenum monent, occaſionem præterlabi otioſè ne ſinat: Byzantium aduolet; fortunam ipſam manus vltro dare. Paret. portâ, quæ dicebatur aurea, perfoſsâ in vrbem inducitur: excipitur beneuolè etiam ab ijs, quos infenſiores antehac ſenſerat. Pax initur, Ioannes Palæologus cum Ioanne Cantacuzeno imperat. Acta ſunt hæc anno Chriſtiano CIϽCCCXLVIII, * indictione primâ, VII Idus Februarij.

Pax.

Anno 1348.

2.

§. 3. Genuenſium cum Venetis diſcordia.

Hæc bellè; peſſimè verò & temerè orto Genuenſes inter & Venetos bello, Græci; quibus pronum erat iuxta ac vtile, ne dicam neceſſarium neutri ſe apertè factioni addicere, à Venetis ſteterunt. His præerat Nicolaus Piſanus; & eo ſe bello illigarant præter Græcos etiam Hiſpanienſes, de quibus antè dicebamus, Duce eorum Punſone Ntiſantæ vel Diſantæ filio: cui ſubinde defuncto ſucceſſit Monean de Scoltis. A Græcis porrò Genuenſes laceſſiti, viciſſim contra eos arma expediunt, ac Heracleam expugnant,

ductu

ductu & Imperio Pagani Doriæ, & * Martini demori: 3.
qui etiam paulò pôst Sozopolim occuparunt. His socium belli se præbuit & ipse Orchanes: mirè lætus his Christianorum diuortijs, vires suas roborari, ditionesque proferri. Non diu hæc Italorum bella tenuerunt: mutuâ voluntate pax inter eos renouata: inter Imperatores verò discordiæ.

Bellum contra socerum instaurat Palæologus.

Calo-Ioannes (ita enim à Græcis dici cœpit) Palæologus classicum primus contra collegam canit: eum proditorem, perfidum inclamat: qui pactis non stet, sed in Matthæum filium Imperium transferre moliatur. Et verò Byzantium à Cantacuzeno tentat abducere: quòd cum ei consilium non perinde cessisset: Thessalonicam diuertit. Cantacuzenus contrà Byzantij Matthæum filium Imperatorem pronuntiat, regnique, Ioanne Palæologo omisso, successorem: deinde eum Andrianopolim, partes illas in suâ parentisque fide retenturum dimittit: atque æmulo, si quà occurreret, obijcit. At Turcis satius erat occurrere.

§. 4.

Turci in Europâ pedem figunt. Anno 1357.

Annal. Musulm. Cantacuz. Laon. Franza. Cuspin.

Illi siquidem annum circiter Christi CIƆCCCLVII Solimanno Orchanis etiamtum superstitis filio Duce, Hellesponti fauces traiecerant: & primùm, pro dolor! occupatâ Tzympe, seu Zemenico, tum Madyti munitionibus Thraciæ regionis expugnatis, pedem in Europâ fixerant. Impetrarat Cantacuzenus (si ei fides hâc in re, quàm cæteri omnes tacent, est adhibenda) ab Orchane genero: vt denis aureorum millibus intercepta ab ijs loca liceret redimere; cum nec opinatò immanis superueniens terræ motus vere ineunte, primâ face maritimas Thraciæ vrbes propemodum omnes euertit. Populi, quos ruinæ non operuerant, videntes se neque muros collapsos facilè posse instaurare, neque incursantibus obsistere: ad proximas vrbes contendebant; sed plerique omnes vel frigoribus enecti: vel ab ipsis Barbaris intercepti perierunt. Siquidem illi cognito vrbium mænia corruisse, diluculo in fugientes irruunt, vrbes occupant, earum munimenta restituunt, præsidium imponunt. Potissimùm Calliopoli Solimannus, Pegis eò profectus, euersa reædificare, murosque va-

lidiores quàm ij ante ruinam essent, construere laborauit. Et vt sæpius hac de re apud Orchanem generum socer quereretur: ac quadraginta aureorum offerret, millia: præter verba, & ludibria nihil retulit. Documento futurus posteris, quàm vana sit, Christianorum in Barbarico fædere fiducia; quiue fructus ex impijssimo sperandus esset coniugio. Hęc Musulmanni ad annum vt summùm LVIII, supra millesimum, ac trecentesimum, & bene meo iudicio, reijciunt. Cantacuzenus perperam Callisto patriarchatu iam functo subnectit: is enim Philotheo cessit anno demum eius sæculi sexagesimo; quo Orchanem eiusque filium Solimannum, biennio, aut sesquianno, vt minimùm, antè è viuis abijsse constat.

§. 5. Pax inter Græcos.

Palæologus, inter hæc Adrianopolitanâ in arce Matthæum Cantacuzenum obsidet; cuius pater Byzantio egressus Græcis, Turcis, Hispaniensibusque stipatus Calo-Ioannem his viribus imparem ab obsidione auertit. Huic illico Tryballus & Mæsus operam pollicentur; & præstant non tam Cantacuzeni, quàm ipsius Græciæ damno. Eidem Genuenses, atque adeo Franciscus ipse Catalusius classem suam vtendam obtulere: cuius ope, Byzantium ab amicis euocatus sese insinuat, & Cantacuzeno reconciliatur. Pax denuò coalescit: non aliâ conditione superiectâ: quàm vt Matthæo titulum Imperatoris gerere, & Adrianopolim cum ijs vrbibus, quæ ad Rhodopen montem sitæ sunt, retinere, quoad viuet, liceat. His peractis ipse Ioannes Cantacuzenus tam variæ, lubricæque fortunæ pertæsus, Imperio, cunctisque deinceps honoribus se abdicat; vxore mariti exemplum sequente. Et ambo monasticen professi, ille in Manganensi, hæc in S. Marthæ asceterio: nomine mutato de more, ex Ioanne Ioasaph, ex Irene Eugenia dicti sunt. Felices si vnà cum cucullo etiam orthodoxam fidem, sine quâ nulla salus, ne in ipsa Eremo, quantumuis horridâ reperitur, induissent.

Ioa. Cantacuzenus eiusque vxor sæculo valedicunt.

§. 6. Eius filius Matthæus longiori fortunæ procellâ iactatus non eundem cum patre portum tenuit. Post Cralis siue Regis *Laon. Cantacuz.*

gis Tryballorum obitum variæ in eo regno exortæ sunt turbæ, de quibus Laonicum audire operæ pretium erit, ad reliquam historiæ seriem intellectu faciliùs capiendam. Is ergo ita ait: Tryballorum Rex siue Crales Stephanus Prouincias suas, quà hæreditate, quà bello partas, ita dispertijt, Præfectisque commisit. Macedoniam quæ Axio adiacet flumini Zarco: quæ à Pheris ad Axium excurrit Pogdano regendas attribuit. Hinc ad Istrum Chrati vel Chrali, & Vnglesi fratribus: Istro autem confinem regionem Bulco Eleazaro Branci filio addixit; Trica & Castoria Nicolao Zupano; Ochris demum & Prilisbea Pladicę cesserunt. Hi porrò omnes post Stephani obitum ea quisque sibi loca vsurparunt, ex Præfectis Reguli & Principes effecti. Stephano tamen filium Vresem dictum Cantacuzenus adscribit. Quis Matthæi demum Cantacuzeni finis fuerit, inquirendum.

Tryballi Regij ditionum descriptio.

§. 7. Finis Imperij Matthæi Cantacuzeni.

Simon patruus Acarnaniæ Præfectus infestabat nepotem, conatus eam hæreditatem, quam alter ex legum naturæ, gentiumque præscripto cernere occœperat, in se transferre. Purpuratorum animi in diuersa scinduntur; pars eorum Matthæum Cantacuzenum à Calo-Ioanne non ita pridem dissidentem, euocant. Ille numerosâ Turcarum manu comitatus aduolat; sed vixdum pedem in Prouinciam illam intulerat: cum panicus nescio quis terror Barbaros inuasit, & nemine persequente in fugam egit præcipites. Matthæus à suis eodem œstro perculsis desertus, in canneta se abdit: vbi à Philippensibus deprehensus & captus, per Boichnam Triballum Calo-Ioanni traditus, imperio exutus est. Peloponnesum tamen Manuel Matthęi frater, & post eum Ioannes & Demetrius * Matthęi filij possederunt. Hactenus Cantacuzenus; cui in multis potiores, quàm Franzæ aut Laonico dedimus. Cantacuzenum patrem regnasse annos sex, menses septem nonnulli tradunt vero similiter. Vnde enim exactè numeros ineam non habeo: ita temporis ratio in Cantacuzeno perturbata & implexa, in Franza inemendata est.

4.

CAPVT IX.

Orchanis & Solimanni obitus. Amurathes Masos, Tryballos, & ipsum Græcorum Imperatorem varijs cladibus affectos, sibi vectigales facit.

§. I. Solimanni & Orchanis mors. Anno 1359.



Olimannum, magnum Christiani nominis exitium, homines & regna venari inoffenso pede solitum, lepusculum venantem mors occupauit; quippe effusis habenis equum concitans in scrobem incidit, & perijt. Eum Orchanes pater siue mœrore, siue senio confectus duobus pòst mensibus insecutus est: anno Christiano quinquagesimo nono post millesimum & trecentesimum. Ita Annalista Turcus, cui libentiùs hâc in parte, quam Laonico assentimur. Horum Imperium excepit Amurathes Can, qui primo sui regni anno infaustissimum Græcis tirocinium bello posuit. Continuò enim Tzurulum, Pyrgous, Kisson, & Ipsalam Thraciæ loca intercepit. Inde etiam Didymotichum astu Græcis eripuit. Cum enim eius vrbis Præfectus (Teggiurem Turci dicunt) vnà cum Græcis fabris etiam Turcos ad munimenta reparanda adhiberi pateretur: ijs quadam die Chazisil-begus, cumque eo milites complures fabros mentiti se immiscuerunt; atque ita quando ad meridiem ciues pransum se receperant: Turci vacuas plateas & compita nacti, simulatâ rixâ ad portam accurrunt, arma rapiunt, custodes iugulant, vrbemque diripiunt. Rhedestum subinde, nec multò pòst simili calliditate etiam Adrianopolim idem Il-Begus intercepit. Enimuero Sinoni illi Barbaro fidere ausus est incautus Græcus eius vrbis

Arn. Nusulm. Franza. Laon.

Murathes seu Amurathes succedit, & Græcorum spolijs ditatur.

Præfectus:

Præfectus: & Begum quasi à Murathe defecisset; atque alios, aliosque deinceps Turcos milites, transfugas scilicet, ad ducentos admisit: qui portis effractis sub noctem socios præstolantes exceperunt. Ita Turcorum Annalista. Laonicus per rimam, quâ in campos ex vrbe egressum adolescentem aduerterant, Turcas in eam irrepsisse narrat. Vt vt sit, eodem die, quo hinc Adrianopolis à Bego: isthinc ab alijs Murathis Ducibus Selybria capiebatur.

§. 2. Genissaros Murathes instituit.

Porrò Adrianopolim Murathes illico se transtulit, sedemque in eâ, quoad viuere licuit, regni collocauit. Idem * Genisaros Turcicæ militiæ robur instituit. Hi parentibus Christianis orti, vt ab ijs crudeliter auulsi sunt: atque impios Mahometi ritus edocti, tum ad omnem laborum tolerantiam durati, & belli artibus sumptu publico efformati: paulatim posteaquam se probarunt, per varios honorum gradus ad primas non rarò dignitates ascendunt; hostes Christiani nominis capitales in paucis. 1.

Mæsos & Tryballos subijcit.

Ab eodem Murathe Philippopolis capta est. Hinc aduersus Susmanum Alexandri filium Mæsis imperitantem Barbarus mouet, Pheras expugnat, locaque Rhodope vicina occupat. Susmanus quidem supplex factus pacem à Tyranno, * datâ ei in vxorem filiâ impetrauit. * Tryballi quemadmodum à fortunâ, sic à Barbaro nihilo clementiùs habiti. Zagorâ etenim siue Debelto, & Ischebole, quam Scopelon veteres vocauerunt, ab hoste occupatis: se suosque omnes eidem Lazarus submisit, vectigalemque constituit. Hic quidem, vti diximus, ad Istrum regnabat: at vbi Vngleses Chratesque obiere, Pristino & Nistrâ subactis, ad flumen vsque Sauum progressus est. 2. 3.

§. 3. Eique se Calo-Ioannes.

Vicinorum ignes, & incendia cominus intuens Calo-Ioannes suam rem agi ratus: nec temerè clades illas, non tam prænuntias, quàm vltimæ Græcorum ruinæ caussas arbitratus; quò ijs occurreret secum reputare cœpit. At omnes aditus ad auxilia siue à Latinis, siue à vicinis accersenda occlusos esse iudicauit; hi enim sub Tyranno gemebundi ne oculis quidem adnutare audebant: illi bellis

intestinis

intestinis implicati seipsos seruare vix poterant. E cœlo igitur opem implorare oportebat, Deumque sibi placatum reddere; à quo Græcorum, ipsiusque adeo Regis sceleribus infenso hæc tela iaciebantur. Quî enim à capite suaues benignosque influxus ea membra sperarent, quæ à reliquo corpore per hæreses fœdè diuulsa esse viderentur? At ægro animi Calo-Ioanni, & quò se verteret incerto, diuini numinis memoria non occurrit. Itaque, quod postremò, nec nisi ad vltimæ necessitatis metas redacto faciendum fuit: abiectè & miserabiliter se ipse vltro Tyranno subdidit: tributum pendere, filiosque non tam obsides fidei suæ, quam infamiæ testes, & Barbari mancipia, ad eius aulam, (Portam ipsi vocant) & cum Domino visum fuerit, etiam ad signa sequenda mittere pollicitus: Ita turpiter Orientis Imperium sub Mahometanæ Lunæ exortum occidit. Quod etiam postea secutum est vrbis ipsius excidium tolerabilius aliquantò mihi semper visum est: quàm hæc importuna deditio; & Constantinum vltimum Calo-Ioanni auo nemo non prætulerit: qui vitâ, quàm libertate, (si quæ supererat) defungi maluerit; & patriæ Imperioque morienti superstes, ingloriam vitam trahere refugerit: Calo, deinceps certè Caco-Ioanni filij fuerunt Andronicus Despota, Manuel, Theodorus Porphyrogenitus, & Demetrius item Despota. Horum natu maximum in vrbe manere Pater iussit: Manuelem præesse Thessalonicæ, Theodorum Amurathi præsto esse, & armatum sequi, quócunque is bellum auertisset.

§. 4. *Muratis progressus.* At Barbarus eâdem semper felicitate vsus Dragazem Zarci filium, qui se Mæsorum Regem dicebat, vectigalem fecit, & Pogdani regionem occupauit; pro quibus consule, quæ capite superiori diximus. Tum regionem * Hemidam, vrbem Aspropolim, siue Albam Anatoliæ, Hierapolim, Geluazen, Magalgaram anno eius sæculi LXXXIII in potestatem accepit. Tribus pòst annis Diramam, vel Diren, Zichnam, Serras in aditu Macedoniæ, Manastirum, & Selerucam suo adiecit Imperio. Anno dein proximè insequente

Ann. Musulm. Tand. Leuncl. Leon. Franza.

4. *Anno 1383.*

insequente Aladinum Caramanoglium, siue Caramanni abnepotem bello superauit: nondum tamen ditione exuit.

§. 5. Contra Hungaros pugnaturus Græcum Imp. secum ducit.

Aduersus Hungaros bellum paulò pòst moliebatur Tyrannus: vt videbat sibi nihil iam vsquam obstare, quo minùs victorem exercitum longè lateque diffunderet. Eo in bello non iam Græci Regis filios, quod factitarat hactenus: sed Regem ipsum sua sub signa contra Christianum Principem; Byzantinisque Imperatoribus sanguine, atque amicitiâ pridem iunctum, militare Murathes voluit. Paruit infelix; & quemadmodum Turca Siausem vel Sauzem (Mosem malè Franza nominat) Zelebem id est nobilem, filiorum natu maximum in Europâ: ita & Calo-Ioannes Andronicum Byzantij pro se, dum abesset, regnare iussit.

Muratis & Calo-Ioannis filij in Parentes rebellant.

Ambo iuuenes adolescentiâ, & ambitione feruidi in idem consilium conspirant: parentesque suos iam senes, adeoque minùs regno habiles expellere meditantur. At vix telam araneæ instar orsi erant: cum in eâ implicati capiuntur. Murathes suspicatus est Calo-Ioannem eius perfidiæ si non auctorem: in eius saltim partem venisse; quocirca, quia constanter id ille pernegabat: iussit quò se sceleris huius contagione elueret: eâdem, quâ ipse Siauzem, illum Andronicum pœnâ mulctare. Et Turca quidem proprijs manibus filio oculos sedibus exturbauit: parentes verò eorum, qui eiusdem rebellionis participes extiterant, per se ipsos quemque filios iugulare coram se præcepit; & quotquot carnificinâ illâ, parricidioque contaminari renuerunt, varijs cruciamentis confectos, in frusta dirissimus iste Tyrannus concidi imperauit. Andronicum filium Ioannes aceto feruenti affuso, luminibus & ipse non alio vsus carnifice, crudeliter orbauit; dein turri quâdam Blachernis imminente, tantisper inclusum tenuit; dum Muratis ira deferueret: & filij pupulis non omnino extinctum lumen rediret.

Plectuntur oculis.

§. 6. Calo-Ioannes à Latinis opem flagitatum excurrit.

Quod vbi factum est Calo-Ioannes vix sibi spei reliquum superesse cernens: & nihil propius fieri, quàm vt

immani belluæ præda foret; Andronicum rursus vrbi præficit: ipse auxilia petiturus abscedit. Quanquam nihil vetat eum hanc profectionem suscepisse, antequam filius luminibus orbaretur.

In Italiam primùm à Principibus eius regionis: tum in Gallias à Carolo eius nominis sexto opem flagitatum excurrit irrito conatu; quo factum est, vt cùm à Venetis in viaticum magnam vim pecuniæ mutuam accepisset: nec eum illi Byzantium redire sinerent, nisi ære isto alieno se absolueret; Venetijs substitit: dum ab Andronico filio pecunia illa mitteretur. Negauit impius homo se patri quidquam esse missurum: cuius nimirum dignitatem, quàm vitam, aut libertatem præoptabat. Quod negabat ille, præstitit cumulatè Manuel filiorum alter, patremque liberauit: eius gratiam, præ fratre iure promeritus. Et verò Calo-Ioannes postliminio in vrbem reuersus hæredem instituere velle Manuelem non obscurè testatus est. Hæc odij, nouarumque turbarum origo, vti videbimus, vltimam Imperio perniciem dabit. Sed Muratis antea exitium referamus.

Franza. Leonc.

Andronici erga Patrem impietas.

§. 7. Prælium in Cossonæ campo.

Eleazarus siue Lazarus, quem ad Istrum regnasse dicebamus, iugi impatiens Mahometici, quò eum excutiat, ad Pannones se confert: eosque ad Tyrannum opprimendum hortatur. Non latuit Muratem eiusmodi molitio. Quapropter præuertendum hostem ratus, aciem educit cum filijs duobus Iacupe Zelebi, & Baiazethe, qui Gilderum Turcis: hoc est fulmen, Græcis Lælaps siue Turbo dictus est. Lazarus quidem vtrumque generum comitem, & belli socium habebat: quorum vnus Susmanus Odrysiorum, siue Bulgarorum ad Pontum Euxinum Rex erat: alter Bulcus (quod lupum sonat) Pladicæ filius; cui suberat Ochris & Castoria: quæ olim Nicolao Zupano paruerat. Horum & Hungarorum auxilijs adiutus Lazarus in Casobo, seu Cosouæ (quasi dicas merulæ) campo: qui Rasciæ Bulgariæque interiacet, castra ponit. Hunc campum Schitnitza fluuius interlabitur: & ab Illyrici

Leon. Annal. Musulm. Bonfin. Franza. Pád. Leuncl.

Christiani profligantur.

montibus

montibus in Istrum influit. Pugnatur, cæditur, & profligatur Christianorum exercitus. At dum à prælio superbè, & triumphantis in morem inter occisorum hostium cadauera victor Murates obambulat: vnus aliquis è Tryballis nomine Milo Cobilitz plagis confessus fugientis animæ reliquias, vt sic dicam, colligens: in pedes tremebundus assurrexit: & ad Tyrannum, quasi aliquid petiturus adrepens: eum sicâ quam occuluerat transfixum interfecit. Ita merulæ vix viuenti victor aquila succubuit: & qui triginta & septem (tot enim adnotat Franza) palmas varijs ex hostibus iusto prælio iniustissimè decerpserat, vltimam vix natam sibi cum vitâ sensit eripi. Alij antè à transfugâ quodam Tryballo per insidias occisum narrant, quàm prælium iniretur. Baiazethes autem priusquam latiùs de morte patris ista manaret fama, Iacupi fratri in tabernaculum Regium incautè venienti laqueo gulam frangit; à fratris impiâ cæde cruentum regnum auspicatus: quod crudelitatis exemplum, antehac etiam apud Turcas inauditum, deinceps apud Ottomannos Principes in consuetudinem abijt. Aliqui Lazarum in ipso prælio captum frustatim in oculis Baiazethis concisum esse narrant: alij vel tacent, vel negant. Regnauit Murathes annos totos XXXII, sed lunares: qui vnum & triginta solares constituunt. Eius porro mors, & Christianorum clades in annum CIↃCCCXC contigere.

Muratis cædes.

Anno 1390.



CAPVT X.

Baiazethes Mahometanos æque ac Christianos spoliat. Andronicus Despota Patrem Calo-Ioannem: & vicißim ille filium regno deturbat. Nicopolitanum prælium.

§. 1. Baiazethis indoles.



Vi Baiazethi Gilderunis, aut Turbinis cognomentum primus indidit: vel animum hominis leuem: & naturæ impetu, ceu turbine in bella præcipitem cognouerat; aut eius fortunam, vt dicitur, strages & ruinas orbi per eum molientem in consilio habuerat. Vtique simul regnum attigit, eius vim procellæ non absimilem: non minus Mahometæ, quam Christi cultores experti sunt. Primùm enim Scopiorum in vrbem suorum coloniam transfert: Vidinam, Tanabit, & Citros expugnat. Tum Nicopolim per suos mercatorum illapsos habitu (vide passim Christianorum socordiam) astu intercipit; inde Silistram occupat: demum pace in speciem cum Christianis ictâ, in Caramaniam inuadit. Aidinem Begum Cariæ, Mentesium, & Isuendiarem Begos Anatoliæ Regulos vectigales suos secum adducebat. Eorum ope vbi Caramaniæ partem occupauit: perduellionis eos falsò arcessit, & nusquam conuictos Isuendiarem quidem capite mulctat: Mentesium dat in custodiam; Aidinum veneno perimit, eorumque regiones (hæ scilicet vnum crimen erant) regno suo adijcit. Horum tamen filij Baiazethis opportunè manus euaserunt: parentum aliquando necem vlturi. Supererant nihilominus etiam alij è Turcis in Asiâ Dynastæ: quorum hæreditati oculos ille sicarius iam pridem adieceratr. Hyeme sequente,

Progressus.

Ann. Musulm. Bonfin. Franza. Laon. Pad. Leuncl.

quente, callidè cum Germeani Principis filiâ Purpuratorum suorum primario (Vezirem appellant) nuptias conciliat. Ad eas Iconium (nunc Cognam) Principes inuitat: Saruchanem Begum, Tachratim Begum, & alterum Emidensis, siue Aminsi Galatiæ Regulum: atque eos poculis omnes veneno infectis sub conuiuium tollit. Vno Emidensi excepto, qui solus vim mali superauit.

Tum verò ætate consequente Tachretinis filium tanto bello imparem ditione omni exuit. Hæc eius in Homophylos, eiusdemque superstitionis homines clementiæ, fideique argumenta sunt. Forsan Christianos mitiùs habuit: at illi certè in seipsos, vt crudelis esset, effecerunt.

§. 2. Andronicus Patrem Calo-Ioannem de solio in carcerem detrudebat.

Andronicus Despota Susmani (Marcum vocant Franza, & Busbequius) Mæsorum ex parte Principis filiam in matrimonio habebat. Posteaquam is vidit se Manueli fratri ab Imperatore patre posthaberi: socero adnitente, & comitante Galatam seu Peram ad Genuenses primùm: tum Adrianopolim ad Baiazethem se recipit: parentem impietatis, fratrem iniustitiæ accusat; sibi ius à naturâ oblatum per vim eripi queritur: Domini (huic quippe voci iam pridem assuetus) opem inclamat; si faxit vectigal solito amplius, obsequiumq; fidelius pollicetur. Neutrum Barbarus; sed vtrosque perdere, eorumque nomen delere funditus volebat: Id vt posset, ipse vltro Andronicus modò dabat operam. Continuò igitur equites, peditesque permultos attribuit; cum quibus Andronicus Byzantium contendit: Patrem Calo-Ioannem vnà cum Manuele in palatio Peges siue fontis (Laonicus auream arcem nuncupat) quod ad vrbis muros erat, repertos, ex improuiso adoritur; captosque in carcerem detrudit; tum sibi, diademate imposito, filioque Ioanni Imperium vsurpat.

§. 3. Mahometanos spoliat Baiazethes.

Id temporis Aidinoglius, hoc est Aidini ex stirpe, eiusque abnepos, qui Cariam Aidinelli (non verò Aldinelli, vt scribit Ortelius) de suo nomine dixit: ad Baiazethem accessit, se suaque omnia eius pedibus subijciens. Tum Saruchanem bello petijt Tyrannus, eiusque ditionem occupauit:

cupauit: quam vnà cum Cariâ, non ita multò post vtroque Principe, consuetis, vti credere est, Baiazethis artibus
1. sublato, * Chorasmiæ adiunxit. Inde in Mentesiam itum est: quam, eius Regulo ad Temirem fugato, citius prope expugnauit, quàm oppugnauit: ita cunctos nominis eius, & fortunæ terror inuaserat. Hæc anno Christi nonagesimo
Anno 1391. primo supra millesimum & trecentesimum gesta sunt. Insequenti verò Valachus ab eo cæsus est, Selanicensis ager occupatus, Neapolis Græca, & Ioannina Aetoliæ vrbs eius in potestatem venerunt.

§. 4. E custodiâ, in Regnum rursus euadit Calo-Ioannes.

Interea verò Græcorum Imperator Calo-Ioannes cum Manuele iam duos annos, & alterum dimidiatum in custodiâ habebatur. Et Baiazethes quidem sæpius auctor Andronico fuerat, vt vtroque se absolueret; sed is à parricidio semper abhorruit. Temporis porrò lapsu Bulgaris militibus, quibus captiuorum cura fuerat commissa, astu elusis, carcere elabuntur miseri Principes: calamitate mutatâ veriùs quam oppresâ; ad Baiazethis pedes supplices accidunt: hunc per eam, quam parentibus natura tribuit, Regibusque maiestatem: quamque ipsi tanquam supremo Principi, vicesque suas fungenti conseruandam Deus constituisset: per cognationis iura, quæ auo ipsius Orchani cum suâ ipsorum domo intercessisset, obtestatur: vt se pristinæ restituat dignitati: faciatque potestatem nequissimi filij, non tam vlcisci quàm castigare impietatem. Eius se non iam vectigales, & tributarios, sed mancipia fore; atque ad annuum censum triginta aureorum myriades adiecturos: insuper verno quoque deinceps tempore duodecim armatorum millia eius militiæ stipendiaturos; tum ne quid ad ignominiam desit: Philadelphiam, quæ sola Græcis in Lydiâ parebat, Turcis cedere (heu! probrosam licitationem!) paciscuntur & iureiurando confirmant. Annuit his tam prolixis pollicitationibus Baiazethes: & præmisso in vrbem Legato explorat: vtrum Græci è duobus Calo-Ioannis filijs, sibi dari Principem malint. Vtque cunctorum fere ciuium animos in Manuelem compluribus

Ope Baiazethis, cuius pedibus turpiter accidit.

& fedè cum eo paciscitur.

de

de caussis propensiores intellexit; Calo-Ioannem solio restituit: Andronicum autem eiusque filium Ioannem apud se retinuit, in aulicorum numero futuros. Cùm verò Philadelphienses per præconem moniti, Imperatorum iussa, sordidamque depressionem aspernati sese Barbaris dedere, & seruitutem seruire detrectarent: coacti sunt ipsimet Palæologi Baiazethi eam obsidenti adesse; & quò fidem suam ei luculentiùs probarent: primi muros subire, ipsamque vrbem expugnare: hoc est in viscera sua ferrum agere, stupentibus ipsis adeo Turcis, visi sunt. Et sanè deinceps eos non Byzantij Imperatores, sed Teggiures modò, siue Præfectos Musulmannorum Annalistæ contemptim vocitant. Fiebant hæc anno huius sæculi nonagesimo tertio; quo etiam Calo-Ioannes, per ætatem regno minùs aptus, eius onus in Manuelis humeros reiecit: postquam regnasset, ab Andronici morte ducto calculo, annos duos, & quinquaginta. Tribus post hæc annis Nicopoli infeliciter à nostris præliatum.

Anno 1393.

Leonic. Franza. Bonfin. Hist Boucl. caut. Iuuen. Vrsinus. Hist. Musulm. Froissard. Mag. Chron. Belg.

§. 5. Sigismundus Hungariæ Rex bellum Turcis meditatur.

Sigismundus Caroli IV Imperatoris filius, Ioannis cœci nepos, Henrici VII Imperatoris abnepos Hungariæ Rex tum temporis erat. Hic intellecto non solùm Bulgariæ, quæ regni sui fiduciaria erat: verùm etiam ipsi Hungarię Baiazethem imminere; ad eum Legationem misit, cuius summa hæc erat: Aequum minimè videri, vt ipse Bulgarię manū iniiciat, & amici sibi Regis clientes impugnet. Legato responsum Tyrannus non reddidit: sed manu apprehensum in armamentarium omne genus armis instructissimum deduxit; tum: Renuntia, inquit, Domino & Regi tuo ius meum his in armis esse. Sigismundus conscribit exercitum; multos præterea Principes de Christianis ad idem bellum inuitat; ad Byzantinos litteras hac de re dat, vicissim & accipit, sed earum in itu redituue aliquæ à Barbaris interceptæ Baiazethem aduersus eos concitarunt.

Baiazethes Constantinop. obsidet.

Ergo Byzantium obsideri cœptum; & decennium, auctore Franzâ, ea tenuit obsidio. Vbi verò hostem Hungarum cum copijs incitato gradu aduentare, & obiecta

quæque

quæque ſternere ex famâ comperit, pedem retro refert; Conſtantinopolim tantiſper miſſam facit: ſatis habens in præſentiarum copias militum aliquot ibi collocaſſe, qui vrbem lentâ clauderent obſidione. Dein ſupplementis aliunde accitis aduerſus Hungarum feſtinat proficiſci. Ipſe autem pluribus antè menſibus Gallos hanc expeditionem cum Hungaris moliri, ex Galeazio Mediolanenſium Duce intellexerat; ita ſcilicet potuit Chriſtiana ſemper queri Reſpublica, à filijs matris ſuæ impugnari.

Qui è Gallicâ Nobilitate Sigiſmundo militarent.

Præter Germanos, Bohemos, Hungaros, Bulgaros, Rhodios Equites, & Anglos: Sigiſmundus à Rege Galliæ, Gallicæ florem nobilitatis impetrarat. Eius facilè princeps, maximeque conſpicuus viſebatur Ioannes Philippi Audacis Burgundiæ Ducis primogenitus, idemque Niuernenſium ſeu Neuerſiæ Comes (imperitè Franza Aberſiæ nominat, atque à Ioanne diſcernit) tum Henricus, & Philippus Barrenſes Regis Galliæ patrueles: dein Comites Borbonij, & Marchiæ, Philippus Artheſius Augienſis Comes, idemque in regno Gallico ſupremus equitum Præfectus, quem Conneſtabilem vocant: omnes regio ſanguine inclyti. Sequebantur Sueſſionenſis Comes Enguerannus Couciacus, Bouchicautius Caſtrorum Præfectus, ſeu Mareſcallus, Ioannes de Viennâ Archithalaſſus, Trimoullij tres, Hugueuillius, Henricus d'Anthoing Hannonius, pluresque alij è Gallicâ Belgicâque nobilitate, quàm vt enumerare ſingulatim, præſtituta mihi ſcribendi ratio patiatur. Hi omnes Sigiſmundi copijs coniuncti ad centum & triginta millium exercitum conflabant, ſi Laonico fides. Ex Hungariâ in Raſciam, quæ eſt in Superiore Mæſiâ: inde in Bulgariam appulſi erant: in eâque Oriſtum, Budinum, aliaque caſtella Turcis eripuerant. Ad Calendas Octobres (vt quibuſdam placet, præuertunt alij) Maiorem Nicopolim coronâ cingunt. Ea ad vnam Iſtri ripam Adriani Imperatoris victoriæ dicata eſt; nunc etiam Baiazethi fortunam ſignare poteſt; altera quæ minor dicitur obuerſæ eiuſdem fluminis ripæ adiacens Traiani monu-

Ioannes Burgundus.

Nicopolim Chriſtiani obſident.

monumentum est. Et hanc pronuper Sigismundus ex Barbaris per vim receperat. Maiorem igitur expugnare decretum. At ecce adest Baiazethes, ducentis, inquit Froissardus, millibus armatorum stipatus: quo cum sine præuiâ vllâ velitatione vniuersis copijs confligendum fuit.

§. 6.

Prælium.

Disponuntur vtrimque acies. Galli de more, nequidquam obnuntiantibus Hungaris, qui eos minùs cum Turcis præliari assuetos caussabantur: primas obtinent. Addit Froissardus Comitem Augiensem non expectatis Sigismundi copijs, quæ nondum coiuerant, prælium temerè inchoasse. Turci palis, sudibusque præacutis interiectum æquor consêuerant; in eos Galli equites acriùs, quàm prudentiùs inuecti, equis transfixis deficiuntur, eliduntur, cæduntur. Ita narrant Græci: cæteri huius stratagematis non meminerunt: aiuntque supra humanas pænè vires tantulam Gallorum, Belgarumque manum Barbaris restitisse, & plures, quàm credi possit ab ijs esse interfectos. Qui supererant hac clade territi cum Barbari gradum acrius intulissent, cessere primum loco, dein prorsus terga vertere. In eorum tergis hærent Turcæ, & in palantes, atque incompositos multâ cæde bacchantur. Guillelmus Trimoullius cum filio, Viennensis, Philippus Barrensis è Gallis: è Belgis verò Ludouicus Hasa, Ioannes Drinchamius, Ludouicus Friso Voestinius Ludouici Malani Flandriæ comitis nothi cum Brezeo, & Iprensi occiderunt. Viui in hostium potestatem venerunt Niuernensis, Henricus Barrensis, Augiensis, Marchiensis, Boucicautius, Guido Trimoullius, Couciacus & plures alij minoris notę: quorum plerique in oculis Niuernensis, cæterorumque è Gallico stemmate Principum, iussu Baiazethis dirâ immanitate trucidati sunt. Trecentos omnino se coram Tyrannus iugulari iussit, in quibus fuit Henricus d'Anthoing Hannonius. Ne idem & alijs fierêt spes lucri intercessit. Quanquam non pauci asserunt à Mago quodam Tyranno denuntiatum Niuernensem ne tolleret: fore enim vt plures Christianorum hic vnus, quam Turcicæ ingentes co-

Galli vincuntur.

Cæteri fugiunt.

Captos interfici Baiazethes iubet.

Henricus d'Anthoing.

piæ

piæ neci daret. Quod vaticinium non vanum fuisse, bella inter Gallos ciuilia declararunt. Victoria hæc non paruo Barbaris stetit: quorum sexaginta omnino millia, inquit Bonfinius, nostrorum viginti millia desiderata sunt. Sed ei hâc in parte ægrè assentior: cum scriptorum omnium iudicio penes Baiazethem victoria, eaque luculenta stetisse dicatur. Sigismundus, & cum eo Rhodiorum equitum Præceptor commodè se ad Danubium ab-
2. duxerunt, vbi lembo reperto, secundo amne euaserunt. Augiensis & * Couciacus in carcere periêre. Hanc porrò cladem Vrsinus intemperantiæ, alij passim leuitati Gallorum attribuunt. Idem Vrsinus ait cæsorum è nostris cadauera, iubente Barbaro, feris exposita, & inhumata tredecim ipsos menses sine vllo corruptionis, aut tabis indicio, intacta permansisse. Malè autem ipse, cæterique eiusdem æui scriptores Baiazethis patri, quem Amorabaquin,
3. pro Al Murat Beg, indigetant, hanc victoriam adscribunt;
Anno 1396. rectè autem in * annum Christi nonagesimum sextum (non verò XCIII vt Annalista Turcus) supra millesimum & trecentesimum eam reijciunt. Secundùm hanc Baiaze-
Lytrum Principum. thes Nicopolim maiorem seruauit, minorem cum Silistrâ recepit: & Lytron à Principibus captis ducenta aureorum millia extorsit; quorum potiorem partem Gandenses & Brugenses libentes volentesque Duci suo gratificati sunt.



CAPVT

CAPVT XI.

In Asiâ Baiazethes rerum potitus Constantinopolim arctiùs premit. Sed Tamerlano vrgente obsidionem soluit, cæditur, capitur.

Ann. Musulm. Laon. Franza. Bizarr. Turco Græc. Tand. Leuncl.

§. I. Byzantinum Tyrannus vrget obsidionem; sed frustra.



Aiazethes hâc victoriâ elatus, spiritus maiores tollit, seseque in suis ipse oculis fert. Byzantij expugnationem præ hâc nihil æstimat: atque adeò non tam pugnaturus, quam triumphaturus eò regreditur. Verum contrà accidit, quàm sperarat; Græci namque non tam virtute, quàm necessitate strenui, præclarè se tuentur. Obsidio in longum abit; frémente Barbaro: quem tam obsidione abire, quàm morari pudebat. Vtrique malo occurrit: &, quod antea fecerat, relictâ ibi sat magnâ militum manu, ipse interim: ne tot maximarum rerum opportunitates, quas nuperæ victoriæ fama offerebat, dimitteret: in Aladinem Begum nouas res in Caramaniâ molientem copias confert; & decernere ausum prælio superat, atque interficit. Iconio, cæterâque Caramaniâ cum duobus eiusdem Aladinis filijs in potestatem redactis. Hinc Casi Burchanedi Sebastæ in Asiâ Regulo; quòd Ægypti Sultanum aduersus Baiazethem sollicitasset, bellum indictum: Sebaste, Amasia, * Tocata: vniuersæque Rumiliæ Asiaticæ, quæ superior etiam dicebatur, regiones ademptæ. Tum Isuendiari Samsonium, Castamonem, Otmanzucum, & Zanicum violentus hic Turbo corripuit: Eodemque Teckensem, & Germeanum Regulos ditionibus spoliat, anno secundum Annales Turcicos Hegyræ IↃCCXCVI, Christi CIↃCCCXCVI. Vnde vel hæc ante prælium Nicopolitanum, quod negant illi: & asserit

Asianos Principes spoliat.

1.

Froissardus: vel certè seriùs gesta esse dicenda sunt. Sequentes proximè anni duo Ægyptiaco bello absumpti sunt: non sine solito Baiazethis emolumento.

Anno 1399. §. 2. Manuel Imp à Gallis subsidium accersit.

Vltimus huius sæculi annus appetierat; in obsidione Byzantina sese Baiazethes obfirmabat, & verò Turcæ interim vires, & spes: Manueli metus & inopia in dies crescebant. Itaque, quòd aliud non suppeteret, ab externis Principibus: tum maximè à Carolo eius nominis sexto Gallorum Rege auxilij aliquid emendicare visum est. Legationis eius princeps è Cantacuzenis fuit; qui aptâ ad persuadendum vsus oratione plurimos è Gallicâ nobilite in Græciam allexit, nuperam popularium suorum ad Nicopolim cædem vindicaturos. His Boucicautius, non à virtute tantùm, sed & à clade, & captiuitate Nicopolitanâ celebratus, de Regis voluntate præerat. Illis se adiunxere Venetorum, Rhodiorumque Equitum copiæ. Erant omnino sexcenti equestris ordinis viri nobiles: totidemque inferioris notæ equites: tum mille alij missilibus armati. Et hi omnes in Natoliam prædabundi profecti, Nicomediâ tentatâ, castro Ripæ expugnato, Constantinopolim penetrarunt.

Boucicaut. Boucicaut. Leon Vrsin. Franza.

Ioannes Andronici filius ad Patruum Imp. refugit.

Ioannes Andronici Despotæ filius apud Baiazethem agebat. Ille vt deprehendit apud Barbarum insimulatum se, quòd secus illi vellet, & insidias strueret, ab eo ad patruum Imperatorem profugit. Boucicautium tamen, vult eius vitæ scriptor, Ioanni hanc mentem iniecisse: eumque cum patruo in gratiam reduxisse.

§. 3. Manuel Imp. in Gallias opem quæsitum excurrit.

Idem Gallus Manueli auctor fuit: quando in obsidione Baiazethes obstinatior videbatur: & aliunde, quod promissum fuerat, suppetiarum adueniebat nihil; ipsemet Rex parentis exemplum, spe meliori, secutus, in Galliam excurreret, Italosque & Gallos ad tam sanctum bellum cohortaretur. Byzantinâ igitur vrbe Ioanni nepoti commissâ, Venetias, Mediolanum, dein Parisios concedit, ipso sæculari anno quadringentesimo supra millesimum: iuxta omnes eius ætatis scriptores. Vnde apertè hìc, vt alibi sæpe,

Anno 1400.

Leunclauij,

Leunclauij, in Musulmannicâ historiâ, atque Annalibus Turcarum calculus erroris arguitur. Bellis plusquam ciuilibus miserè tum feruebat Gallia. Caroli sexti morbus Manuelem duos annos totos cum dimidio Parisijs detinuit: expectantem, vt sibi redditus Carolus à Phrenesi respiraret. Triste omnino vtrimque toti orbi spectaculum, & luculentum humanæ vanitatis, etiam sub ipso diademate, argumentum. Rex amens, Imperator mendicus. Vtrius grauior fuerit miseria, non facilè dixerim. Vtrimque altus casus & miserabilis; hinc quidem tantò videtur fatuo præstare mendicabulum: quantò opibus dignior est iudicij, rationisque vsum. Illinc tamen non nemo censeat leuius illud esse malum, quod minùs sensu ipso atque mente percipitur. Mentis impotes non tam sibi, quàm amicis dolent. Dicamus quod res est. Magnam prorsus & Regnorum noxam, & Numinis iram intercedere necesse est, quibus huiusmodi Reges obtigere.

Carolus VI. amens.

§. 4. Habet lucida interualla.

Labbic. Franza. Boucicaut. Vrsin. Turco-Gr. Leuncl. in suppl. Glycæ

Tandem aliquando, vt in crepusculo assolet, dubiæ lucis aliquid Caroli animo intermittere visum est. Ab eo igitur Manuel mille & ducentis militibus, cum parato in annum solidum stipendio è Galliâ impetratis, Italiam repetijt: ex quâ nec Romæ à Pontifice maximo, nec ab alijs alibi Principibus tam sacris, quàm prophanis vix quidquam adeptus subsidij Byzantium renauigauit. At verò quod spe Romæ excidit, non eo factum est, quod Christi effigiem * Cruci suffixam venerari detrectasset, vt fabulatur Crusius Hæreticus: nec enim ab imaginibus sacris abhorrebant id temporis Græci: sed quia Innocentius ægrè seipsum aduersus binos Pseudo-Pontifices tuebatur, ei opitulari nequijt.

2. Cur à Pont. Max. opem non impetrauit Manuel.

Constantinopolim appulsus est Manuel sub id tempus, quo Baiazethes Iacupem Bassam; & Eurenosem Begum Peloponneso occupandæ cum quinquaginta millibus armatorum mittebat. Theodorus Despota Manuelis frater, Ioannis Cantacuzeni filijs extinctis Peloponnesum regebat. Hic rem Græcanicam tantis cernens agitatam fluctibus:

Sparta & Argos à Græcis vendita.

bus: omni spe abiectâ Rhodum nauigauit, & Spartæ Principatum Rhodiensibus equitibus vendidit. Reclamarunt Spartani, nec vnquam adduci se passi sunt, vt externos homines admitterent. Argos idem Venetis, non magno vtriusque commodo addixit. Vili quippe pretio venumdata ciuitas, antè à Turcis capta est, quàm Venetis cederet.

Hist. Tamerlan. Annal. Musulm. Leonc. Franza. Teatro Turchesco. Bizarus &c.

5. Strenuè fortiterque Byzantinos vrgebat Barbarus: & nihil propius aberat, quàm vt in eius potestate essent. Non periculi modò, sed desperationis plena omnia. At verò non hæc Baiazethi laurea plectebatur: vsque eò nihil est in vtrâque fortunâ certum ac stabile. A Christianis Manuel opis impetrarat, aut sperabat nihil: à Barbaris accepit. Vicissim Baiazethes à nostræ Religionis hominibus timere aliquid sibi poterat: à Mahometanis perniciem reperit. Ex ipso Orientis angulo propugnatorem, & iniuriarum vltorem Deus Græcis euocauit, * Temirem siue Temurium Lanc, hoc est claudum, nostri Tamerlanem vocitant; supremi Tartarorum Principis, siue Chani nepotem & hæredem, Chinguis seu Zingis Chani nono ordine abnepotem, Sachetai aut Samarcandæ Regem. Hic post Moschum domitum, Chinensem subiugatum, plurimasque Prouincias & regna Imperio adiuncta, etiam ad Baiazethem animum appulit. Samsonis è stirpe genus ducere vel credebat, vel credi volebat: quò fortassis innatæ, atque vnà cum hæreditate acceptæ fortitudinis nomen sibi compararet; ideoque, contrà quàm Mahometanis mos est, cæsariem prolixam alere consuêrat. Huic militabat, eiusque copiarum Præfectus erat Axalla quidam, Caphæ natus, sed ab Genuensibus oriundus, Regi percharus, & à virtute militari in paucis commendandus. Hunc, vt pote Christianum Religione, imò & cum Palæologis cognatione iunctum, Manuel sibi demeruit, & per eum Temiris opem efflagitauit. Accessit commodè flebilis, & supplex Mahometanorum Principum de Baiazethe expostulatio. Qui omnes ditionibus ab hoc

* Temir lanc.

E Samsonis stirpe.

Axalla.

Asianorum Principum precibus Baiazethem bello petit Temurius.

hoc latrone spoliati, ad Temirem clanculum, & mutato habitu confugerant. Erant hi Germeanoglius ex Ipsalensi carcere profugus, Menteśoglius, Aidinoglius, Tachretin, & Isuendiares Begi. Et verò quanquam Axallæ amicitiæ nihil non tribuebat Temurius, præcipuum tamen hanc in rem momentum eiusdem sectæ homines attulerunt.

Ad Baiazethem igitur priùs Legatum misit, quàm bellum Temurius inchoaret; litterasque beneuolentiæ & humanitatis plenas destinauit. In ijs Gilderunem Chan hoc est Regem, & filium amicè compellabat: à suæ Religionis hominibus diuexandis abstineret, hosque Principes Asianos suis sedibus, Regionibusque restitueret monebat: ni, quod secus futurum optabat, bellum vellet. Respondit Tartaro Turca pro suo ingenio moribusque, superbè & arroganter: sibi Chani, siue Regis titulum, non eundem Temiri tribuens: imò eum contemptim lancum, hoc est claudum vsque & vsque appellitans, & dicterijs proscindens ad bellum prouocabat. Infelix qui sibi vltro malum accerseret. Litteras ad eum dat.

Copijs illico Temires lancus contractis, Edel amnem, siue Volgam ponte iungit, Capham expugnat; Tanasque, Achee, & Lopesum; inde Circassijs, & Georgianis, qui tum Trapezuntino Imperatori parebant, superatis: postea etiam Bachichichijs & Vaisachichijs domitis; Euphratem ad Gargam transmittit: Sanas subigit, demum Sebastiam Cappadociæ, cuniculis actis capit. Et hîc occurrit Temiri, teste Laonico & altero scriptore: Orthogules, siue Ertucules Baiazethis filius, atque in acie cadit. Turci tamen eum sexennio ante prælio contra Casin Burchadinem gesto occubuisse ferunt. In Temirem simul Ægypti Sultanus, quem Farachium nonnulli, alij Borcucium, vel Barak Kucium appellant, insurgit. Propter Aleppum confligitur. Temiri victori Aleppus direpta cessit. Inde Hamam, siue Apamæam copiæ adductæ Tartaricæ, vrbs expugnata, idemque Damasco factitatum. Hæc sub finem anni CIↃCCCCI gesta sunt. §. 6. Contra eum mouet. Anno 1401.

Iam

Confligit. Iam Baiazethes Byzantinam soluerat obsidionem, & quidquid vsquam virium habuit, colligebat. Vere exeunte Asiaticâm Rumiliâ peragratâ; iuxta Ancyram victor Tartarorum exercitus castra fixerat; cùm eò etiam Baiazethes tribus comitatus liberis Suleimanno, Mustapha, & Muhameto, totisque copijs aduenit. Eum * Laonicus
4. duodecies centena hominum millia, Temirem octingenta millia sub signis habuisse prodit. Impedimento dubio procul vtrique fuit hæc multitudo: vt minimum ex parte otiosa. Vbi enim terrarum tanto militum numero explicando campus sufficiat? vt potuerunt acies vtrimque disponi, magnâ vi præliatum fuit: sub primum fere congressum, eorum Principum clientes quos Baiazethes spoliarat, viâ sibi per Turcarum cuneos patefactâ, multisque eorum auerso vulnere confossis; ad Temirem transeunt,
Vincit. victoriamque deferunt. E Turcis ad sexaginta millia, in quibus & Mustapha Baiazethis filius eo in prælio ceciderunt: è Tartaris viginti millia. Baiazethes autem ab
Baiazethem capit. Germeanoglio agnitus, & captus viuus in hostium potestatem venit. Narrat Laonicus eum equâ miræ velocitatis vectum longius extra persequentium conspectum euolasse; donec ad fluuium ventum est. Hic enimuero iumentum siti prope enectum abstineri à Baiazethe chiragrâ laborante non potuit: quin largius, & diutius aquâ se expleret, quàm ad fugam conducebat: quo factum est vt mora illa persequentibus vsui esset: & aquæ epotæ pondus celeritati pristinæ non parum detraheret.

§. 7. Victoris cum Victo colloquium. Comprehensus est infelix Baiazethes IV Cal. Augusti
5. Anno 1402. * anno altero supra quadringentesimum & millesimum. Mahumetanis Temires ereptas ditiones restituit: Ottomannicas inter Tartaros diuisit. Porro Baiazethes supra victi, & captiui conditionem habitus à victore, & in eodem tapetio considere iussus est. Et verò (sic enim sermonem orsum esse Temirem narrat eius vitæ scriptor; cæterique passim Historici tam Latini, Græcique, quàm Turci) est quod supremo Numini vterque nostrum gratias

tias agat, habeatque immortales: quos eò dignitatis euectos voluit: vt ego claudus licet ab vltimis hominum Indis, Sebasten vsque victor progressus sim: tu mancus aut certè manu debilis totam eam regionem quæ hinc ad Hungaros patet, tuæ subieceris potestati. Quòd autem nunc non in eàdem naui mecum es: id, non tuæ infelicitati: sed naturæ tribuendum; quæ, non secus ac cæterorum mortalium, vicissitudini est obnoxia. Neque me enimuero felicitas hæc eò extulit: vt obliuiscar mei; & quæ hodie terræ te afflixit, eandem capiti meo imminentem non pertimescam. Tibi mihique consilium commune esto; Aduersis non frangi: prosperis non extolli; sed vtramque fortunam vno animo, & vultu excipere. Eodemque vtrobique Numen venerari. Age verò, amabo te, mi Gilderun, si Numine tibi bene propitio euenisset, me in tuâ esse potestate: vti nunc es in meâ: cedo quid me facturus fueras? Tum ego te, inquit Baiazethes, obliquè, & toruè victorem respectans: ferreâ inclusum caueâ quòcunque circumduxissem. Expalluit vtique ad tam acerbam, atque indignam vtriusque conditione vocem Temirius, subiecitque continuò: Æquum igitur est & te eàdem pænâ mulctari. Immitem certè, nec ad mores meos conformatam legem tute ipsi sanxisti. Atque ita perfectum est: siquidem illum ferreis clathris circumseptum, & aureis vinctum compedibus (noua subinde ludibria excogitante fortunâ) Temires secum abduxit; quamuis sæpius alloquio, & meliorum spe solari eum dignaretur: nec enim à vero parum absunt, qui Tartarum hunc omnis pietatis & clementiæ expertem effingunt. Hoc scilicet procax lingua, & ferox animus sibi creauit infortunium. Quàm sapientius Porus haud absimili clade victus Alexandro sciscitanti, quid ipse victorem statuere debere censeret: Quod hic, inquit, dies tibi suadet; quo expertus es, quàm caduca felicitas esset. Et verò plus monendo profecit, quam si precatus esset; nedum, vt iste, proteruè respondisset.

Caueâ inclusus Baiazethes circumducitur.

§. 8.

Tandem miserrimus Baiazethes, quod sibi ipse, vt dicitur,

Sibiipsi mortem consciscit.

Ttt tur,

tur, intriuerat, exedere non potuit: nec tantæ calamitati par fuit. Vnde octo pòst mensibus Samarchandæ, quæ Tartari regia erat, seu veneni potione, seu osse præacuto in pectus adacto seu capite ad clathros impacto vitam sibi exhausit: Eò autem quidam mortem sibi consciuisse referunt, quod vxorem suam Eleazari filiam Temiri in conuiuio accubantem vidisset. Et hinc, inquit Busbequius, morem illum manasse credunt: vt Turcorum Imperator nullam omnino vxorem, sed plures concubinas habeat quo se huiusmodi dedecoris periculo eximat. Viuere desijt Baiazethes Christi anno CIƆCCCCIII, regni XIV (non verò XXII aut XXV vt Laonicus, & Franza referunt:) cuius scilicet anno alterius sæculi nonagesimo, ductum fuerit initium. Annos vix duos ei superfuit Temirius eoque sub annum CIƆCCCCV defuncto, eâdem quâ occuparat facilitate: hæredibus Prouinciæ pleræque à victis ablatæ sunt: Eius è stirpe ortus erat is qui Mogolibus, vel Mogoribus apud Indos imperabat, paucos ante annos; Gelaladin Akbar, magni nominis, & amplissimæ ditionis Monarcha: vtpote cuius Imperij limites sint, hinc Ganges, illinc regnum Makron ad Sinum Persicum. Vt Persæ, qui quinque modò Principes Regis nomine dignantur, Mogorem in ijs recenseant. Cæteri verò quatuor sunt eorum opinione: Turcus, Persa, Tartarus, & Chinensis Imperatores.

Busbeq. epist.

Anno 1403.

Temirij mors, & successores. 1405.



CAPVT

CAPVT XII.

Baiazethis filij inter se dissident. Eo dissidio malè vtuntur Græci. Pseudo-Mustapha. Manuel moritur.

Ann. Musulm. Hist. Musulm. Franza. Laon. Bizar. Leunclau.



HVius Tyranni clades, incredibile est memoratu quàm Græcos exhilararit: & meritò. Nunc enim, si vnquam, Imperij sui ruinas reparare, & Barbarorum dispersas, maleque sibi inuicem cohærentes reliquias dissipare poterant, si fortunam suam agnouissent. At secus cecidit. §. 1.

Filiorum Baiazethis nomina.

Susceperat ex varijs vxoribus, aut ancillis filios septem Baiazethes: quorum, iuxta Annales Turcicos (Laonicus quippe, & Franza ab ijs discrepant) hæc sunt nomina: Ertogrul, Mustapha Zelebis, Emir Soleiman, Isa Zelebis, Musa, siue Moses, Sultanus Muhametes, Cassines, vel Cassumes Zelebis. Iam antè monui Zelebis vocabulum, nobilem vel illustrem significare. Horum primus, & alter ei proximus: sicut antè commemoraui, in ipso prælio, vel paulò antea, occiderunt. Musa vnà cum Patre à Temire captus, subinde pristinæ libertati redditus est. Cassines puer admodum id temporis erat. Soleimannem secum Bassæ duo in Europæam, siue superiorem Rumiliam, inferior siquidem Temiri parebat, abduxerunt: & Adrianopoli Sultanum, siue Imperatorem pronuntiarunt. Muhametes Amasiam: cui iam olim præfuerat: Isa verò Burusam, siue Prusam se recepit. Et inter tres hosce postremos enatum dissidium rem Turcicam propè omnem euertit. Ac primùm quidem Isa Zelebis Muhametem fratrem bello aggressus: quanquam in eandem belli societatem

Inter eos dissidia.

Mahumetani in Asiâ Principes, Ismyroglius Smyrnæ Dynasta, Aidinensis, Saruchaniensis, Tekiensis, Mentesius, & Germeanoglius, atque Isuendiar coiuerant; non feliciter pugnauit nunquam; adeoque etiam nouissimè totas regni sui, sociorumque vires sub vnum fortunæ ictum concidisse videns, fugâ elapsus in Caramaniam se abdidit, vbi ignotus ignoto fato perijt. Perierunt vnà Asiani Principes, quos omnes ob fratrem adiutum partim ipse Mahometes: partim Murathes eius filius, ditionibus postea exuerunt.

Isæ interitus.

§. 2. Pacis & victoriæ fructum extremis labris attigerat Muhametes: cum Soleimannes Isæ fratris vltor in eius ditiones inuadit, Prusamque eius regiam, occupat. Musa tum, seu Moses, cum Muhamete erat; eius cum bonâ veniâ, ad Isuendiarem proficiscitur, impetratisque nauibus: Mare, quod Nigrum vocant transmittit, & ad Myrxen seu Marcum Valachiæ Regulum (Vaiuodam dicunt) fratri Muhameti, sibi veriùs auxilium petiturus adnauigat. Valacho negotium cum Soleimanne erat grauissimum: ab eo enim ipse Marcus Prouinciæ suæ oras infestas, & solitudinem propè factas esse egrè ferebat. Musam ea propter non beneuolè modò excepit; sed & generum adscitum copijs affatim iuuit: quarum ope ille Rumiliâ omni Europæâ mox potitus est. Temperare hîc mihi non possum, quin exclamem: O! Principes, ô! Christiani vbi estis? Qui vos non dicam sopor, sed lethargus incessit? Quàm nullo negotio canes hos mutuis odijs, bellisque implexos potuistis opprimere? At non meliori scilicet loco res erant vestræ: Galliam Aurelianensis, & Burgundi odia accendebant, vastabat Anglus. Italia miserè bellis feruebat: Galeazzo Mediolanensium Duce, Venetis, Florentinis, Gallis, Arragonensibus, variâ de caussâ armis rem gerentibus. Germaniam haud multò mitior habebat fortuna: Wenceslaus, Iudocus, Rupertus Imperium ex interuallo tenuere; quorum aliqui nihil, alij infeliciter nonnulla moliti sunt.

Valachum

Valachum hoc modo Musa secundum reperit. Soleimannes (Musulmannum vocat Franza) quò se contra eum tueretur vicissim Græcos acciuit. Cum Manuele amicitiæ, & sanguinis fœdus ictum. Theodori Despotæ filiam ducit Turcus, pactus Imperatori Thermam, siue Thessalonicam, Zetunim, & vniuersam Asiæ maritimæ oram restituere; cuius rei Cassinem fratrem, sororemque Fatimam obsides Byzantium allegauit. Græcorum auxiliari manu acceptâ, Musam Soleimannes impetit; & primo quidem conflictu victor, altero victus euadit. Vixdum enim bene acies vtrimque constiterant in pugnam comparatæ: cum Soleimannem sui deserunt, & ad Musam transfugiunt. Latitauit aliquamdiu, & oberrauit nusquam tutus miser Princeps: donec agnitus & comprehensus, fratris iussu, atque in eius oculis laqueo præfocatus est. Eius liberi duo huic cladi opportunè subtracti, Byzantium missi sunt. Hæc ab anno Christi quarto, ad duodecimum supra millesimum, & quadringentesimum contigere.

Soleimannis cædes.

Anno 1412.

§. 3.

Muhametis victoriæ.

Interim verò Muhametes non infelicius ditionis suæ pomæria proferebat. Chorasmiam, Aidinensem, aliasque Prouincias suis adiunxerat; at hæc parua, vel nulla videbantur: ni fratrem tolleret, solusque paterno regno potiretur. Ad eum inclinabant plerique omnes: & multi etiam è proceribus transibant. Ex his Chasis Eurenoses Begus non segnem ei operam nauauit. Byzantijs negotij non parum facessebat Musa; ei igitur obijciendum putarunt Orchanem Solimannis filium. Qui prosperè primùm bello vsus varias sibi vrbes in Europâ, regionesque subiecit: at subinde à Vezire seu Præfecto quodam Zampane (alij Salapanum, Palapanum, & Zaganum nominant) miserè proditus, & oculis à patruo mulctatus est.

Orchanes Soleimannis filius regno, & occulis priuatur.

Cum ijsdem Byzantinis Muhametes fœdus percutit: & obtentis à Manuele nauibus, Bosporoque transmisso, ad Samacouam cum Musâ prælio decernit. Et hic quidem viribus, adeoque fortunâ inferior cum in fugam

equum exstimulat, in scrobem collapsus capitur. Quem ex Ottomannorum instituto frater obstructis nervo faucibus necauit; atque ita solus Muhametes regnare occepit Christi anno CIↃCCCCXV sede Regiâ Adrianopolim translatâ. Pacem ille, quoad vixit religiosè cum Græcis, amicitiamque coluit. Demum post Caramanoglium superatum, Valachum Transalpinum edomitum, aliaque præclarè, & fortiter gesta, è viuis abijt anno eiusdem seculi vigesimo secundo; maximo Græcorum detrimento: qui vnà cum Muhametis vitâ salutem omnem suam posuisse visi sunt.

Anno 1415.

Muhametis obitus. Anno 1422.

§. 4. Pseudo-Mustapha.

Sub extrema Muhametis tempora, nescio qui vilis homuncio Mustaphæ in Temeriano prælio cæsi personam, nomenque vsurparat: & sanè non pessimè ipsum ore voceque referebat. Hic post tentatos, quà rationibus, quà promissis varios Principes, ad Græcos demum confugerat: quumque eum Muhametes ex Manuele requireret, is iureiurando interposito recepit: se eum in vinculis habiturum; quod sanctè, quoad vixit Muhametes, obseruauit, & in Lemno Insulâ attinuit. Eo defuncto Ioannes Manuelis filius, iam antè in Collegam à patre adscitus, & diademate coronatus, iniquissimum, simul & damnosissimum admittit consilium; patre nequidquam, pro eo ac decebat virum senem: atque à prudentiâ, longoque rerum vsu bene comparatum, obnitente. Hic namque iuuenis Mustapham: quem Dusmem, hoc est suppositititium Turci vocant, è Lemno Byzantium accersit, dein cum copijs in Europam amandat; eo pacto vt ipse simul ac rerum potiretur Callipolim, quæ vrbs est Chersonesi, Græcis restitueret. Murathes contrà eius nominis alter; qui recens Muhameti patri successerat, per Legatum supplex, ne sibi aduersarentur: neue scurram illum contra ius, & fas fouerent, rogare; non modò Callipolim, sed & plurimam, amplissimamque ei continentem regionem, atque insuper aureorum myriadas viginti vltro offerre; suæque fidei obsides Purpuratorum filios duodecim, By-

A Græcis iuuatur.

Zantium

zantium transmittendos. Ridere, & pro nihilo hæc omnia ducere Ioannes, præ ijs, quæ ex hoc bello sibi credebat euentura. Scilicet coruum imitari certum erat; & post pugnatam inter patruum, nepotemque pugnam: vtriusque, vel alterutrius saltem iam cladibus fracti spolijs ditescere. A neutro igitur stare oportebat, sicque metu vacuo huiusmodi spes alere licuisset. Mustapha Græcorum, Smyrnæorumque Principis Tzunaïtæ fretus auxilio breui totam Rumiliam, quæ in Europâ est occupat: & in Asiam victorem exercitum traducit. Iam sibi, suisque consilijs applauderet, patrisque timidæ senectuti illuderet Ioannes, si Callipolis redderetur; quam adhuc Mustapha licet vsque promissi monitus, nescio quâ præscriptione animum tegens retinebat. Murathes collecto valido & numeroso exercitu æmulum adoritur, & ad Lopadium cædit. Mustapha à suis miserè destitutus, Callipolim traiecto freto, appellit, atque vt poterat, vires colligit. Et superatur.

Ioannes interim Imperator: quum Mustapham ope, & consilio iuuare, quando in eamdem cum illo sortem se coniecerat: adeoque communem vtriusque hostem freti Hellesponti transitu arcere debuerat: in Periconneso importunis, fædisque mulierculæ amoribus indulgebat. In Europam igitur, nemine prohibente, transmittit Muhametes: & Mustapham denuo à suis proditum, superat; captumque ad Adrianopolitanæ arcis pinnas laqueo suspendit. Anno Christi XXIII post millesimum, & quadringentesimum. Anno 1423.

§. 5. Constantinop. à Murathe obsessa.

Quid secundùm hæc cogitarit Ioannes, quamque admissi consilij pænitentiam conceperit, haud facilè quisquam explicet. Inter sacrum saxumque, quod aiunt, constituto: placuit à Murathe per Legatos delicti veniam, pacemque exorare. Hos Barbarus iure gentium pessumdato, vinculis constringit; & ocyus supplemento suis copijs addito, Byzantium circumsedet VI Nonas Iunij: at post exactam in eâ obsidione æstatem totam, re infectâ,

fectâ, VI Septembris die, eiusdem anni CIƆCCCCXXIV
Anno 1424. domum se recepit.

Muhameti fuerant filij quinque: quorum tres perbreuem ætatem confecerunt: superstite tantùm Murathe, cum altero Mustaphâ, quem non rectè Turco-Græcus cum Dusine illo confundit. Hunc Mustapham callidè fratris lanienæ subductum Græci, consilij melioris inopes, in vrbem admittunt; eique Doriæ cuiusdam Genuensis atque Zampiæ (quam Manuel ex pellice procrearat) filiam despondent. Is tredecim annos natus in minorem Asiam irrumpit, grassatur; & longè lateque, quomodo alij antea, à Turcis rerum nouarum percupidis Sultanus salutatur. Ipse adeò Alis Begus, quem Aliasem vocat Laonicus, Isnicæ seu Nicææ Præfectus in vrbem excipit, & lenocinijs verborum inescatum, dormire secum iubet. At verò eâdem ipsâ nocte, Murathis copijs per summam fraudem aduocatis misellum Mustapham vinctum fratri tradit; quem ille communi luce, spe Græcos priuat. Verumtamen hi pacem qualem qualem à Barbaro extorsêre. Inde in Anatoliam Murathes se contulit, & Ismyroglium, seu Smyrnæum primò ditionibus, tum etiam vitâ exuit. Inde Isuendiari Castamona, Stephano Despotæ Lazari filio Seruia adempta est. Demum Mentesiam, Aidinensem, Saruchaniam, & Emidensem terras suis adijcit; &, quas initio in partes septem diuisas distractasque Otmanni tempore, suprà diximus, in vnam tandem Ottomannidarum ditionem & Regnum Minoris Asiæ regiones [redacted] coaluere. Hæc ad annum vsque huius sæculi XXVI acta sunt.

Mustapham alium Græci Murathi obtrudunt.

Et ille vincitur, atque enecatur.

Asiam minorem Murathes occupat.

Ann. 1426.

§. 6. Mense Augusto anni proximè insequentis hominem exuit Manuel Imperator: cùm regnasset annos quatuor & triginta, vixisset verò septuaginta duos. Filios reliquit sex: Ioannem, Andronicum, Theodorum, Constantinum, Demetrium, & Thomam. Ioannem natu primum iam olim etiam viuente Patre Imperatorem dictum esse, suprà demonstrauimus; imò, dictu fœdum, apertè testa-

Manuelis obitus. Eius filij.

tur Laonicus eum à patre Regem atque Pontificem Græcorum esse pronuntiatum. Nimirum vt non præceps, in flagitiorum voraginem est lapsus, quod Calo-Ioannes auus turpiter inchoarat, fędiùs hic confecit: & vir prophanus non modò sacra moderari, verùm etiam Ethnicorum more perpetuam eorum Præfecturam temerè atque impiè sibi posterisque suis vendicare ausus est. Sophiam Ioannes Imp. Marchionis Montferratensis filiam: mulierem moribus, quàm ore pulcriorem in matrimonio habebat. Illa vt vidit se viro esse contemptui, & post pellices indecorè haberi: continuò ab soceri obitu in Italiam reuertit, non magno Ioannis doloris sensu. Qui ei mox Russiæ, seu Sarmatarum Principis filiam: tum eâ defunctâ Mariam Comnenam (Cantacuzenam vocat Turco-Græcus) Alexij Trapezuntini Imperatoris filiam, superinduxit. Ioannes Imp.

Andronico, * alteri Manuelis filio Therma, siue Thessalonica ex Patris voluntate obuenerat; at ille quum leprâ, quam Elephantiasim dicunt, affectus esset: vrbe illâ quinquaginta aureorum millibus Venetorum Reipublicæ venditâ; ad fratrem in Peloponnesum: atque inde in quoddam Sancti Montis, siue * Atho Monasterium abijt; vbi paulò pòst ex humanis excessit IV Non. Martias, anni ab ortu Christi CIↃCCCCXXIX: vnico filio Theodoro relicto. Huic iuncta est Scopela Malatesta, Marchiæ, ait Laonicus: Achaiæ arbitror, Ducis filia; idem quippe auctor Patras Achaiæ vrbem in potestate Malatestarum, qui Peloponnesum regebant, apertè suprà constituit. Tertius Theodorus Porphyrogenitus, Peloponnesi partem nactus Renerij Acciaioli Athenarum, Corinthi, & Bæotiæ Reguli filiam duxit; quæ ei Corinthum, & Selybriam in dotem attulit. Constantini porro Theodora vxor fuit, Leonardi Tockij, vel Topij filia: Caroli neptis, quæ marito non exiguam etiam Peloponnesi partem, in quâ Clarentia Elidis Metropolis, dotis nomine contulit. Demetrius Dominici Catalusij

1. Andronicus, & eius

2.

Filius Theodorus.

Theodorus Porphyrog.

Constantinus.

Demetrius.

genes fuisse dicitur: quamuis priore defunctâ, Zoën Paraspondyli filium vxorem accepit. Thomas. Thomæ copulata fuit filia Martini Giachariæ vel Zacchariæ gente Genuensis, qui Achaiæ & Elidis ex parte Princeps extitit. Hæc enim pleraque distracta erant: & præter eos quos recensui, Nicephorus Melissenus magnus Protostrator, & Alexij Cæsaris Melisseni, qui Byzantium Latinis eripuit, longo, sed nobili ordine nepos: plurima tam intra, quàm extra Peloponnesum possidebat: quæ omnia filio vnico Nicolao trimulo eâ conditione reliquit; vt si is nullâ relictâ prole moreretur, ad Theodorum Manuelis filium, quem tutorem eidem præfecerat, tota hæreditas deuolueretur. Hic verò Theodorus monasticen cogitans, ius illud fratri Constantino liberè cessit. Anno 1430. Obijt porro anno huius seculi trigesimo, Iulio mense Carolus Tockius Acarnaniæ, & Aetoliæ Princeps. De quo, quin paucula commemorem, committere non debeo.

CAPVT XIII.

Qui, & quæ in Græciâ obtinuerint Tockij, Nerij & alij. Florentino Concilio interest Græcorum Imperator.

§. 1. Imperium Græcum lacerum.



VEtus est, & celebrata Græcis parœmia: Cadente quercu, quisque ligna colligit. Nobilissimi olim Græciæ siue Orientis Imperij, vbi varijs quà Turcorum, quà Latinorum, aliorumque Principum manibus, perinde, quasi ad radicem actis bipennibus, quassatum corpus ruinam minari visum est: non modò è vicino Dynastæ, verum etiam è remotioribus, totoque mari disiunctis locis, minorum gentium nobiles, *Laonic. Summont. Franza. Heroldus.*

nobiles, opimæ prædæ spe allecti, aduolarunt. Et primi quidem Genuenses triremibus instructis aliquot; Peloponnesi, quam Moream hodie dicunt, bonam partem potiti sunt; atque ex illis nonnulli Giacchariæ, seu Centeriones Achaiæ portionem aliquam, nec non Elidis: tum Pylon, & Laconiam obtinuere. Græci quidem eiusdem Moreæ penitiora, atque à littore magis abiuncta retinuêre. Giacchariæ.

Galli * autem, & Celtiberi Occidentales, siue Tarraconenses Hispani, eiusdem Moreæ seu Peloponnesi oram maritimam coluerunt. Renerio Acciaiolo Attica, Bæotia, & Phocis: Venetis Eubæa, nunc Negropontus cessit: Quam antea Philippus Doria, (Prothymium vocat Laonicus) Genuensium nomine gubernarat. Huius autem Philippi filiam sibi vxorem habuit Renerius; atque ex eâ susceptas fœminas duas: vnam Theodoro Porphyrogenito, Manuelis filio: alteram Carolo Tockio vel Topio, ortu Beneuentano, matrimonio copulauit. Et hic Carolus, aliquot Insularum pro Ioannâ Neapolis Reginâ Præfectus, pòst Acarnaniæ, & Aetoliæ Princeps fuit. Pleræque enim Græcorum tum Insulæ, tum regiones in Continenti sitæ: vbi se à suis deseri, & prædonibus impunè obijci videbant, in Neapolitani Regis potestate esse maluerunt: ex illarum numero fuerunt Insulæ * Cephalenia, Zacynthus, & Echinades: quæ ab eo Præfectos, nominatim verò * Carolum Tockium, accepere. 1. Acciaioli. 2. 3.

Sub id etiam tempus Epidamno ad Orientem profecti Albani Thessaliæ loca nonnulla, & Macedoniæ mediterranea inuaserant, possidebantque. Subinde illi etiam in Acarnaniam, * conniuente eius Principe Isaaco, vel Musachio Demetrij filio, & Manuelis Imp. nepote, irruperunt: eorumque Albanorum Dux Spata, siue Spata fora ipsum Principem (non autem Carolus Tockius: vti scribit Heroldus) interfecit. Verùm crescente inter epulandum, vt dicitur, alienorum fame: Albani etiam Italorum Prouinciam cœperunt arrodere. Sed hi præclarè se non tutati modò, verum etiam vlti, Arten expugnassent: ni §. 2. Albani. 4.

nicus de Daulos. Spartæ auxilio veniens Thomas, siue Prialupas Tryballus eam obsidione liberasset. Hic Italos malè mulctauit, eorumque Ducem Izaulum, vt Laonicus; vel vt alij distinctiùs Inicum Daualos Arragonensem Regi Neapolitano charum in paucis, captiuum, maximâ suâ fraude secum abduxit. Victoris quippe vxor, quæ captiuum deperibat: Inico persuasit, maritum de medio tolleret, eiusque ditiones occuparet. His tamen tam iniquè partis * Inicus diu

5. frui non est permissus; & breui ipse, vel certè eius filius cùm aduersus Carolum Tockium à Turcâ subsidia conquireret, captus & oculis orbatus est. In eius regiones mox inuolauit Carolus, cum Musa Baiazethis filius rerum

Renerij filij. adhuc in Europâ potiretur. Quam verò à socero Renerio, idem Carolus acceperat, Acarnaniam in duas æqualiter partes descripsit; & Acheloum amnem vtriusque limitem esse voluit. Atque eam quidem quæ ad Euenum fluuium pertinet, tribus filijs Memnoni, Turno, & Herculio, ex adulterio susceptis addixit; hique postea impiè ad Turcos defecerunt. Arten seu Ambraciam Carolo Tockio Leonardi fratris filio ex testamento reliquit.

Renerij generum alterum prædiximus fuisse Theodorum Manuelis Imperatoris filium, cum socer Corintho donauit. Antonium spurium Bæotiæ & Thebarum hæredem scripsit; Athenas autem, quas Hispanis Tarraconensibus surripuerat, in Venetæ Reip. potestate esse voluit; at vrbem hanc Antonius nothus per vim captam suæ ditioni subiunxit, seque Bæotiæ, & Athenarum Principem dixit: quas vt faciliùs tueretur Turcæ Imperio subimisit, & eius se vectigalem constituit.

§. 3. Antonius nothus Renerij. Huius Antonij siue naturâ, siue adoptione filiæ duæ nuptum elocatæ sunt: vna quidem Galleotto, siue Aleotto Malatestæ, * Ægynæ seu Legenæ, olim Phariæ in mari Dalmatico Insulæ Præfecto; altera Eubæensi, siue Negroponti è Molinorum familiâ Regulo. His duabus de dote vbi prouidit, Nerium Acciaiolum consanguineum Florentiâ euocatum, Athenas possidere iussit; ipseque

6. apoplexiâ

apoplexiâ ictus interijt. Summontanus, pro Neapolitanis Regibus has terras administrasse Acciaiolos refert. Nerium haud ita multò pòst segniùs quàm par est, res suas accurantem, Antonius frater occupat, & ditione exturbat; vicissim non longè & ipse à Nerio expulsus. Huic Franciscus Acciaioli Antonij filius nothus successit; qui tametsi fædissimè Turcarum Tyranno Mahometi ad nefarias voluptates corpus supposuisset: tamen Athenas cum Bæotiâ, & Thebis: tum & vitam ipsam cum morte violentâ commutare coactus est. Tanta est apud scelestissimos hosce Barbaros fides, & obsequiorum cura. Et his tamen passim videas è Christianis Principes temerè, ne dicam furiosè se suaque omnia credere. Nerius Acciaiolus.

Anno * Christi CIƆCCCCXXX mense Martio Thessalonicam Murathes obsedit: cumque à Ioanne Imp. rogaretur, vt fidei suæ recens datæ memor, iniuriâ abstineret; respondit: Venetorum se, non Græcorum regiones inuadere. Igitur vrbem acriùs, fortiusque vrgere cœpit; & expugnauit eodem anno, mense Aprili. Inde ad Ioanninam (quam Ioannis ditionem malè Leunclauius nominat) Aetoliæ vrbem itum est, hac occasione. Memnon, fratresque eius duo Carolo Tockio patrueli inuidentes Aetoliæ possessionem, se suaque Barbaro manciparunt: cumque in Carolum armauerunt. Et hic quidem, quoad potuit, Murathi; restitit, eiusque conatus refutauit. Donec viribus accisis, in Turcarum fide, & potestate esse se professus est. Sicque Aetolia Tyranno cessit; vt & Thebæ, quas eodem anno, qui fuit à Christo CIƆCCCCXXXVI Turachanes Murathis filius, Septembri mense expugnauit. 7. Thessalonica à Turcis capta. Anno 1436.

Dum hæc à Turcis agitarentur: noua Galatæos inter Genuenses, & Byzantinos exarsit discordia. Et illi sanè collectis suis, sociorumque nauibus vrbem obsident, Græcanica deprædantur nauigia: murisque subiectos agros hostiliter obeunt. At Ioannis Leontaræ Ducis Græcorum operâ, non modò dissipati: sed & Galatæ vicissim §. 4.

 arctissimâ

arctissimâ obsidione conclusi sunt. Tandem pax renouata est; quam illico fœdior, quippe intestina, atque adeo fraterna Byzantinorum Principum dissensio, bellumque excepit. Scilicet infelicissimis hisce Principibus quotidie pennæ, nunquam renascituræ euellebantur, nec tamen minuebatur: imò verò eorum crescebat regnandi cupiditas. Pro se quisque enitebatur, reclamantibus Cœlo, terrâ, Barbaris, Christianis in altum sese tollere: & quò maioribus periculis Græcorum scatebat Imperium: eò ardentior vel frustilli potiundi sitis animos vrebat. Cœci, futurorumque ignari homines! qui nescirent de eo se contendere, in vtrius fratrum capite Byzantini diadematis decus, & nomen æternum immoreretur.

Græci Imp. fratres dissident.

Ioanni non erant liberi, nec de ijs suscipiendis spes affulgebat. Quapropter Theodorus, qui ætate ab Ioanne proximè aberat, successurus fratri videbatur, si superuiueret: Constantinum tamen Ioannes Imp. fouebat, Imperioque destinabat. A Constantino Thomas, à Theodoro Demetrius fratres itidem stabant. Insuper de Peloponnesi Præfecturâ disceptari cœptum: quam vterque candidatus ambiebat. Tenuit hoc bellum à Iunio ad Septembrem vsque anni CIϽCCCCXXXVIII, quo tandem ex amicorum arbitrio extincta lis est; decretumque vt Constantinus Byzantij domicilium haberet, Theodorus & Thomas in Peloponnesum secederent.

Anno 1438.

Sigismundus Occidentis Imperator anno huius sæculi XXXVII occiderat: eique in Hungariæ regno successerat Albertus gener Dux Austriæ. Sigismundi morte ad maiora audenda Murathes concitatus Georgium Mysiæ veteris, seu Rasciæ Despotem adoritur. Ille viribus haud satis pollens, traiectis Sauo & Danubio amnibus in Hungariam, cum numerosâ nobilium & Sacerdotum manu, ac filiorum altero emigrauit. Alij duo in Mysiâ relicti, Bonfin. Bizar. Ionius.

Georgio Rasciam Murathes aufert.

8. qui * Synderoniam in ripâ Danubij sitam, & à Turcis obsessam propugnarent. Expugnarunt tamen Turcæ oppidum: in eoque pro more sæuierunt: Stephanum & Georgium

Georgium Despotæ filios admotâ candente æreâ pelui oculis orbarunt; eorum tamen sororem Murathes in vxorum, seu concubinarum numero habuit. Cæterum Rasciam occupauit Græcos repeto.

§. 5. Sæpe sæpius viuens, & moriens potissimè hortatus obtestatusque filium fuerat Manuel, vt Latinos, hoc est Occidentales Principes in auxilium, bellique societatem aduocaret; nunquam alias Barbaris sistendis parem futurum, quamdiu autem in Religionis capitibus à Romanis dissentirent, amicitiam cum ijs coire neutiquam videri posse. Huius consilij probè memor, perspectâque eius sequendi necessitate Ioannes, ad Occidentalis, seu Romanæ Ecclesiæ Principes Legationem instruit: quâ se summo pacis & concordiæ inter vtrumque Imperium, in ijs quæ ad Religionem pertinent, ineundæ flagrare desiderio: imò si annuerent, rebus hisce disceptandis vnà cum suæ partis Antistitibus Synodo adesse velle, significabat. Lacerabat id temporis Romanam Ecclesiam fædum Schisma. Conuenerant siquidem Basileæ plerique è Purpuratis, alijsque Patribus, de morum reformatione, hæresumque nuper in Bohemiâ exortarum damnatione acturi: at alia omnia moliri visi sunt; nam contra Eugenium IV legitimum Pontificem insurgere: eius, sanctæque Sedis auctoritati pugnare: imo & de eo solio mouendo consilia agitare ingressi sunt. Eugenius profectò his obniti, Synodum Ferrariam euocare, Basilcenses ad sanam mentem vt redeant, per Panormitanum Iure, quod canonicum vocant, consultissimum aliosque non inferioris notæ viros, quà precibus, quà minis sollicitare non destitit; sed actum egit. Illi pertinacius obfirmant se, ab Eugenio Pontificatum abiudicant: eique Amedeum Allobrogum, siue Sabaudiensium Ducem suffeciunt: & legitimo Petri successori Pseudo-Pontificem Eugenio Felicem (ita quippe hic dici voluit) opponunt. Et illi quidem in suas quisque partes Græcum Imperatorem pollicere conati, etiam triremes Constantinopolim transmi-

Consilio Florentino Ioannes Imp. interest.

Labnic. Naucler. Volaterr. Genebr. Turco Græc.

transmisere: quibus eum in Italiam deducerent. Euicit Eugenius: qui mox Bononiâ, vbi aliquamdiu substiterat, Ferrariam se contulit, in eâ Synodum coacturus. Quia vero eam vrbem pestis afflarat, assentientibus cunctis Florentiam immigrauit; quò etiam Ioannes Imp. concessit: vnà cum fratre Demetrio, multisque alijs vtriusque ordinis, cùm sacri, tum prophani: in quibus Iosephus Patriarcha, Philippus Bessarion Nicææ, Marcus Ephesi, Isidorus Russiæ Episcopi, Trapezuntius, & Amyrutza eminebant. Et ij omnes præter Ephesinum (qui Florentiæ non multò post obijt) in Romani Pontificis verba iurauere: anno Christi CIƆCCCCXXXIX. Et quidem Bessarionem, qui huic consensioni sedulò incubuerat Purpurâ donauit, atque apud se vna cum Isidoro Russiæ Episcopo, rebus deinceps maximis vsui futurum Ecclesiæ, detinuit Eugenius. Cæteri anno vertente Constantinopolim redierunt; vbi plerique omnes, vel propter innatam animi leuitatem, vel metu seditionis, & tumultus, quem sacrorum mutatio conciuerat, Florentinæ Synodi placitis valere iussis, in antiquos errores, damnataque à se nuper scita relapsi sunt: ideoque indigni habiti, qui à Latinis, quibus tam turpiter illuserant, iuuarentur.

Eique subscribit. Anno 1439.

Ab eo mox Græci resiliunt.

CAPVT XIV.

Ioannis Hunniadæ facinora. Vladislai Hungariæ Regis cædes, & clades Varnensis. Græcorum Principum dissidia.

§. I. Variæ Hunniadis victoriæ.



Vrathi Hungarorum dissidia nescio quos spiritus attulerunt. Copias ille cogit, in Hungariam grassatur; Albam obsidet: sed vrbis Episcopi, & Præfecti virtus Barbari spem elusit: eumque inglorium, octo suorum millibus desideratis, redire

Leon. Bonfin. Iouius. Bizar. Leunel. Turco-Gr. Franza. [...] Callimach. Barlet.

redire compulit. Bassarum vnus Synderouiæ Præfectus eodem in agro à * Ioanne (Iancum vocant Turci) Coruino Hunniade insigni pòst paulò clade affectus est. 1.
Transsyluaniam Vladislai nomine regebat Coruinus: in eam instauratis copijs, Mezethem Turcus immittit. Ille obuia quæque diripit, & vrit: Coruinum imprudentiùs occurrentem cædit, fugatque. Sed breui hanc labeculam vir fortis, Turcarum plurimorum, atque adeo ipsius Mezethis, filijque eius sanguine eluit; de quibus ad Albam Iuliam præclarè triumphauit, toto pænè Barbarorum exercitu ad internecionem deleto. Ceciderunt enim ex ijs supra viginti millia, Hungarorum vix ternis millibus desideratis. Quæ victoria latè diffusa Valachos, qui Transalpinas oras, Moldauiamque incolunt (Getarum hæc erat olim regio) perpulit: vt ad Regis Pannoniæ à quo antea desciuerant, fidem cultumque redirent. Hanc binâ aliâ non ignobiliori Coruinus victoriam subinde cumulauit; primò quidem quum Bassam Sciabadinum, siue Scachum Abedinem Romaniæ Beglerbegum, octoginta militum millia trahentem in Vascapo Valachiæ vico superauit, deleuitque: vt è tanto exercitu vix media pars traiecto Danubio euaserit. Alteram cum Vladislao Rege, & Mœsiæ Despotâ reportauit; * Sophiâ enim illi Bulgariæ oc- 2.
cupatâ, & direptâ, trans Morauam fluuium Turcam cum decem equitum dumtaxat millibus aggressi, triginta omnino hostium millia vnâ nocte cæciderunt: alia quatuor millia in compedes dederunt, vix quingentis è suorum numero amissis. Mitto * Carambum, subinde captum ad 3.
Hæmi montis imum, eiusque aciem ab eodem Coruino dissipatam: cunctis Europæ Principibus æquè, ac de plebe viris stupentibus, tantoque viro aggratulantibus.

§. 2. Hungaros Græci aduersus Turcas sollicitant.

Ioannes Palæologus Imp. etiam ad has victorias exultauit: atque in animum induxit, Turcarum excidio Coruinum hunc è Cœlo, Christianorum res miserante, missum esse. Ad eum igitur, eiusque Regem Vladislaum Legatos mittit, enixè rogatum & hortatum, vt tam auspi-

catis cœptis insistere ne grauentur, tantam esse in Turcarum animis Hungarici nominis formidinem: vt de Europâ deserendâ cogitent. Miraculum, quo Deo hæc cordi esse confirmaret adiecit: eo quo Carambus captus esset die, Byzantij ad portam Macedonicam visum esse iuuenem candidatum, gestientem lætitiâ circumcursare, nuntiare Turcarum cladem, & suscipiendæ, in diræ gentis exitium, expeditionis admonere. Demum si à Vladislao bellum instauretur, pollicetur se cum validissimis copijs à Traciâ verno tempore affuturum. Erat porro Vladislaus ex Iagellonum Poloniæ Regum familiâ: quem Hungari abiecto Ladislao Austriaco, Alberti II posthumo, è Poloniâ aduocarant, atque Hungariæ regno præfecerant. Iam verò Græci Regis orationem Iuliani Pontificis Legati adhortatio, & Despotæ lacrymæ roborabant: Igitur nequidquam obsistentibus Polonis, qui Tartaris Poloniâ auertendis Regem volebant incumbere, bellum contra Turcas in Vernum tempus indictum. Ab Eugenio Pontifice maximo, reliquisque Orbis Christiani Principibus auxilia petita, & impetrata sunt; quos secunda fama ad hoc bellum recens accenderat. Ferebatur siquidem Caramaniæ Regulus, quem Carmanoglium Turci vocant, cum ingenti agmine in Pontum & Bithyniam, Asiâ Minori Murathi interdicturus properare. Quin etiam ipse Turcarum Rex, ita animo perculsus est: vt de pace potiùs, quàm de bello cogitare cogeretur. Mittit itaque Legatos hac de re ad Vladislaum & Coruinum: conditiones offert oppidò commodas: quas, vt longior ne sim, admittunt. Ille quæcumque in Mœsiâ occuparat, pristinis possessoribus restituit.

Chromer. Bonfin.

Pax ab Hungaris Turcæ data.

Confectâ iam pace, digressisque Turci Legatis, vt ex composito promissa præstarent, Francisci Cardinalis Florentini, qui in Hellesponto Latinam classem gubernabat, tum etiam Ioannis Palæologi vno exemplo litteræ allatæ sunt: quibus significabatur, Murathem copias suas, vt Europæ nulli præsidio milites superessent, in Asiam omnes aduersus

Græcorum suasu refringitur.

aduersus Caramanum transmisisse: procliuius esse nihil, quàm vt Europâ totâ Tyrannus pelleretur. Irent itaque cum bono Deo Hungari coniunctis viribus, communemque Orbis pestem, opportunè tandem opprimerent. Pænituit primùm Hungaros datæ Barbaris fidei; tum subijt animum contra datam priùs Christianis socijs fidem, pacem cum infideli esse sancitam. Illam resarciri non posse, nisi hâc violatâ. Et verò eam perfidis, passimque sacramenta proculcare solitis, rescindi semel aliquando, maximo totius Christianæ Reip. bono, nefas esse, dicturum esse neminem. Ad arma igitur, pessimo sanè, & perniciosissimo consilio conclamant.

Duæ ad Gallipolim Vladislao viæ proponebantur, vna campestris, & breuior per extremam Thraciæ oram, inter Rhodopem Bistoniamque paludem: in Pontum altera ad Solem orientem; mox præter Ponti littora, & lustratâ Thraciâ declinato ad meridiem itinere Gallipolim ducebat. Hanc ingredi placuit. Georgium Castriotum Epiri Principem frustra Vladislaus expectauit; cui ad Seruiæ oras cum lectâ manu decem millium armatorum progresso, Georgius Bulconitzius Christiani nominis, non Religionis (quam nullam habebat) Princeps obstitit, viamque occlusit, maximo Hungarorum damno: in quos dubio procul fortissimus vir palmam Turcis præreptam auertisset. §. 3. **Vladislaus in Turcum inuadit.**

Ad Nicopolim Hungarum Vladislaus Dracula Valachiæ, quam montanam dicimus, Regulus conuenit: visoque Regis exercitu, & paucitate, militum consternatus, eum continuò orare, ac obtestari cœpit, ne vltrà contenderet. At insolito Ducum militumque animos procedendi desiderio æstuantes, cohibere non potuit. Ad Pontum peruentum est, & Macropolis, Callacium vel * Caliacra, Varna, & maritima pleraque oppida, per deditionem accepta sunt. Interim Murathes huius belli nuntio ex idoneis auctoribus percepto in Europam redijt: Christianis, proh dolor! nauigiorum inopi triremes affatim ad **Dracula eum à bello isto deterret.** 4.

 trans-

transmittendū exercitum suppeditantibus. Prope Isthmum Thraciæ Cherronesi copias coniunxit; indeque septimis castris haud longiùs quàm quatuor millibus passuum à nostris consedit. Et Turci quidem Hungaros qui sub vrbem Varnam, antiquis Dionysopolim, castra posuerant, statim adorti sunt. Anceps vtrimque sub initium pugna. Numero Murathes, virtute Vladislaus vincebat. Cumq; suos nutare, primosque ordines disturbatos cerneret: ferunt Murathem depromptum è sinu codicem initi, sanctitique fœderis explicuisse, Christumque, vt nominis sui per cultores suos fœdè violati vindex existeret, adiurasse: nec frustra. Continuò enim in Turcos inclinauit victoria: ipse Vladislaus suprà quàm Regem deceret, in confertissimos hostium cuneos delatus, telorum syluâ confossus occubuit; eiusq; cùm cadauer Barbaræ gentis ludibrium à Turcis raptatum: tum caput per Cheserem Begum hastæ præfixum pro vallo statutum est. Quod vbi conspexêre Hungari, animis defecti terga vertêre. Ita cecidit Vladislaus Iagellonius, Hungariæ & Poloniæ Rex, meliori fortunâ dignissimus. Iulianus Legatus, & Cardinalis S. Angeli, Stephanus Bathoreus Stephani Vaiuodæ Pater, Henricus item Themisij Vaiuodæ filius, alijque plurimi principes viri eo in prælio ceciderunt. Vix tertius quisque è tanto numero euasit; quamuis non incruenta Turcis cesserit victoria, quorum ad triginta circiter millia interfecta fuisse ipsorum fatentur historici: eoque Murathem cuidam victoriam hanc extollenti dixisse ferunt: Haud equidem velim eo sæpe pacto vincere. Coruinus huius cladis futurus vltor, meliori se fortunæ seruauit: at eum tamen virum, vt Seruiam attigerat, Georgius Bulconitzius, eius regionis Despota, in vinculis tamdiu habuit: donec aliquot, quæ sui iuris dicebat esse, oppida ab Hungaris restituerentur. Hæc contigêre iuxta Græcos, ac Latinos anno quadringentesimo, quadragesimo quinto, supra millesimum, pridie S. Martini. Quæ latiùs paulò fusiusque, quàm pro more nostro, commemorata esse volui; quò hinc constet, vt

[Margin notes: Cum Turcis confligitur ad Varnã. — Vladislai cædes. — Coruinus fugit. — Anno 1445.]

spem,

ſpem, quam de Turcis profligandis Chriſtiani concepe-rant, ipſi poſuerint, miſerrimumque Imperij Græci exi-tium accelerarint fractæ fidei auctores.

Franza. Leon.

§. 4. Imp. Græcorum pacem obtinere nequit.

Infelix Ioannes Palæologus veritus, ne quod aliàs poſt Nicopolitanum acciderat, in ſe huius belli poſtremus tur-bo verteretur: pacem quam potuit humillimè, & ſeruili-ter à Murathe, quem Græcorum conſilia minimè latue-rant, efflagitauit: nec impetrauit. Iam antea ſemel Ty-rannus regni curâ ſe abdicarat, atque in ſolitudinem ab-diderat: ſed à ſuis Purpuratis reuocatus vt Mahometanæ rei laboranti ſuccurreret, ſuis ſe reddiderat. Vix ab hac clade ſeſe in eremum retulit, cum rurſum importunis ſuorum precibus, regni habenas, atque arma reſumere coactus eſt. Anno igitur CIↃCCCCXLV Peloponneſum, ſiue * Moream ingreditur, Geremem, aliaque oppidula populatus, Adrianopolim reuertitur. 5.

Græcorum Principum diſſidia.

Quis credat tam turbulentis temporibus, afflictiſque Chriſtianis rebus, Chriſtianos ipſos inter ſe, adeoque in ipſo Barbari conſpectu digladiari potuiſſe? Et tamen tri-bus abhinc annis, Demetrius Deſpota, quod ſe parte regionis ſuæ ſpoliari quereretur, in Ioannem fratrem Im-peratorem arma mouerat: & Murathis (qui ſuam operam tam vtili ſibi fouendo atque augendo incendio deſiderari nunquam patiebatur) copijs adiutus Conſtantinopolim ipſam coronâ cinxerat, ſuburbanos eius agros vaſtauerat, peioraque moliebatur: niſi pacem conditionibus æquiſſi-mis Imperator obtuliſſet. Nunc verò Theodorus, (perin-de quaſi in ſcenâ per vices partes agerent) in arenam deſ-cendit, Conſtantinum fratrem laceſſere aggreſſus. Inde etiam, ſi Laonico credimus (qui videtur Theodoro, quę Demetrio Franza, tribuere) Imperatori ipſi bellum intu-lit. Pax quidem non longè pòſt data, atque ab eis ac-cepta eſt, his legibus: vt Conſtantinus in Peloponneſum abiret, Theodorus Conſtantinopolim, non ita verò tem-pori hæc fædera icta ſunt: quin eos Amurathes præuerte-rit, eorum quippè diſſidijs probè vſus in Peloponneſum

 excurrit,

Achaiam, & Peloponnesum Murathes occupat.

excurrit, murumque ad Hexamilium Isthmum, recenter à Constantino exstructum diruit. Inde in Achaiam properauit: & vtramque regionem Achaiam scilicet, ac Peloponnesum, non magno labore, suo Barbarus adiecit Imperio; in ijsque præsidio relicto in Albaniam siue Epirum arma transtulit, Georgiumque Castriotum impugnauit. Quo de viro si prorsus taceam, sceleris pæne arguar, ita hic ad historiam nostram facit; vtpotè qui non modo Græci Imperij partem diu contra Turcarum impetus conseruauit: sed etiam, quasi aggere opposito, ne Europam totam alluuione tegeret, Barbaricum furorem cohibuit. Ea propter de eo antè paucula interpono, quàm vltimam Græci Imperij, libellique huius catastrophen, ad quam me accingo, expediam.

CAPVT XV.

Georgij Castrioti Scanderbegi vitæ, rerumque gestarum compendium.

§. I. Ioannes Castriotus Epiri Rex, & eius sors.

Barlet. Lonicer. Bizar. Leunclan. Iouius &c.



Eorgio pater fuit Ioannes (Ibanem Turci dicunt) cognomento Castriotus; Epiri, & eius Macedoniæ, quæ ad Adriaticum mare vergit, Dynasta; qui sedem regni Croiæ in Illyrijs ciuitate nobili & potente collocarat. Huic quatuor fuere filij Reposius, Constantinus, Staniza, siue Stanislaus, & quartus Georgius: tantò alijs virtute, dotibusque corporis ac animi superior, quantò ætate inferior erat. Id temporis in Macedoniam, omnesque circumiacentes regiones incursionem fecerat Murathes, ferroque & igni obuia quæque deuastans nullius vel vitæ, vel bonis parcebat. Quo territus periculo Ioannes Castriotus Epiri siue Albaniæ Rex: ne fato vrgenti non cedere, sed cuncta simul in ruinam secum trahere velle censeretur, vltro in clientelam,

telam, & fidem Tyranni concessit, se & sua omnia ei permittens. Et Murathes quidem huiusmodi pacto mitigari se passus est: vt Castriotus per omnia iure suo cedens, totus in Turci potestatem, ditionemque transiret, eiusque se clientem profiteretur: tum nullum cum Christianis Principibus fædus iceret; quatuorque Tyranno filios daret obsides. Quid huic Principi postremâ istâ conditione tristius, duriusue accidere potuisset, nihil video. Vicit tamen paternum affectum grauioris mali metus: & immanissimi Tyranni, ac Religionis Christianæ hostis acerrimi tutelæ, & fidei, lanienæ potiùs, & perfidiæ committere liberos coactus est. Eos Murathes secum abductos, contra datam fidem Mahometis sacris initiari, atque circumcidi curauit; mutatisque de more eorum nominibus, alios quidem aliter,* Georgium verò, quòd præclara supra cæteros in eo indoles emicaret, Iscender Beg, id est Alexandrum Dominum dici voluit. Ex quo Scanderbegum, alij Sandorobecchum Bonfinius, Scenderem Laonicus finxerunt: magnumque Alexandrum, non rectè si nominis etymon, rectissimè autē si mores hominis attendas, interpretati sunt; quippe qui Macedoni isti Asiæ domitori vix quidquam cederet. Vixdum enim decimum octauum ętatis annum attigerat, quando præferocem quendam Scytham, qui, Goliæ instar, quoslibet è Murathis aulâ ad singulare certamen prouocabat; nudus & pedes Georgius Castriotus triumphauit; caputque à corpore præcisum muneris loco Murathi obtulit. Apud quem tam inusitata fortitudo eam laudem commendationemque reperit: vt id ætatis adolescenti totius exercitus Turcici ducendi regendique cura committeretur, atque Sultani Legatus copiarumque Præfectus generalis ipse crearetur.

Murathi se permittit, suosque illi filios dat obsides.

1.

Georgij facinora.

§. 2.

In Græciâ, Hungariâ, vicinisque regnis eius virtus inprimis fuit conspicua, semperque in eam curam incubuit: quomodo cum minimo sanguinis Christiani detrimento bellum conficeretur; Nunquam quippe Christi fidem eiurarat. Quæ cautio cur eum apud Murathem

nonnemo

nonnemo proditionis atque ambitus accusaret aliquando, caussa fuit; Verùm eius in rebus gerendis hactenus satis comperta fides & industria, huic semper suspicioni, quominus admitteretur, intercessit. Mortuo tandem Ioanne Castrioto Epiri Principe, adeo non eius liberis, quod inter eos conuenerat, paternum regnum Tyrannus restituere cogitauit, vt etiam filios eius tres natu grandiores, veneno sustulerit. Georgium verò non tam Barbarus suis commodis, quam Dei propitium Numen suo nomini, gloriæque propugnandæ reseruauit. Eum tamen quò sibi arctius Murathes deuinciret, hæreditatis adeundæ spe inaniter annos aliquot lactauit; donec Scanderbegus Barbari consilio, & fraude perspectis, fugam ineundi, regnique sui recuperandi rationes meditari occœpit, & reperit. Contra Ioannem Hunniadem, & Hungaros ad Morauam fluuium, vti supra memorauimus, confidentes Turca Carambeium Bassam, & cum eo Scanderbegum præmiserat, ipse cum robore exercitus breui secuturus. Dum pugna committitur Castriotus sensim hosti de industriâ cedere, atque deinde terga dare; maximo ad eandem fugam reliquis militibus Turcis exemplo. Ruere igitur in fugam præcipites; Coruinus insequi, & palantes nullo negotio obtruncare. Tum Scanderbegus, qui sedulus obibat omnia, re cum amicis, addunt aliqui etiam cum Hungaris antè communicatâ, assecutus Bassæ scribam auricularium: quem ad id summâ ratione obseruabat: vinculis, & mortis iniecto metu facilè adduxit, vt fallaces litteras ad Croiæ Magistratum scriberet, quibus iubebatur Murathis nomine Scanderbego, nouo ab Rege Turcarum Albanis Præfecto designato arcem & vrbem tradere. Litteris exaratis scriba, & quotquot eius rei conscij esse è Turcis poterant, obtruncantur; tum exiguâ, sed forti Epirotarum, quos è strage hàc collegerat, manu stipatus in Epirum aduolat, Croiam ingreditur, Turcos omnes signo dato trucidat. Dein delectu quà potuit habito, Petrellam, Petralbam, Stelusium, Sfetigradum, cæteraque

Ioannis obitus.

Fugit Castriotus, & astu regnum recuperat.

teraque eius regionis oppida, ante pænè quàm eius rei rumor ad Murathis ferretur aures, partim vi, partim deditione in potestatem recipit: imò implicato bellis Hungaricis Barbaro, hyemem solidam Castrioto ad cœpta persequenda Deus indulsit.

Interiecto tempore Haly Bassam, eiusque exercitum, tametsi longè numero inferior ita fregit, vt ex iis vix trecenti superessent. Cum Varnensi prælio interesse Scanderbego siue Castrioto per Georgij Seruiæ Despotæ impietatem non licuisset; cladis famâ perceptâ, in ipsius Despotæ regionem atrociter sæuijt, eamque incendijs & sanguine deformauit. In Murathis Prouincias grassari institit: quas deinde ita sæpe diripere visus est: vt vicini Principes agrum hosticum Scanderbegi ærarium appellitarent. Denique post Mustapham Turcici agminis Præfectum vno prælio captum, altero Feriballam Castrioti ipsius manu iugulatum; Murathem ipsum cum centum omnino & sexaginta millium armatorum manu, atque adeo Sultani filio Mahomete, Croiam obsidere aggressum, post varios conatus: in quorum vnò non pauciores quam octo Turcarum millia ceciderunt; eò doloris & impatientiæ adegit, vt quinto obsidionis mense sub ipsis Croiæ mænibus indignantem animam expueit. Aliquot ante mortem diebus, voce tremulâ, & manantibus per ora lachrymis, illud identidem Mahometi filio inculcabat: Hostem nullum contemnendum vnquam. Huius vnius neglecti consilij se iam pænitentiam agere, acturumque in aliâ, si fas sit, etiam vitâ. Obijt Murathes anno Christi CIↃCCCCL, regni XXXVIII.

§. 3. Varijs prælijs Turcos superat.

Murathis mors.

Anno 1450.

§. 4.

Sed antequam eius successorem producam, verbo quod Castrioti vitæ reliquum fuit, percurro. Mahomethes Patris, suamque iniuriam vlturus, in Epirum Amesam Castrioti nepotem, tum & Debream cum copijs immittit: sed ille vincula, hic mortem ab Epirensis manibus accepit. Mosem ex amicorum fere Principe, & arcanorum omnium conscio, turpiter ad Turcas dilapsum:

Mosis, & Amesæ perfidia.

sume, ac contra populares, Regemque suum hostili cum exercitu redeuntem contudit, & deuicit: ita vt infelix apud Barbaros ludibrio ob cladem hanc expositus, nihil tutius, honestiusue habuerit: quàm ad sibi notam Scanderbegi Castrioti clementiam, abiecto Turcâ, recurrere. Grauiùs Amesæ nepotis Castriotum perfidia perculit. Hunc enim à patruo optimè de se merito sola honoris, opumque cupiditas auocauit. Atque iste nefarius transfuga à Barbaro Epirotici Regis titulo ornatus, & quinquaginta equitum millibus, quibus Isaac Bassa præerat, impetratis: in Epirum regreditur, cuncta sternit, prædas vndecunque agit; at dum spolijs amicæ gentis onustus cum Bassâ lætus conuiuatur: de repentè eos Castriotus occupat, Isaacum castris exuit, hostilem exercitum concidit; Amesam tamen bellum Epiri Regem viuum capit. Ceciderunt eo in prælio viginti, vel triginta Turcarum millia, capti mille quingenti: inter quos & Sangiacus quidam Mesi dictus. Atque Amesa quidem Neapolim ad Alfonsum Regem, arctâ claudendus custodiâ traductus, & post Regis obitum ad patruum remissus est. A quo libertate donatus, Byzantium ad Mahumetem profectus est: in speciem requirendæ vxoris; at ibi sepulcrum reperit: à Tyranno, vt credere pronum est, veneno sublatus.

Vtrumque cædit.

Cæterùm hæc victoria Mahumetem sic fregit, inducias vt Castrioto volens obtulerit. Quæ vt exierant Carazabegum, Assambegum, Iussumbegum, varijs prælijs Castriotus superat; & iam non inducias, sed pacem sibi à Barbaro paciscitur oppidò commodam. Cum verò Pij II Pontificis maximi hortatu Christiani Principes sanctè iuxta & strenuè in Turcæ perniciem conspirassent: etiam ipse Castriotus in eorum societatem haud difficulter se adduci passus est. At morte Pontificis turbatis dissipatisque Christianorum hisce consilijs, antequam hæc bellica Societas coalesceret: in vnum Castriotum Barbarorum ira furorque incubuit. Sed non ideo inuicti Principis animus

Inducias, tum & pacem à Mahumete accipit.

animus elanguit; quinimò Seremetium, & Balabanum Mahumetani Duces exercitus, pro eo ac consuerat, fortiter sustinuit: & illum quidem fregit: ab hoc verò victus superatusque est; vt disceret aliquando, quod est in Poetis, * cauponari fortunam, & merum nunquam, dilutum fere cunctis propinare mortalibus. 2.

§. 5. Moses, quem cum Castrioto in gratiam rediisse dicebamus, pluresque alij, non genere, quàm virtute nobiliores, in hostium potestatem deuenere: quos Tyrannus, non auro redimi, non cum captiuis permutari permisit: sed omnes post edita in eos cuiuslibet exquisitissimæ crudelitatis exempla, viuos cute nudari præcepit. Non longè enimuero hanc immanitatem inultam abire passus est Castriotus: Balabanique copias de nuperâ victoriâ tumidas internecione iterum, iterumque deleuit. Mahumetes furore percitus, exclamasse auditus est: Se iam non Asiæ domitorem, non Regem, non hominem, sed mortalium omnium opprobrium esse: ni se hoc vili mancipio expediret. Coacto igitur ducentorum millium exercitu Croiam circumsedet: machinis, tormentisque oppugnat; sed præter suorum quotidianas strages: vbi se nihil admodum referre vidit: relicto ad obsidionem continuandam Balabano, Byzantium rediit. Quo in reditu cum Castrioti, & Epirensium sanguine sitim suam explere nequiret: eam Chaoniæ & Chydnæ populorum cæde aliquatenus lenire voluit. Horum enim hominum præter imbellem sexum & ætatem, qui se vltro dediderant, contra datam fidem, octo millia pecudum more mactauit.

Mahumetis crudelitas.

Croia iterum cum CCM. obsessa.

Interea Romam Castriotus Pauli II Pontificis, Italorumque Principum auxilia efflagitatum excurrit; atque inde aliquâ pecuniæ vi non magnâ donatus, maiori spe fretus ad suos reuertit: Balabani fratrem Ionimam cum filio viuos intercipit: tum verò & ipsum Balabanum Georgij Alexij Epirotæ manu obtruncat. Huius morte soluta quidem est Croiæ obsidio: sed continuò ab ipso Mahumete instaurata. Eheu! cum Lyssum Castrio- Soluta.

Castrioti mors. tus euolasset Venetos, reliquosque belli socios aduersus Barbarum armaturus, intempestiua mors, victorijs pluribus, quàm annis grauem, ad pacem, quam nunquam viuens ne primoribus quidem labris attigerat, æternùm in Cælis fruendam euocauit; ætatis anno sexagesimo tertio: postquam annos totos quatuor & viginti, Barbarorum furori obstiterat. Obijt extremum diem XVI Cal. Februar. anno salutis per Christum redditæ CIƆCCCCLXVII. Qui primus perditæ Epiroticæ rei numerari potuit: quando secum inuictissimus Princeps, omnem bonam suorum fortunam in eundem tumulum traxit.

Anno 1467.

Epirus occupata à Turcis.

Posteri Castrioti. Quamprimùm enim Scodra, Croia, cæteræque vrbes in Turcorum potestatem reciderunt. Eius posteri vna cum Albanis seu Epirensibus plurimis, quos Stradiotas (quod milites Græcè sonat) vocamus transierunt Neapolim; cuius Regem Ferdinandum Arragonium contra Gallos olim Castriotus propugnarat. Hîc illi duplicem familiam Castriotorum, quarum vna Concubleta appellatur, condiderunt; ipsiusque Georgij Castrioti Regis, seu Scanderbegi pronepos, in Ticinensi prælio, regiâ Francisci primi Gallorum Regis manu occubuit.

§. 6.

De eo mira. De Scanderbego ea referuntur, quæ admirationem faciliùs, quam fidem reperiant: nisi passim tanquam certa & explorata ab idoneis auctoribus recitarentur. Narrant enim eum pugnam detrectasse nunquam: non sæpius terga vertisse: nisi si quando hostium castra exploraturus deprehenderetur. Eum nisi semel in brachio, atque iterum in pede leuiter, nunquam esse vulneratum. Hostibus supra equitum sena, terna peditum millia non opposuisse vnquam. Suâ ipsius manu plusquam duo Barbarorum millia peremisse: tantâ vi atque impetu, vt plures medios transuersim, alios à capite ad vmbilicum rectâ dissecuerit. Quorum immanium vulnerum truculentiam, cum hostes è prælio reuersi Byzantij deprædicarent: ipse Tyrannus gladium, quo ad facinora eiusmodi vtebatur, videre concupiuit: at cum in eo præter communem aliorum

ensium

ensium aciem nihil aduertisset; significauit ei Castriotus se gladium, non brachium misisse: cuius robore hæc miracula patrarentur. Qui porrò eius vitam à Marino Barletio scriptam perlegerit, non absurdè tantum corporis animique robur, quod alij in Godofredo Bullonio obseruarunt, in castitatem eius eximiam referendum putabit. Brachio penitus nudato pugnabat semper, & cum ipsam inuadebat pugnā, labium inferius ex animi æstu findi, & cruoris plurimum emittere consueuerat. Eius mater, cum eum gestaret vtero, visa sibi est, per somnium, serpentem huiusmodi parere, qui corpore Epirum tegeret, capite Turcorum Regem voraret, caudæ verò Christianorum propugnacula ad mare ipsum Adriaticum sita spiris obligaret. Ipsum autem vbi in lucem prodijt ensis figuram brachio, à naturâ ita graphicè expressam, vt artem vinceret, gestasse memoriæ proditum est. Hunc Herculem, aut Athlantem, vt cum Poëtis loquar, Christiano Orbi fulciendo Deus submiserat; sed succollante nemine è Latinis Principibus, qui fratrum, quàm Barbarorum cruore immadere malebant, Orientis Imperium funditus ruere necesse fuit.

CAPVT XVI.

Demetrius & Constantinus de Imperio certant. Constantinopolis à Mahumete oppugnatur.



TAndem igitur aliquando ad vltimum fortunæ, seu veriùs irati Græcis Numinis, ictum explicandum accessimus. Nullæ mihi longiores ambages restant, nec quâ parte quassata hæc Byzantina Respublica rimas egerit, aperire operæpretium esse videtur; qui ijs hactenus toto hoc libro explicandis totus fuerim. Discordia primas, medias, postremasque impressiones fecit. Et quemadmodum vsuuenire assolet,

vt multis tempestatum, fluctuumque assultibus saucio, iamque fatiscenti nauigio: non iam grauiori turbine, aut decumanâ vndâ, vt pereat, opus est; quando vel remittentibus se ventis, & ponente tumorem iramque Oceano, leuiculâ vtriusuis verberatione ruinam vltro accipit; haud multò secus, Regina quondam vrbium Constantinopolis, quæ præcedentium dissensionum & bellorum ciuilium intestino sæpius ariete pulsata, & debilitata fuerat: tandem leui fratrum dissidio, in vltimum, lethaleq; vulnus patuit.

§. I. Ioanne Imp. mortuo de regno disceptatur. Anno 1449.

Anno vndequinquagesimo supra quadringentesimum & millesimum, Ioannes Palæologus Græcorum Imperator vitâ excesserat pridie Cal. Nouemb. septem & quinquaginta vitæ annis exactis, regni vero viginti tribus, mensibus itidem tribus. Et quia prole caruerat, regni successionem inter Demetrium, & Constantinum (Theodorus etenim Selybriæ peste sublatus annũ ab hinc alterum, fratrem Ioannem præiuerat) dubiam incertamque reliquit. Disceptandi occasio eadem quæ olim * Darij liberis, non eadem concordia fuit. Demetrius ortu post Ioannem proximus erat: atque ideo naturæ legem pro se afferebat; verum patre priuato natus erat. Constantino Porphyrogenito, hoc est in purpurâ, & patri iam Regi nato, lex gentium plurimarum, & populi in primis gratia suffragabatur. Certatum aliquando inter eos, & verbis, & armis: atque in factiones duas Byzantina Ciuitas distracta, quem præferri oporteret, etsi nouerat, proferre non audebat. Tandem primatum consilio, & auctoritate ad calculos, pluraque suffragia res delapsa est: atque Imperator (si modò regiunculæ tam accisæ Præfectura, potius quàm Dynastia adeo augustum nomen admittit) & iam ratum id, sanctumque habente Murathe, dictus est Constantinus: longo interuallo alterum Constantinum Byzantij parentem, Imperij diuturnitate, amplitudine, & felicitate secutus. Illico Spartę vbi morabatur, sexto Ianuarij anno huius sæculi quinquagesimo coronatus est; indeque Martij duodecimo

[Right margin: Franza. Laonic. Ann. Turc. Turco Græc. — 1. * Iustin. l. 2.]

Constantinus Imp declaratur, Anno 1450.

duodecimo Constantinopolim venit. Demetrium, & Thomam fratres in Peloponnesum vt abeant, concedit.

§. 2. Iam mense Februario Murathes è viuis abierat, Mahometi filio Turcicum Imperium relinquens. Huic, etiamsi callidè quæcunque Parens Græcis promiserat, iureiurando confirmasset; nihil tamen minùs quàm promissi fidem liberare decretum erat. Semper nempe eius oculis Constantinopolis obuersabatur; quæ Turcicis tantùm non circumcincta Prouincijs, solo pæne murorum ambitu ab ijs distincta, oberat tamen quo minùs totius Græciæ, & Thraciæ Imperator diceretur. Ergo quò istum obicem tolleret, arcem opponere aggressus est. Eam à tergo Galatæ, atque ad Bosporum è mari Euxino profluentem condidit; vel potiùs iam olim ibi à Græcis positam (& ea fortassis erat, quam Lethes, vel obliuionis Gregoras vocat) nunc vero dirutam instaurauit, eo in littore, in quo angustissimus est Bosporus; ideoque Læmocopiam, quasi faucium incisuram appellat Laonicus. Castrum autem Græcis Neocastrum, Turres nigras Germani vocant: Turci Geni, vel Rumeli Chisar: vt & ei in Asiâ oppositum Anadoli Chisar nuncupant. Huic arci condendæ non modò non obstiterunt Græci, sed etiam operi lapides, & cæmentum præbuere. Hæc XXVI Martij anni CIↃCCCCLIII facta sunt; sequenti verò mense Mahumetes vulpem exuit; & quod dudum animo conceperat, Constantinopoli exercitum machinasque admouit.

Arx Læmocopia à Mahumete excitata.

Anno 1453.

§. 3. Mensibus ante hæc aliquot Isidorus Russiæ Cardinalis Sabinensis, Nicolai Pontificis Legatus Byzantium appulsus, tam appositè de tollendo Schismate, proque auctoritate Romanæ sedis perorauerat: vt conspirante Imperatoris & Senatus voluntate ad II Idus Decembreis rursum Byzantina Ecclesia fœdus consenserit: & præeunte Legato in Nicolai, eiusque posterorum verba iurauerit. Serum, inquit Laonicus, & inutile iam desperatâ Reip. valetudine consilium. Non magno hæc tentata esse commodo equidem nullus negem: non tam quia serò, quàm quia

Leon. Chius. Franza. Laon. Turco-Gr. Bizar. Ann Sultan Naucler. Iouius &c.

In Schismate se obfirmant Græci.

quia non ſerìò. Et vt Conſtantinus ipſe, paucique alij, quà ſacri, quà profani ordinis viri ex animo Romanæ Regulæ ſe ſubmiſerint; certè pleriqueòmnes vel eam reſpuerunt: vel ore dumtaxat non mente eam in ſententiam ierunt. Quod vel ex eo liquet, quòd paſſim Byzantinæ vrbis euerſionem, & Imperij caſum non ſuis, ſuorumque maiorum ſceleribus: ſed huic vni inter ſe & Latinos initæ concordiæ adſcribant. At verò iam olim multiſque abhinc ſæculis ruinam hanc à varijs prænuntiatam eſſe Græci, Latinique perinde memorant. Et primùm quidem etiam tum cùm à Turcis expugnaretur Conſtantinopolis, in Monaſterio quod Diui Georgij Manganenſe dicebant, tabula quædam religiosè aſſeruabatur, quam quadratis quibuſdam loculamentis Leo Imp. cognomento Sapiens, ita diſtinxerat: vt in ſingulos ſcaphos ſingulorum Imperatorum, ſimul ac coronarentur, nominà vel ſigna referri poſſent: erant autem totidem omnino locelli quot à Conſtantino primo ad vltimum vſque Conſtantinum Palæologum Imperatores Orientis Imperium tenuerunt. Id ijs Morſenum virum vitæ ſanctitate illuſtrem, id Sibyllam Erythræam, id Abbatem Ioachimum, ipſamque Birgittam viduam prædixiſſe opinio eſt. Ad rem venio.

Excidij Byzantini præſagia.

§. 4.

Obſidetur Vrbs.

Mahumetes eius nominis ſecundus Turcarum Imperator, ſecundâ Aprilis, inquit Franza, Nonas poſuit Leonardus Chienſis, ad vrbis conſpectum copias explicuit, atque ordine collocauit; nemine acceſſum prohibente: quâ in re grauiſſimè peccatum à Græcis fuit. Erant eius in exercitu ſupra trecenta militum millia, quadringenta ſcribere Laonicus non veretur. Quæ multitudo maximè collecta ex vicinis gentibus Græcis, Illyrijs, Valachis, Dardanis, Thracibus, Bulgaris, & Tryballis. Turcæ in ijs pauci, ijque ex Aſiâ, Bithyniâ, Galatiâ, Lydiâ, & Ciliciâ petiti. Potior itaque militum numerus, roburque ipſius exercitus vel Chriſtianis conſtabat, vel ijs qui Chriſtum eiuraſſent. Certè non alijs quàm Chriſtianis ad eas
2. machinas, quas * Bombardas illi, nos Canones modo dicimus,

Eius exercitus robur Chriſtiani.

dicimus, siue ex ære, aut ferro fundendas, siue dirigendas in hostem Barbarus vtebatur. Erantque ij artifices Itali, Germaniue, aut certè Hungari natione: qui tam nefariam operam eiusdem Religionis exterminandis hominibus, dirissimæ, impijssimæque genti nauabant. Vnum verò eius generis tormentorum tam vastæ molis fuisse aiunt: vt sexaginta vel septuaginta boum paria ægrè illud aduehe-rent, lapideumque globum euomeret, cuius ambitus vndecim palmos complecteretur. Illa tamen Bombarda plus terroris, quàm damni attulit: & post horrenda aliquot tonitrua, frequentioribus, quàm par erat, explosionibus metallo candefacto in frusta dissiliens decimo quarto eiusdem mensis, ipsum tormenti libratorem, aliosque plures percussu necauit.

Quia verò in vrbis expugnatione progressus facere nullos Tyrannus poterat, nisi portu occupato: ad id negotij conficiendum classem habuit, armis pariter ac numero formidandam: in qua triremes centum, naues aliæ omnis generis viginti supra ducentas. In vrbe contrà. Aerarium exhaustum, milites pauci, commeatus exiguus. Equidem Franza, qui sub ipsum obsidionis initium eorum omnium, qui ex quouis ordine armis gestandis vtcunque essent idonei, nomina de Imperatoris iussu in album retulit; testatur quater mille, nongentos modò & septuaginta inquilinos bello aptos: auxiliares autem & stipendiarios externos, bis mille, vt summùm, repertos esse. His scilicet copiolis vastam illam vrbem, tredecim milliaria ambitu suo complectentem, & tot agminibus circumsessam propugnari necesse erat. Iam tandem, at seriùs Constantinus oculos aperire, & quod antea effusè ac perditè ambierat, mente animoque infelix diadema damnare; fratribus iam humiliorem, ac tutiorem, vt arbitrabatur, fortunam inuidere. Verùm nec hîc erat inuidiæ, sed commiserationi locus. Hos enim Principes, ne qua fratri Constantino suppetias irent, alio exercitu Duce Turachane in Peloponneso Mahumetes distinebat. Et hic quidem Isthmi propugnacula cœpit; tum Corintho subiugatâ ad Sinum Messeniacum perten-

Bellatorum in Vrbe numerus.

 dit,

dit, viâque ab Ithome progrediens, totum illum Sinum Mantineam vsque populatus est.

§. 5. Cur à Latinis & cælo nulla Græcis auxilia.

A Latinis, quod mirere, tam extrema necessitas nihilo plus auxilij exciuit; incredibili quidem & damnandâ Principum inertiâ: Diuinæ autem vltionis luculento, & horribili in perfidam hancce Græcorum gentem exemplo. Qui fluctibus huiusce tempestatis tantùm non immersi, cum à Legato Apostolico monerentur seriò resipiscerent, & quò Deum sibi placatum redderent Florentinæ Synodi acta toto pectore amplexarentur, peruicaciter semper responderunt: quo minus in sanctâ Liturgiâ Romani Pontificis nomen inscriberetur, se non abnuitare: Florentinæ Synodi ne nomen quidem ferre posse. Ergo cum aures Deo per suos præcones bene monenti occluderent: etiam vicissim is ad eorum preces obsurduit. Ipse adeo Imperator animi pendulus hærebat: nec satis mentem suam prodebat; vt scires eum nuperâ concordiâ & sacramento non tam animarum, quàm corporum opportunitatibus studuisse. Cæterùm ne quâ in parte officio suo Imperator deesse videretur: nihil prius habuit, quàm vt ferreâ catenâ totum portum concluderet: intraque illud septum classem suam cohiberet. Constabat illa nauibus fere peregrinis, quæ fortè eò mercimonij caussâ conuenerant: quarum vna ex Hispaniâ, ex Cretâ rostratę quinque vel septem, totidem ex Venetis septiremes, tresque eorumdem myoparones ad eum portum appulsi erant. Subinde etiam Ioannes quidam Longus Iustinianus, apud Genuenses nobili loco natus, cum maria ista nauibus aliquot, & militibus quadringentis, obiret, Byzantinorum periculo intellecto, vltro se, liberaliterque cum suis omnibus tutandæ vrbi obtulit, magno oppidanorum gaudio, & commodo primùm, tum verò eorumdem incredibili detrimento. Is munimenta ruinis patefacta diligenter reparare, vigilias collocare, cuniculos in præsentem vrbis perniciem ad vsque turrium & murorum fundamenta actos eludere: omnia demum strenui & sollertis Ducis munia ita gnauiter, atque in Byzantinorum vsum obire perseuerauit: vt ipse Mahometes non difficilè ista perspexe-

Classis Græcorũ.

Ioannes Longus Iustinianus Genuensis.

perſpexerit, affirmaritque: hæc non Græci, ſed Latini ingenij opiſque eſſe.

Interea tres naues Liguſticæ in Chio oneratæ Mauritij Catani ductu, vento ſecundo & cum ijs altera regia, quæ frumentum ex Siciliâ aduehebat, Vicino littori applicatæ ſunt. Summo mane, & dubiâ adhuc luce in eas Turcicæ naues ſupra ducentas inuectæ ſunt; ſed nequidquam hortante, & frendente Tyranno, hæ pauculæ naues ita ſtrenuè ſimul & feliciter præliatæ ſunt: vt duodena hoſtium millia in mari demerſerint, eorumque ſanguine Sinum omnem cruentarint, ne vno è ſuis, quod miraculo ſimillimum eſt, deſiderato; ſub noctem verò ſe in portum ſubduxere. Quæ res in rabiem propemodum Barbarum egit.

Quatuor Latinarum nauium cum ducentis hoſtium pugna.

§. 6.

Claſſem Mahometes in portum immittit.

Huic tamen Mahumetis dolori leniendo execrandus quidam noſtræ Religionis deſertor ſtratagema ſuggeſſit, Turcicis in portum nauibus deducendis oppidò quam opportunum; quod ipſe annos abhinc aliquot in Benaco, ſeu Gardiæ lacu à Venetis didicerat. Ad id operis repentè concurritur: à tergo Galatæ qui prominebant cippos, & colliculos lacunis explendis proſcindunt, viam complanatam & ad portum pertinentem faciunt: dein trabibus, & tabulis, quas boum atque arietum adipe perunxerant, totam ſternunt. Tum varij generis inſtrumentis, machiniſque triremes, & biremes in collem adductæ, indeque in portum non magno negotio demiſſæ ſunt. Terruit ea res obſeſſos: qui antè portum occupatū, & in eo claſſem hoſtilem muris allapſam viderūt, quàm de eâ adducendâ quicquam inaudijſſent. Deinceps aliud ſucceſſit malum priori deterius. Pontem ſiquidem Tyrannus, qua Galatam ſiue Peram versùs mari Conſtantinopolis alluitur, cētum longum, latum quinquaginta cubitos ex acatijs, vaſis ligneis, dolijſque conſtruxit; quæ trabibus ſupernè contecta, & ferramentis ac funibus validè colligata vrbem propemodum iunxêre. His ita conſternati ſunt Byzantinorum animi, vt niſi à Latinis ſpei aliquid inijceretur, quibuſlibet conditionibus in poteſtatem Turcarum concederent. Et Genuenſes quidem inter & Venetos neſcio quid diſcordiæ

Pontem ſternit.

 cnatum,

enatum, statim Constantini operâ sôpitum est. Coniunctis igitur animis in hosticas triremes ignem immitti placuit. Huius exequendi consilij cura Iacobo Coco Veneto commissa, nauesque aliquot assignatæ. Sed infeliciter res gesta est; nam præterquam quod Turcica classis non conflagrauit, biremis vna Byzantinorum fluctibus hausta est; è quâ cum epibatæ plerique & milites ad Turcos enatassent, alterâ die iussu Mahumetis ad vrbis omnes conspectum capite truncati sunt. Horum manibus ducentorum & sexaginta Turcorum nece à Byzantinis postridie parentatum: quos suspendio in ipsis murorum pinnis perire iusserunt.

Classem Barbaricam infeliciter obsessi tentant vrere.

Ciuium auaritia.

Crescebat in dies periculum, atterebantur obsessis vires, labor eorum qui superabant augebatur: & tamen stipendia militibus solito parciùs pendebantur. Orabat, obsecrabat ciues suos Constantinus, ditiores etiam non sine lacrymis obtestabatur: vrbi, liberis, coniugibus, & sibi potiùs, quàm pecuniæ parcerent. Vitam & libertatem auro, quod vrbe amissâ seruari nō poterat, præferrent. Verùm non plus proficiebat, quàm si aquam, vt dicitur, in mortario tunderet: Inopes se omnes esse, Deum testati, clamitabant. Quod ergo ab ijs auferri non potuit, ex ædibus sacris detractum, & in milites tributum est. Murorum autem custodia quomodo in varios partita erat, non abs re erit exponere. Iustinianus cum trecentis Genuensibus & Græcis aliquot * portam Sancti Romani, vbi potior belli vis incubuerat: Mauritius Catanus auream portam cum Iacobo Contareno, & Emmanuele Genuensi, ducentisque balistarijs tutabatur. Paulus Troilus, & Antonius de Bochiardis fratres ad locum arduum, quem * Myliandri dicebant, suo ære militantes cōstiterant. Theodorus Carystinus natu grandis, sed viribus adhuc integris cum Theophilo Palæologo, & Ioanne Alemanno machinarum militarium perito (Ingeniarium modo dicimus) secus portam Selybriensem collocati, Caligaream concussam instaurabant, ac propugnabant. Palatij Imperialis Hieronymo Minotto Venetorum Consuli (Bailum vocant) tutela commissa est. Cardinalis Sabinensis Democrij regionem, quæ ad mare pertinet, seruabat. * Catalanorum

Præsidiorum in vrbe dispositio.

3.

4.

5.

lanorum Consul turri, quæ ante Hippodromum est & Petrus Iulianus Bucoleonti præerat. Chirluca Notaras portus, totiusque maritimæ regionis defensionem susceperat. Hieronymum Italianum, Leonardum de Langasco Genuenses cum socijs Xyloportæ, & turribus, quas Aueniadas vocant, præfecerant, vt & Deualam Rosium portæ Cynegesij. Gabriel Treuigianus Venetus à Turre fani, vsque ad Imperialem, vel Regiam portam, cum aliquot expeditis nauibus, in quas quadringentos è suis ciuibus imposuerat, curabat. Andreæ Dicij triremes maiores fidei commissæ fuerant. Hæc in portis & munimentis: in ipsâ verò vrbe Demetrius * Cantacuzenus, eiusque gener Nicephorus Palæologus, reliquas copias regebant, atque ijs locis, quibus commodum erat, auxilia submittebant. Et ne cui fortè cessare, atq; arma detrectare propter inopiam foret integrum, panis viritim è publico admensus est. Constantinus cum Francisco de Toledo cognato suo, per vrbem obequitans, prout vsus erat, cunctis consulebat: at nimiæ indulgentiæ Imperator arguebatur: qui facilè cuiuis obnitenti cederet, nec imperia, & præcepta sua pro dignitate Principis, & Reipublicæ necessitate accuraret. Et quantò remissior in ijs apparebat, tantò ceruicem infortunati ciues peruicaciùs obdurabant: quibus scilicet id dolebat, quòd Latinorum ducibus & manipulis in Græcorum dedecus vrbis Byzantinæ propugnatio demandata esse videretur.

.6.

Constantini Imp. nimia facilitas.

CAPVT XVII.

Vrbis expugnatio. Byzantini & Trapezuntini Imperiorum excidium.

Anno ymnδ.

§. I. Oppugnatio generalis.



Nter hæc aliaque plura eius generis incommoda ad IV Calendas Iunias fortiter sanè obsessi durauerunt, & vrbem magnâ cum laude propugnarunt. At eo die qui Martis fuit, non Martem sed Deum exercituum, & bellorum Præsidem haud

 propitium

propitium sibi esse senserunt. In eam diem oppugnatio generalis à Tyranno indicta est. Nocturnis ignibus quos è cælo in ciuitatem delabi, rursumq; paulò post sursum reuolare viderat, ad oppugnationem accensum Tyrannum aiunt Æmilius, alijque permulti. Vt ergo præscripta dies illuxit, totis viribus vtrimque concursatum est. Vrgebat Turcos spes prædæ, & Regis conspectus, qui desidiosos, aut meticulosos non verbis modo, sed etiam verberibus, & morte ipsâ castigabat. Obsessis non tam Principis præsentia, vel oratio, quanquam lacrymis, & singultibus intermixta, quàm mortis metus, & extrema desperatio stimulos etiam languidioribus addebat. Horas aliquot iam ancipiti prælio decertatum fuerat, cum malum! Ioannes Iustinianus sagittâ allapsâ dextrum crus vulneratur: manum vel axillam aiunt alij. Et leuius quidem istud vulnus fuit, prae vt virum hactenus strenuum, & à constantiâ, reiq; militaris gloriâ celebrem afflixit turbauitque. Aiunt quippe Franza, & Leonardus Chiensis eum pristinæ virtutis immemorem arma continuò atque vnà animum abiecisse, vt sanguinem è vulnere manantem vidit; tum vulnerarium inclamantem, statione desertâ, Galatam primum, dein in Chium abijsse, vbi non ita multò pòst, maiori animi quàm corporis ægritudine correptus excessit è vitâ. Turco-Græcus eum ab hâc culpâ vindicat, & dextero in pede tormenti globo tam grauiter percussum asserit: vt doloris acrimoniâ, in languorem solutus, animam agere videretur: qui addit rumore non satis constante quidem, certè Byzantinis damnoso, per vrbem diuulgatum esse, eum à sociorum aliquo siue is Græcus, siue Latinus fuerit, clam & per insidias telo hoc percussum interijsse. Vt vt res contigit, Iustiniani fuga suorum primò, subinde etiam cæterorum animos fregit; quorum pleriq; salute in pedibus repositâ ad portum se receperunt, conscenderunt, & vrbe valere iussâ, soluerunt.

Ioannes Iustinianus vulneratur, & recedit.

Et cum eo fratres.

§. 2. Quid ageret infortunatus Imperator, vt vidit precibus obtestationibus, adeoq; lacrymis locum relictum esse nullum: nisi vt quando vitam Imperiumque retinere nequiret,

ret,

ret, eam cum minimo hostium emolumento ponere conaretur? Totus Barbarorum impetus in Sancti Romani portam efferbuerat: atque eam in partem munimentorum, hominumque strage edita, tormentorum & machinarum furor vertebatur. Eò igitur aduolat Imperator, & leonis in morem dextrâ, læuaque Turcarum corpora demetit, & obtruncat. At hostibus turmatim per murorum ruinas effusis tantilla manus impar fuit; in fugam igitur abeunt præcipites Christiani omnes, atque ad eam portam quâ in portum itur concurrunt. Et ecce hîc aliud malum. Ianitores arbitrati, si occluderetur exitus, fore vt fortiter hac ineuitabili necessitate vterentur, præliumque ex integro resumerent, claues extra vrbem abiecere. Quò factum est, vt huius rei inscij Græci, atque ad portam affusi sese ipsos comprimerent, eliderentque. Miser * Constantinus non tam suâ voluntate, quam fugientium hominum compressu, per vim eódem delatus hortabatur vt redirent: pro patria, pro aris & focis, pro suâ & coniugum liberorumque libertate decernere, quàm hîc ignauè non fugere, sed perire mallent, obsecrabat. Sed inter has voces misera hæc turba magis magisque cadentium eiulatu, & barbarico sæuientium hostium fremitu contrerita: ita se inuicem vrgere ad fugiendum institit, vt ad octingentos Græci Latinique cumulati, & vel pedibus obtriti, vel intercluso spiritu extincti mortem oppetierint.

Côstantini Imp. virtus.

Fugientes Græci compressi.

Constantinus Palæologus Imperator, hoc eodem fato functus esse postea compertus est; ita plures: alij fortiter dimicantem hostium gladio occubuisse narrant. Eius cadauer ex Imperatorijs calceamentis agnitum, in quibus aquilæ auro pictæ visebantur, iussu Mahometis sepultum est, qui ei omnem honorem funeris patrio Græcorum ritu seruauit. Vixit annos XLIX menses aliquot; regnauit annos quatuor, totidemque menses.

Guazz. Sabell. Æmil.

§. 3. Et in ijs Imp. occubuit,

Occubuerunt porrò alij melioris notæ viri fortiter cum hoste dimicantes: Franciscus Toletanus Hispanus, quem Achilli Franza non confert modò, sed etiam præfert;

alijque permulti.

Theophi-

Theophilus Palæologus, eiusque socer Demetrius Cantacuzenus & Ioannes Sclauus, siue Illyricus, XLVII Veneti nobiles, in quibus Aloysius Fasceolus. Plurimi capti, atque inter eos Isidorus Cardinalis Russiæ, qui paruo ære, quòd agnitus non esset, postea redemptus est. Non ita Notaras, & Venetorum Iudex: quem vtrumque capite Tyrannus plecti iussit. Et Notaram quidem, quem *Chir Lucam, siue Κύριον hoc est Dominum Lucam vocabant; aiunt Turcarum Regi, quò sibi eum demereretur grandem auri & vnionum, gemmarumque copiam, quam in ærarij Regij expilatione collegerat, obtulisse. Ex eo autem sciscitatum Mahumetem, cur hæc in patriæ defensionem non erogasset: quâ quæstione perculsum Lucam obmutuisse; atque illico vnà cum duobus filijs in * Xerolopho capite truncatum tam execrandæ auaritiæ pœnas dedisse. Hæc Franza. Laonicus autem in partem aliam abit, & Notaræ constantiam deprædicat: qui duodennem filium, vt pincernam, Ganimedem scilicet, apud Mahumetem ageret, dare iussus, audacter & intrepidè id verò facturum se esse negauerit, eâque re offenso Barbaro, cum filijs securi percussus pœnas dederit. Eâdem de caussâ impurissimus æquè ac crudelissimus Tyrannus Franzæ filium liberali formâ adolescentulum, nefandæ eius libidini seruire detrectantem suâ ipse manu iugulauit.

Aldus præf. ad Rinc. Att.

2.

3.

Tyranni obscœnitas.

§. 4. Vrbis direptio.

Triduum vrbis Constantinopolitanæ depopulationi indultum est; quo tempore eorum quæ vspiam in vrbium expugnationibus siue impietatis, siue crudelitatis barbaricæ exempla edita sunt, huic infelici vrbi nihil abfuit. Stupra cædibus, cædes stupris miscebantur. Templum Sanctæ Sophiæ Iustiniani Cæsaris opus, nudatum sacrâ suppellectili ad omnes spurcitias patuit: ossa martyrum canibus obiecta: Sanctorum imagines aut luto fœdatæ, aut ferro deletæ: altaria diruta, templaque ipsa lenonum, & meretricum vsibus destinata sunt. Pudet dicere Christianorum dedecus, dicam tamen, posteritatique tradere non verebor; quando persuasum mihi est futurum aliquando,

qui tantam Seruatori nostro illatam iniuriam vlciscatur. Christi Cruci affixi simulachrum tubis ac tympanis praeeuntibus raptum ex Vrbe hostes ad castra deferunt, & sputo lutoque illitum, in nostrae Religionis ludibrium, rursum Cruci suffigunt: inde pileo capiti imposito cachinnis & scommatibus atrocissimis lacerant, clamante interim continenter praecone: Hic bellus est Christianorum Deus. Et vt palam fiat haec non fortè, sed * violati numinis consilio, ac voluntate Graecis euenisse, aliqua tempori, dieique, in quam ea ruina incidit, adiuncta adnotasse satis erit.

In Crucifixum impietas.

4.

Capta * & expugnata est Constantinopolis anno Christi CIↃCCCCLIII, IV Calend. Iunias ad medium quartae matutinae, si ortum solis spectes. Incidit autem dies ille in Feriam Pentecostes tertiam: quo constet tertiam in SS. Trinitate Personam, iniuriae sibi pridem inferri à Graecis solitae: qui contrà quàm vniuersa sentit Ecclesia, peruicaciter tenent Spiritum Sanctum à Patre quidem, à Filio non item procedere: poenas reposcere voluisse. A portâ verò Sancti Romani vltimi ad eos exitij origo promanauit: quia Romanae à multis retro saeculis vsque in hodiernum diem Ecclesiae iniquiores, S. Petri principatum perfractâ semper fronte reiecerunt. Et quod nemo Scriptorum non notauit: sicut Constantino Haelenae filio ortum suum & incunabula: ita alteri omnino Constantino Helenae itidem filio occasum suum & tumulum Constãtinopolis Regina Vrbium, Graecique olim Imperij caput iure potest adscribere: & à septimo * Ottomannicae familiae Turcorum Imperatore, septimus itidem è Palaeologis Graecorum Imperator regno & vitâ spoliatus est. Ita scilicet nescio quâ rerum vicissitudine, Deoque inprimis casus huiusmodi disponente, quępiam eueniunt, perinde quasi si nominibus ipsis occulta vis inesset; in aeternam fatorum legem, aut errantium siderum eodem coeli situ coëuntium vim nescio quis à verâ Religione alienus reijciat. Ita Augusti, quod aiunt, fortuna Romanum fundauit Imperium, euertit Augustulus. Secundae apud Francos regiae stirpis auctor Carolus Martel-

5.
Quędam notatu digna in vrbis expugnatione.
Anno 1453.

6.

lus, eiusdem postremus alter Carolus Lotharingiæ Dux auito regno excussus est. Vrbano Pontifice, à Godefrido Bullonio expugnata Hierosolyma: altero Vrbano regente Ecclesiam Christianis erepta est. Constātinopolim recurro.

§. 5. Christianorum inclementia qui Græcis opitulati non sunt.

Mahumetes ergo quinquagesimo quarto postquam eam circumsederat die, Constantinopoli potitus est: non tam propriâ virtute, quàm Christianorum inclementiâ; Græcorum quidem, qui Byzantium incolebant auaritiâ, Latinorum verò inertiâ: qui eiusdem Religionis homines omni auxilio destitutos tam desidiosè, aliqui etiam perfidè perire siuerunt. Nam Hungarus, teste Franza, à Græcis Selybriam aut Mesembriam obtinuerat: Rex Arragonum & Neapolis Lemnum Insulam ab ijsdem dono acceperat: eo vterque pacto, vt, cùm necesse esset, amicos viris, auroq; iuuarent, quod hoc si aliàs, certè cùm de summâ Imperij Byzantini agebatur, præstandum erat. Esto sanè simile fœdus Venetos & Genuenses non obligaret, nec amicitiæ ius apud eos valeret aliquid: at suis saltem rebus, quæ vnà cum Græcanicis periclitabātur, studere, & iunctis animis furenti Barbaro aggeres opponere debuerant. At enim pacē cum Tyranno, vel inducias pepigerant. Et hoc dolendum atque adeo culpandum est, quod vicini eâ tempestate Turcis Principes, suas quisque res ageret: nec, quod nostris temporibus factitari cum laude solet, in pacis fœdera Christianorum vllum aduocarent: quos ita diuisos optabat Barbarus, quò faciliùs singulos seorsim aggressus superaret. Vel omnes profectò, qui in eâdem naui erant: vel nullum è Christianis perfidæ huic genti fidem dare, aut accipere oportebat. Et verò si pacem Hungari, Venetiue obijciunt, intelligant licet, eam Turcas inter & Græcos ictam fuisse, quam immanissimus ille latro nihili æstimauit; igitur is monendus erat, pacem cum illis seruaret, ni & istam refringi vellet. Si hæc monentem audiuissent, staret etiamnum Constātinopolis, nec inclytum toto orbe Diuinæ Sapientiæ templum spurcissimis Alcorani sordibus fædaretur. Exigua queror. Staret sanè non iam lacerum,

rum, melioreque sui parte truncatum Hungariæ Regnum, Christianorum adhuc aduersus Turcas in Europâ propugnaculum; non gemeret sub Mahometano iugo Peloponnesus, Epirus, Lemnos, Cyprus, Rhodus: verbo vno Orientis Imperium; quò, si Byzantium retineretur, & eò tanquam in commune armamentarium Europæi Principes arma conijcerent, Barbari isti proculdubio nunquam potirentur: nec toties capitibus nostris imminerent, totique Europæ inhiarent. At calamum cohibeo. Et quod superest, Palæologorum nomen, huiusque Imperij reliquias, quò defluxerint, perstringo.

Auct. qui §. 111.

§. 6. Palæologorum finis.

Atque Andronici senioris filio Theodoro, qui Palæologorum stemma in Italiã deduxit (quia in Bonifacij Montferratensis obitu, satis superque eâ de re disserui) prætermisso, Manuelis modò ex filijs nepotes obiter recenseo. Michael, Ioannes, Constantinus eius filij liberos nullos procrearunt, (filiam Constantino vnus dat Sansouinus Trapezuntini Imperatoris vxorem.) Theodoro Porphyrogenito præter Amurathem spurium, qui in Byzantinâ expugnatione occubuit, nulla fuit proles; atque adeo Theodorus alter nepos ex Andronico, patruo successit, vti suprà dicebamus, & Corinthum, Bæotiam, ac Pherras obtinuit. At is etiam nullâ prole relictâ moriens Turcam ex asse impius hæredem reliquit. Superant Demetrius, & Thomas: & huic vtriusque sexus nati sunt liberi quatuor, Andreas, Manuel, Sophia, Helena; qui omnes vnâ cum patre ditionibus per Mahumetem exuti, ad summum Pontificem confugerunt, eique Saincti Andreæ Apostoli venerandum caput, muneris loco attulerunt. Manuel autem Thomæ Filius Christi Vicario posthabito, Româ discessit, Mahumetis iugum subire malens; at breui impietatis suæ mercedem tulit. Falsi enim criminis, de Turcarum more, insimulatus, neruo faucibus elisis post satis diuturnam captiuitatem infelicem animam reddidit: duos relinquens filios, quos ex totidem ancillis susceperat, Et eorum vnus Ioannes haud diu vixit: alter sub Selimo Mahometis

Io. Ant. Camp. Vita Tij 24.

ritibus initiatus ex Andrea Muchemetes dictus est. Andreas Palæologus Thomæ filiorum alter Romæ vixit inquinatè, cum vulgari scorto Græco consuescens, obijtque nullâ prole relictâ. Zoë eius sororum vna, quæ ab alijs Sophia dicitur Ioanni Moschorum Duci: altera cui Helenæ nomen erat, Seruiæ Regulo Eleazaro nuptæ sunt. Demetrio Manuelis item filio tribuit Heroldus (vereor vt bene) filium nomine Isaacium, siue Musachium Musachiorum, & Arianitarum parentem: cuius ex filio nepotes duo Musachius cognomento Angelina, & Giuriza prælio Valchaliensi vnà cum patruo Mose Valmorensi capti, & pelle nudati sunt: & in ijs Palæologorum eius familiæ nomen extinctum est. Alios quippe præter istos non reperio; & si qui è Palæologis supersunt, eos ego in alium superiorem eius stirpis ramum mihi alioquin ignotum inserendos arbitror; vt Mezithem Mahumetis Vezirem Bassam, quem è Palæogorum gente ortum esse ait Iouius; Palæologum item Grizzam Muchi, Nicolaum Palæologum Monembasiæ Dominos, aliosque eiusmodi quos memorat Spandugimus.

§. 7. Serpentis statua Constantinopoli.

7. Cæterùm Mahumetes vrbem Constantinopolim, quæ postea Stamboul Turcis dici cœpit, ingressus, in * Atmindane columnam lapideam vidit, cui ex ære fuso superpositus erat serpens triceps. Illum conspicatus, quidnam hoc esset idoli quæsiuit (statuas enim atque imagines Iudæorum ritu Mahometani auersantur) simul in eum contortâ magnâ vi clauâ ferreâ, quam Pusdigarum Turci vocant, vni de tribus illis capitibus labrum inferius comminuit. Quo facto mox serpentes in vrbe magno conspici cœpti sunt numero; quapropter auctores ei fuere quidam, vt missum illum deinceps faceret. Hinc ea columna in hodiernum vsque durat diem, cæteris contritis simulachris. Hæc Turcæ in Annalibus suis prodidere: adduntque etsi hæc statua labro fuerit imminuta, quia tamen deiecta omnino non est, serpentes illi diuinitùs immissi nocendi potestatem non habuerunt. Quæ proculdubio à superstitiosis

Græculis

Lib. de noua stella in Cassiopea. Græculis acceperunt. Refert Cornelius Frangipanus Italus Polarem, quam vocant, Stellam ab expugnatâ deinceps Constantinopoli delituisse. Quod commentum cæteri rident Astronomi.

Post expugnatam Constantinopolim, otium suis militibus vix tantillum Mahumetes indulsit; sed ocyùs in Epirum siue Albaniam copias transtulit, in eâque oppida quędam hoc & proximo cœpit anno. Altero vero qui fuit Christi CIↃCCCCLV etiam Athenas Iunio mense suam in potestatem redegit. Eius sæculi verò quinquagesimo sexto ad Albam Græcam infeliciter rem gessit. At auditis Palæologorum Demetrij, & Thomæ fratrum in Peloponneso dissidijs, eò exercitum duxit, Gordum cum oppidulis suæ ditioni adiecit anno LVIII. Consequente * Semendriam Bossinensi Regulo eripuit, tum in Peloponnesum rursus excurrit; & anno demum sexagesimo, quod eius Prouinciæ supererat, occupato Castamonam, & * Sinopem Cisil Achumat Aladini abnepoti citra bellum laboremúe vllum ademit, ipsumque omni ditione spoliauit. Inde Amastrim, & * Capham in Tauricâ Chersoneso trans mare Nigrum sitam, nobile propter aromata, cæterasque ex Indiâ merces eò aduehi solitas, emporium, Genuensibus extorsit. Quanquam Turci eam victoriam in annum eius sæculi sexagesimum septimum reijciunt. Inde Trapezuntinum inuasit Imperium, de quo hęc paucula habe.

Mahumetis felices progressus, Anno 1453.

8.

9.

10.

§. 8.

Trapezuntinorum historia.

Leon. Franza. Turco-Gr. Ann. Sultan.

Andronico Tyranno circa annũ Domini CIↃCLXXXVI Constantinopoli interfecto, filius erat quem Manuelem Nicetas, Isaacum Laonicus nominat, Sebastocrator dictus. Hic post expulsam Comnenorum familiam, in Pontum, profugit: quam olim Prouinciam Andronicus eius Pater pro Imperatore gubernarat: atque ab eius terræ item & Colchidis incolis perbenignè non modò exceptus, verùm etiam Imperator Trapezuntis, vbi regiam posuerat, dictus est. Eius posteri inter tot bellorum turbines, quibus Asia variè quassata est, ægrè Imperatoriam dignitatem tenuerunt: ac Mahumeti Byzantini Imperij euersori etiam ipsi

Origo.

11. cedere coacti sunt. Sub hæc tempora * Trapezuntis Imperator * Alexius Comnenus, Ioannem filiorum natu primum regalibus ornamentis, & Augusti titulo ornauerat.
12. Hic inimicitias cum Helenâ matre exercens, Cantacuzeni sanguinis fæminâ, quasi cum Protouestiario ipsa consuesceret: mœchum quidem illum occidit; tum quòd cerneret id non modò matri, sed & patri ipsi facinus maximè displicuisse; vtrumque parentem in arctissimam custodiam, necem matri saltem meditatus, compegit; at enimuero eâ re ciuibus compertâ, carcere perfracto captiuos ipsi vindicarunt, & parricidam aliò migrare compulerunt. Eâ re Alexius simul in libertatẽ assertus est, Ioannis electionem irritam fecit, eumque è testamento expunxit, Alexandro filiorum altero in eius locum euecto: quo tamen diu frui ei non licuit. Siquidem Ioannes ope cuiusdam Genuensis nauibus aliquot Caphæ instructis patri bellum impius indixit; & demum cum Imperator in Trapezuntis suburbium cum exercitu concessisset, filio aditum ad obsidendam vrbem inhibiturus: eius corporis custodes, quos Cabazitanas vocat Laonicus, auro corrupti Ioannis militibus iter ad regium tabernaculum aperuerunt; in quo senex Alexius obtruncatus est, facinus barbarum, saltem in speciem abhorrente Ioanne; qui etiam in Alexandrum fratrem nihil duriùs consuluit, quàm vt iuberet eum Imperatorio se nomine & dignitate abdicare. Hunc Ioannem Zyches ex Ortobule, seu Ortogule filio Baiazethis nepos, Turcicarum copiarum dux bello petijt, eiusque exercitum quo Meliarijs faucibus, siue Capanio prohibere hostem conabatur, deleuit; Alexandrum Imperatoris fratrem interfecit, & ipsum Ioannem Trapezunte, quò fugâ compulsus fuerat, arctâ obsidione circumcinxit. Nullo tamen alio obsidionis emolumento, quàm quòd alteri feliciori viam strauit. Chiteres enim Amasiæ Præfectus maiore militum manu fretus eum ad deditionem compulit: coëgitque vectigal in singulos annos Turcarum Regi pendere, & sub eius signis, quoties Domino collibitũ esset, militare.

Dissidia inter Patrem & filium.

Ioannes filius Trapezuntem occupat.

Alexius Pater obtruncatur.

Trapezus ab Turcis deditione capta.

Hæc

Hac conditione cum annos aliquot regnasset Ioannes diem suum obijt, binâ prole relictâ, cuius tutelam Dauidi Comneno fratri commendauit. At hic more maiorum, nepotulum suum quadriennem hæreditate exuit; quoque vsurpatum Imperium stabiliret, neptem suam Ioannis filiam * Vssum-Cassani Persidis Regi nuptui dedit: quamuis eam Dauidis filiam, non neptem Turco-Græcus fuisse affirmet. Hanc enimuero belli ansam auidè Mahumetes, eius Imperij iam pridem penitus possidendi cupidus, arripuit: eumque quòd se inconsulto cum Ottomannorum hoste fœdus, nuptiasque contraxisset, perduellionis damnauit. Erat hic Vssum-Cassanes Assimbeiæ familiæ Turca. Meminisse siquidem oportet, eorum quæ de Turcis antea commemorauimus: quorum Principes septem Asiam minorem inter se partiti sunt; ex ijs deinde quatuor præcipuæ familiæ, reliquis oppressis supremum Imperium sibi vendicarunt, nempe Assimbei, Candelori, Caramanni, Ottomanni. Ex primis igitur ortus est Vssum-Cassan, qui Præfectus Armeniæ maioris, quam Diarbec indigenæ vocant, cum rege Persidis conflixit, eoque in acie trucidato Perside potitus est. Ab hoc Vssum-Cassane cum diu suppetias * Dauid Imperator expectasset; vt frustra se esse vidit, se suamque omnem Prouinciam, quæ ab Amysunte ad Iberiæ, siue Georgianæ fines porrigitur, Tyranno permisit, à quo oppidula, vicosque aliquot ad victum iuxta Serras accepit. At paucos tamen post annos, recrudescente inter Vssum-Cassanem & Mahumetem bello, in odium generi infortunatum Principem suâ ipse manu Tyrannus iugulauit. Quod indignissimæ mortis genus Georgium Dauidis filium ab teterrimi Barbari famulatu deterrere debuerat; secus tamen accidit; sed abiectum & seruile ingenium, quo collo tenacius iugum adhæresceret, eiuratâ Christi Religione ad Mahometis impurissimam superstitionem transijt. Et hoc pacto Trapezuntis Imperium anno ab orbe per Christum reparato millesimo supra quadringentesimum sexagesimum primum, postquam trecentos & vi-

§. 9. Dauidis Comneni Imperium.

13.

Quis Vssum-Cassanes.

14. Trapezuntis Imperium occidit.

Danidem Tyrannus iugulauit.

Anno 1461.

& viginti circiter annos tenuisset, extinctum est. Eodem anno Valachiam, sequenti Mitylenen seu Lesbum, sexagesimo quarto Bozinæ regnum subegit Mahumetes, sexagesimo nono Eubœam, nunc Negropontum (Turci Egripos vocant). Venetis eripuit.

Mahumetis obitus Anno 1481.

Tandem & ipse Mahumetes (à suis Boiuc id est magnus dictus) Christiani nominis pestis ad Nicomediæ lacum intestinorum dolore acerbè excruciatus, triduo extinctus est; anno regni trigesimo secundo, ætatis quinquagesimo tertio, Christi verò, iuxta Annalistam Turcum CIↃCCCCLXXXI. & commodè. Quid enim futurum fuisse putes, si diutiùs viueret: nisi vt, quod sibi sæpius Alexandri Macedonis, cuius vitam assiduè lectitabat, exemplo solitus erat proponere, orbem vniuersum is occuparet: qui tantillo spatio duo Imperia, regna prope duodecim, viginti Prouincias, & supra ducentas vrbes, legitimis possessoribus, & si vnum excipias, Christianis eripuit? Annue Deus Opt. Max. piorum votis, & hanc Lunam, quâ obducente tot præclara sidera defecerunt: vicissim ad Austriacorum Principum lumen æternùm occidere velis iubeasque. *I. Bap. Egnat.*

Finis Libri Singularis.




IN

IN CONSTANTINOPOLIM BELGICAM NOTÆ.

IN LIB. I. CAP. I.

Ortel. Lips. Dinaeus. Mira.

§. I. Valentianarum Antiquitas.



1. *Enio deturpatam.* Antiquissimam hanc vrbem esse, & eo tempore non modò extitisse, sed & nominis celebritatem aliquam habuisse, cùm Romani Belgicam in suam potestatem redegerunt, coniectura est magnis viris probata. Cui, præter loci naturam, fluminis opportunitates, nominis gloriam, cuius initium nemo facilè deprehendet, & sexcenta huiusmodi: maximè fauet recepta iam de vijs Romanorum militaribus sententia: quas à loco celebri, ad oppidum, castrumúe non infimi nominis ductas esse volunt, qui de ijs scripserunt Auctores. Cui enim bono insanæ istæ molitiones: nisi viarum harum compendio ad annonam copiasque exportandas: aut cum ijs locis iungenda commercia, ad quæ ipsi vel in transitu diuerterent, vel certè in quibus morarentur, & præsidia haberent, Romani vterentur? Iam verò præter eum, quem aliqui à Ponte Neronis (sic hodieque dicitur pons ille, qui Scaldi impositus vrbem iungit) per longissimas syluas Tornacum deducunt: duo alij calles Bauacum hic, ille Fanum-Martis Valentianis excurrunt, vterque Romanorum opus, quia à Brunchilde, vt fama est, instauratus etiamnum Calciatæ Brunchildis nomen obtinet. Et ille quidem qui Fanum-Martis ducit, in hodiernum durat diem integer, & ad regulam destinatus; ab ipso vrbis foro incipit, ac templo ad eam viam ædificato, D. Virginis de Calciatâ nomen fecit. Alter per vicos *Eth*, *Selurgum* (haud dubiæ antiquitatis locum) inde per *Estroeu* (quod stratam sonat) Valentianas tendens apparet ex interuallo; ingentes

Viæ militares.

namque voragines concursu cauatæ torrentium iter interruperunt. Hic callis ad eam vrbis portam, ducebat: quæ ideo Bauacensis nomen quoad extitit, gestauit. Modò autem occlusa fabris vrbis lignarijs Præfecto attributa est: atque ad cæmeterium D. Nicolai pertinet.

Asylus Valent. 2. *In splendorem dedit*. Plerique Valentiniano asylum, quo etiam modò, magno miserorum, adeoque Hannonum bono gaudent Valentianæ, attribuunt. Memorabile est, quod in Ludouico XI Gallorum Rege, refert Petrus Matthæus eius vitæ scriptor: Reginam Gallicanarum vrbium Lutetiam sub annum quadringentesimum sexagesimum septimum supra millesimum, fædè bellis, & lue deformatam, haud aliter aduenarum frequentiâ augeri potuisse, quàm priuilegijs atque immunitatibus ijsdem, quibus Valentianæ, & S. Maclouij Aremorici vrbes (ita disertè & nominatim regiæ tabulæ) ipsa Lutetia donaretur.

Valentinianas. 3. *Valentinianas*. Ita Diplomata, manuscripti Codices, Aimoinus, fragmentum vitæ Ludouici VIII scriptæ ab auctore synchrono, Rhegino ad annum IↃCCLXXI, alijque permulti.

Neruij. 4. In *Neruijs*. Belgas Gallorum fortissimos Cæsar deprædicat, Belgarum verò Neruios. Bauacum autem, siue vt Ptolemæus, Bagacum Neruiorum caput extitisse nemo deinceps homo negauerit, qui de eius famâ, ruderibus, circo, aquæductu (quem corruptè modò *l'Ai-du*, incolæ nominant) vijsque militaribus: quæ inde ad varias easque remotissimas Treuirorum, Parisiorum, Tungrorum, Rhemorum, aliasque vrbes à Romanis ductæ sunt, aliquid inaudierit: legeritque Iulium Cæsarem ad Sabim, iuxta quem Neruij omnes consederant, cum ijs conflixisse. At prope Sabim Bauacum, longissimè abest Tornacum; quam vrbem Neruiorum caput plerique opinati sunt. Adde Ptolemæum & Auctorem vetustissimi eius Hodœporici, siue Itinerarij, quod Antonini Pij nomine circumfertur: quomodo ipsi alijque Durocotorum Rhemorum, L. 2. de Bel. Gall. Ptolem. Cosm. Itiner. Anton.

Lutetiam

Lutetiam Parisiorum, Aduatucam Tungrorum, scilicet metropolim: ita & Bauacum Neruiorum inscribere. Vnde Tornacum Philippus ab Eleemosynâ, ætate B. Bernardo æqualis, Menapiorum vrbem dixit. Et de his in Valentianensi Historiâ vberiùs opportuniusque disseruimus; sed accuratissimè omnium doctissimeque Ægidius Bucherius noster in Belgio suo Romano; quem librum omnes antiquitatis studiosi auidè expectant.

Philip. ab Eleem. Vita S. Amandi.

5. *A Constantino factam.* Belgicam antiquam, quia latiùs quàm vt Prouinciam deceret patebat, diuisit Augustus: & Germaniam Superiorem siue primam, Germaniam Inferiorem, siue secundam, & Belgicam eius partes appellari voluit. Hanc porrò Constantinus deinceps in Belgicam primam, & secundam distinxit. In hac recensebantur Episcopatus Cameracensis, Atrebatensis, Tornacensis, & Morinensis. Iam verò in Cameracensis, & Atrebatensis confinio sita est Valentianensis vrbs, quæ vt amne diuiditur, partim huic, partim illi adiungitur.

Dio. l. 53. Tacit. l. 1. Ammian. l. 15. Lib. Prouin. Rom.

Belgicæ diuisio.

6. *Fanum-Martis.* Cur hunc vicum præsidio collocando Valentianis Romani prætulerint: nemo mirabitur, qui eius situm in colle considerauerit. Editiora quippe loca non Romani modò, sed & Alexander prætulere fluminibus: Hic enim circa Marginiam in Sogdianis, sex oppidis condendis; quibus velut frenis domitarum gentium vteretur totidem colles delegit. Porro de præsidio Fanomartensi, in Notitiâ vtriusque Imperij hæc habentur: *In Prouinciâ Tarraconensi sub Præpositurâ Magistri militum Præsentalium: Præfectus Lætorum Neruiorum Fanomantis* (*Fanomartis* legendum) *Belgicæ II*ᵃ. (vides diuisionem Belgicæ, de quâ supra) *Præfectus Lætorum Nemetacensium Atrebatis Belgicæ II*ᵃ. *Præfectus Lætorum Lagensium prope Tungros.* Quæ postrema verba de Leodio nonnulli & in ijs Bartholomæus Fisen noster; alij cum Bucherio de vico Louaige ad fluuium Iecorâm sito intelligunt. Fanum-martis ad oppidi siue nomen, siue magnitudinem numquam assurrexit: nec castrum ipsum supra tria terræ iugera complectitur;

Fanum Martis.

Curt. l. 7.

plectitur; quanquam ad passus circiter ducentos sparsa circum fuisse ædificia, quæ inter arandum aut fodiendum occurrunt rudera, fidem faciant. Vnde apparet nullis omnino niti rationibus eos, qui ex Fani-martis ruinis Valentianas ortas esse arbitrantur. Quod ex eo etiam confirmari potest calle, quem lapidibus à Romanis stratum, Valentianis ad fanum illud modò deducebam. Nec enim ad viculum, qualis nunc cernitur dirutumque castellum, tam accuratè via sterneretur: sed ab eâ arce, cui Romanorum erat impositum præsidium, agitando cum Valentianensibus commercio (quippe vltra hanc vrbem non exporrigitur) ductum eum esse callem constat. *Mire.*

Fanomartensis pagus.

7. *Fanomartensibus.* Fanomartense porrò præsidium & arcem vicinæ regioni leges & nomen dedisse, facilè probari potest. In ijs tabulis, quibus Humbertus Monasterio Maricolensi in Hanoniâ varia concedit prædia anno Childerici Regis XII. xv Cal. April. *Ipsum*, ait, *Monasterium situm in pago Fanomartensi, super fluuium Helpre.* Et Lotharius dat Dionysianis Monachis *In pago nuncupante* (pro nuncupato) *Fanomartinse, super fluuium, qui vocatur Scaltus, mansum vnum, ex Fisco nostro Valentianas.* *Baldric. Maricol. monum. Monum. Valent.*

Castellanus.

Narrat Gilbertus sub annum CIↃCLXXXV Balduinum Animosum Hannoniæ Comitem varia quidem ex Fanomartensi Castellano coëmisse: tum verò potestatem foro Valentianensi vinario Præfectos, ministrosque creandi. Venditoris autem nomen stirpemque Gilbertus reticuit. Hinc tamen videas idem prope Fanomartensi Castellano, quod Valentianensi vsuuenisse: vt Comitis titulo antiquato, & in alium translato, vel confuso principatu, Castellanatus tamen nomen & munus dignitasque aliqua remaneret. Castellani quippe Valentianenses eâ in vrbe teloneum, Fanomartenses portorium vinarium diutissimè (vt ex hac narratione liquet) conseruarunt.

Austrasia.

8. *Austrasios, Lotharingos.* Pulsis Franci Romanis Galliam in Austriam siue Austrasiam, & Neustriam diuisere. Illam Oostenryck, hoc est Orientale, hanc Westenryck,

idest

id est Occidentale regnum suâ linguâ dicebant. Austrasia à Burgundionum finibus vsque ad mare Frisium exporrecta, Rheno, Mosâ, & Scaldi claudebatur. Pipinus Crassus siue Heristellus Maior domus Regis Australiæ, Monasterium siue Canonicorum Collegium D. Ioanni Bap. anno Domini circiter IↃCLXXX Valentianis à Theoderico Rege inchoatum, post eundem Regem à se eiusdem sęculi anno XCI superatum, exædificauit.

Sigeb. Ann. Val. Guis. Fontan.

Aimon. 9. *A Lothario.* Lothario Placentiæ defuncto, eius hereditatem, exclusis liberis, Carolus Caluus, & Ludouicus Germanicus Fratres inter se diuiserunt. In eâ autem descriptione, quæ ad Procaspidem vel Procuspidem Mosæ facta est anno IↃCCLXX, id notandum venit; Valentianas eò non nominari, quòd pars vna, quæ trans Scaldim est, Carolo iampridem cessisset: atque adeo in hanc descriptionem non caderet; altera quæ ei in Lotharingiâ obtingebat, duplici Monasterio, siue templo Sanctorum Gaugerici, & Saluij, illo quidem intra, hoc extra vrbis muros sito definita est. Gaugerici autem Cameracensis hic mentionem nequaquam fieri planum est: quando & Cameracum oppidum, & Cameracensis Comitatus certo & peculiari nomine in eâ narratione distinguuntur. Lotharingia.

Ægid. Aur. Vall. In eo diplomate quo Richildi Henricus concedit Imp. anno CIↃLXXVII vt ditiones suas secundariæ clientelæ nomine Theoduino Leodiensium Episcopo subijciat, Marchiam Valentianas nominat. Marchiæ autem nomine extremam Imperij, vel Regni regionem aliquam intelligebant, & Marchissare, confinem esse alteri Prouinciæ dicebant. Ideo porro Marchiam Valentianas Imp. nominat, quod non modò ea vrbs alteri ditioni esset contermina, verùm etiam partim ad Imperium, partim ad Regnum Gallicum pertineret. Valent. Marchia.

10. *Scaldis.* Antiqui Sceltum vel Scaltum: Tabudam Ptolemęus nominat. Et is fluuius Valẽtianis Rosnelli, Saui, atque alterius fluuioli accessione factus auctior, primùm Scaldis.

hîc naues accipit (vnde apud plerosque medij æui scriptores Portus Valentianensis nomen vrbi dedit) indeque longâ circuitione Antuerpiam, & demum in Oceanum aquas euoluens mercimonijs viam sternit. Baldric. l. 2. c. 31. Vita S. Salui.

Portus Valent.

Palatium Regium Valent.

11. *Palatium habuere* Valentianis frequẽter egisse Carolum magnum, in eius vrbis historiâ ostendimus. Ibidem Synodum habuisse eundem Imp. anno IↃCCLXXI dicunt Annales Pytheani, seu Fuldenses. Carolum verò Caluum & Lotharium in eâ vrbe conuenisse, variaque statuisse, legitur in eorum capitulis, à Iacobo Sirmondo nostro editis; à quo & prædictorum Regum conuentus refertur in annum Christi IↃCCCLIII. De Palatio, quod eâ in vrbe Reges habuere, testatur Lotharius, Lotharij Imp. filius. Is eius diplomatis, quo mansum vnum ex Fisco Valentianensi Dionysianis monachis donat (vti suprà recensebamus) sic ad calcem scribit: *Actum Valentianas. Palatio regio. Regni D. Hlotarij gloriosi Regis V. indict. VIII, VII Cal. Febr.*

§. 2.

Valentian. Castellani.

12. *Castellanam.* Eâ Valentianensis sanguinis Dynastæ diu potiti sunt, qui de eius Castellanatus iure etiam Ostreuannum, Valentianarum Comitis beneficio, possidebant. Vti disertè Gilbertus ait. In ijs fuit Hugo sub ann. MXXXVIII, cui filij duo Anselmus primus, & Isaacus. Et hic anno MLXVI Balduini Insulensis tabulis, quibus S. Petri Collegio vectigalia assignat: proximè post ipsum Balduinum, ante omnes Episcopos nomen adscripsisse suum reperitur. Atque hic Isaaci nomen ab altero Cameracensi Comite traxisse, abauo fortassis suo credendus est. Emissa Isaaci filia, Fastrei de fossato, mediæ nobilitatis viri vxor, Comitissa dicitur in ijs tabulis, quibus partem Valentianensis telonei S. Ioannis Valentianensi, & Lætiensi monasterijs donat; non aliâ certè de caussâ, quàm quòd à Comitibus Valentianensibus originem illa duceret. Anselmo primo Anselmus alter filius celeberrimi Aquicinctensis, & S. Nicolai ad Ribodimontem cœnobiorum cõditor successit, vir in primâ aduersus Saracenos Hist. Valent. Gilbert Mir. Notit. Fontan.

expe-

expeditione clarissimus. Hunc Godefridus primus filius, excepit: ex quo Godefridus secundus, & ex eo atque Iolantâ Balduini tertij Hannoniæ Comitis viduâ prognatus est Godefridus tertius, qui hæreditatem suam Balduino IV Hannoniæ item Comiti, fratri suo vterino vendidit.

Mira. Hasnon. monum. Marchian. Mir. — 13. *Valentianensi Comitis nomen* Balduinus Richildis filius in ijs litteris quibus Anselmi Buccinienfis, Valentianensis Castellani, donationem factam cœnobio S. Nicolai de Ribodimonte anno MLXXXIV Philippus Francorum Rex confirmat; & alijs, quas ipse Lotberto Hasnoniensi Abbati dat, anno MLXXXVII neglecto Hannoniæ Comitis titulo, Valentianarum Comes simpliciter inscribitur. Demum in alteris, vbi Theodorici militis Marchianensi Monasterio Vesini donationem confirmat anno MLXXXIX Hainacensium, & Valentianensium, nec non & Duacensium, & Austreuantensium se Comitem nominat. Duacum quippe, Ostrouanni olim pars, & vti reor, metropolis, à Roberto Frisio nepoti erepta, subinde recuperata, in Balduini potestate tum temporis erat; permansitque penes Hannonios ad annum, vt minimùm, MCXI. Porrò licet Ostreuannum à Castellanis possideretur, eius se Comitem, superiori scilicet iure, Balduinus Valentianarum Comes scribit. — §. 3. Comitis Valentian. titulus.

l. 2. c. 39. — 14. *Montense oppidum.* Baldricus in Chronico Cameracensi ad annum ML Castrilocum villam appellat. Quippe Balduinus Ædificator, centum circiter post annis eam muris vrbem primus cinxit, vt ex eius epitaphio mox ostendemus. — Montes Hann.

15. *Henricus VII.* Nam eæ ædes in Parthenonem versę, & sacræ Virginum familiæ ex D. Dominici disciplinâ, ab ipso Imperatore, eiusque matre Beatrice attributæ sunt. Quas ædes, quia à Balduino Auesnensi patre suo, Bellimontis in Hannoniâ Comite Beatrix acceperat: antiquum Bellimontis nomen etiamnum eiusmodi retinet asceterium; in eoque non ita pridem cubiculum, & cunæ — §. 7. Hēricus VII Imp. Valentianensis.

ipsæ,

ipsæ, quas ortu suo tam clarus Princeps, atque infantiâ honestarat, religiosè asseruabantur. Natus porro est Valentianis in eo, quem memoraui, loco, ad vulturaum opposito Henricus VII Imp. Balduini nostri pronepos, anno Christi sexagesimo secundo supra mille & ducentos: pridie eius diei, qui Assumptæ in Cælum Deiparæ sacer est. Quem ille religiosissimus, & fortissimus Princeps totâ deinceps vitâ sacrum festumque habuit; vt præterquam Dei mysterijs vsurpandis, eiusque recolendis beneficijs, alijs, cuiuscumque eæ modi essent, rebus minimè vacaret. Habet ergo vrbs nostra binas ædes Sanctorum Dominici, & Francisci, hanc virorum, illam virginum familiâ, simul, & duorum Imperatorum cunis nobilem: quorum memoriam vt & in animo semper retineant ciues nostri, imò & in earum domorum vestibulis aliquod horum Principum statuant monimentum, opto maximè. Spinell. de D. V.

§. 8. Nomina quædam certis familijs propria.

16. *Balduinus nomen*. Mos ille diu viguit, vt propria quædam, perpetuaque certis familijs essent nomina. Quomodo Hannonibus Flandrisue Principibus Balduini: sic Bethuniensibus Roberti, Campanis Theobaldi, Castillionensibus Gaucherij, Geldrensibus Reynaldi, Aquitanis nomen Guillelmi vsurpari solitum legimus. Et horum quidem Aquitanorum Principum exemplo tot eo nomine viri in eâ Prouinciâ visebantur: vt biennio post Balduini nostri ortum Henricus iunior Angliæ Rex, atque Aquitaniæ Dux, cum animaduertisset suos inter purpuratos Guillelmi plerosque nomine vocitari: mensam ijs dumtaxat equitibus instruxit, qui id nominis præferrent, & ad eam accubuere decem supra centum equestris ordinis viri, qui fortè tum in vrbe reperti sunt. Bouchet. Ann. Aquit.

IN CAP. II.

§. 1. 1. E*odem ipso anno*. Alij huius obitum anno toto præuertunt: sed malè. Obijt quippe Balduinus Animosus huius Ædificatoris filius anno CIↃCXCV medio circiter

circiter Decembris: postquam regnasset in Hannonia XXIV annos & hebdomadas sex, inquit Gilbertus; ergo cæpit anno CIƆCLXXI circa finem Octobris. Huius epitaphium lubet hic adscribere, quo & Imperatorum nostrorum prosapia, & eorum quæ hactenus attulimus, veritas adstruatur. Balduini Ædificatoris epitaph.

Balduinus hic requiescit Comes Hannoniensis: cuius proauus fuit Balduinus Hasnoniensis, qui ex Richilde genuit Balduinum Ierosolymitanum. Ille Balduinus genuit Balduinum, (qui in hac humatus est Ecclesia ante chorum) ex Alida sorore Godefridi Ducis Louanij. Ille ex Iolide genuit hunc Balduinum animosum & fortem: Iustitia, & pacis amatorem, erga subiectos humilem, contra hostes rebellem, qui hanc Ecclesiam S. VValdetrudis tertiò concrematam, & Sancti quoque Vincentij Sonegiensis plumbo texit, & Castrilocum muris cinxit: & super portam Basilicam Sancti Seruatij ædificauit. In Valentianis aulam, & muros circa villam erexit: in Bellomonte muros circa turrim construxit: Binchium, Haimonis Quercetum, Buxeum, Castrum Ramis, & Athum à fundamentis condidit, turribus & ædificijs muniuit, anno Incarnationis Domini CIƆCLXXI, ætatis verò suæ LXII. VIII. Non. Nouemb. obijt.

Quis. Vbi nota primò Balduini proauum Hasnoniensem dictum, quoniam Hasnoniense cœnobium à Witheri cuiusdam tyrannide liberatum, & Canonicis ereptum Monachis restituit: aliàs Montensis passim vocatus est. Balduinus alter Ierosolymitanus hic dicitur, quòd cum Godefrido Bullonio Palæstinam petijt.

Aduerte secundò *Villam in Valentianis illam*, scilicet Aulam, legendum. Nisi forsan per villam aream istam quam *Bruile* dicimus, in quâ Balduinus Ierosolymitanus templum D. Virgini dedicauit, intelligamus, quam Ædificator vrbi potuit adiunxisse. Nam anno CIƆLXXXI supradictam Deiparæ ædem Hasnoniensibus donans Ierosolymitanus, sitam ait secus castrum oppidi Valentianarum.

Genealogiæ explicatio.

A Iolendis filia Comitis Geldriæ post mortem Balduini nupsit Godefrido Bucciniensi, genuitque alterum Godefridum (qui Ostreuandiam, & Castellaniam Valentianensem vendidit fratri vterino) & filiam nomine Bertham Ægidio à S. Auberto nuptam.

C Henricus, & Gerardus videntur fuisse nothi: quum eos Gilbertus Animosi fratres dicat quidem: sed non germanos; atqui nec Ædificator, nec Aleidis eius vxor alterum contraxere matrimonium.

D Hic Guillelmus passim siue in tabulis publicis, siue in sigillo proprio, Willelmus auunculus Comitis nominatur; quia nempe Balduini Augusti nostri patruus. Eius sigilli imaginem ad me transmisit humanissimus, & nobilissimus vir Dominus de Grimarez ex Maldeghemiâ familiâ; quam ad Philippum primum Maldeghemij Castellanum referunt: eiusdem Willelmi generum, per Mariæ Hannoniæ, eius filiæ nuptias. Is porrò Willelmus bipertitum scutum sic gestat, vt hinc tigellis Hannonicis, illinc lilijs Gallicis consita sit eius area; quâ de caussâ nescio.

§. 4.
Pares Galliæ.

§. 5.
Stirps Car. Mag.

§. 6.
Ostentum.

Chronologia.

choat à Paschate: nos à Ianuario. Anni porro CIƆCLXXXIII littera Dominicalis erat B. aureus numerus VI. Pascha decimo Aprilis; ergo octauo eiusdem erat Parasceue.

3. *Exemplo.* Etenim ipse Henricus Iunior Angliæ Rex Gallici Regni XII-virum, seu Parem egit: & coronam Philippi imponendam capiti gestauit. Philippus verò Elsatius Flandriæ Comes eodem nomine ensem prætulit: alij alia Regiæ Maiestatis symbola, vel ornamenta. Vnde non malè suspicatur Tilletius alijque, tum demum Duodecim Franciæ Pares institutos; certè tum eorum vnicuique officium locumque esse descripta constat; quod alij imperitè à Carolo Magno accersunt. §. 4. Pares Galliæ.

4. *Caroli Magni stirpem.* Carolus Dux Lotharingiæ, Carolinæ stirpis Princeps Ermengardim genuit Alberti primi Namurcensium Comitis vxorem; Alberti II. & Heduigis matrem. Heduigis Gerardo Elsatio Lotharingiæ Duci nupta Gerardum alterum procreauit Theodorici Flandriæ Comitis patrem, Margaretæ auum, Isabellæ proauum. Iam verò Balduinus Animosus Isabellæ parens, matrem habuit Aleidem Alberti secundi Namurcensium Comitis proneptem: Patrem verò Balduinum Ædificatorem cuius proauus Balduinus fuit, sextus eius nominis Flandriæ Comes, ex Balduino Ferreo, & Iudithâ Caroli Calui filiâ, rectâ serie ortus. §. 5. Stirps Car. Mag.

5. *Regis animus.* Narrat Guisius noster oblatam Ludouico Regi per quietem filij speciem, paulò antequam is nasceretur, calicem aureum gestantis: ex quo cunctis Regni purpuratis humanum sanguinem propinaret. Nec sicca sanè fuit eius gubernatio. Regnauit autem tres & quadraginta annos, satis feliciter; vt Augustus, & Victoriarum patrator, siue Conquisitor audire meruerit. Quamuis & Adeodati nomen: quòd effœto propemodum parenti natus esset, non rarò à suis tulit. §. 6. Ostentum.

6. VIII. *April.* Octauo Cal. scribit Meierus, sed non rectè. Die Parasceues anni CIↃCLXXXII ait Auctarium Aquiscinctinum Elisabetham obijsse; vterque annum inchoat à Paschate: nos à Ianuario. Anni porro CIↃCLXXXIII littera Dominicalis erat B. aureus numerus VI. Pascha decimo Aprilis; ergo octauo eiusdem erat Parasceue. Chronologia.

IN CAP. III.

§. 3. Vexilla in curribus.

1. DRaco. Eiusmodi vexilla aliquando & alij vsurparunt. Itali aduersus Conradum II. Imp. crucem altitudine insignem in curru prætulerunt, quem sacrum vocabant pannis rubeis obuelatum, vnde *Car-rozzo*, hoc est currus rubeus dicebatur: à quo fortassis rhedæ nostræ carrossæ appellatæ sunt. Ottonem etiam Imp. simili curru prælio ad Bouinas vsum esse tradunt. Ioannes Villani eiusmodi currum, cùm Senensibus bellum inferrent, habuisse Florentinos scribit rubeum, & supra præaltas antennas, eius Reip. vexillum præferentem; quem boues duo, in eum finem publico sumptu aliti trahebant, rubeo & ipsi panno obtecti. In altero autem curru, turrim ligneam erigebant, in eaque æs campanum, quod Martinellum vocabant: cuius sono Florentini in hostem accendebantur. Vide de his si lubet Fauchet l. 2. de militiâ, & armis. Collenutium l. 4. hist. Neapolit. anno CIƆCCXXXVII. Guisium tomo 3. c. 117. Martin. Crusium Hist. Saxonicæ l. 8. f. 256.

Corio hist. Mediol. Merula. 2. Collect.

I. Villani l. 6. c. 77.

§. 6. Seburgum.

2. *Seburgum.* In finibus Hannoniæ, aiunt schedæ veteres Seburgenses. Vt scias etiam tum Hannoniam à Valentianensi Comitatu definiri suis limitibus solitam. Et Valentianensem quidem hodieque diœcesim (*Chestieu* dicunt) fluuiolus Morchipontis ab altero disterminat: propter quem nempe Seburgum assidet.

Vita S. Drogon.

§. 7. Saladinus.

3. *Perijt Ierosolyma Saladini armis.* Saladinus Siraconi ex Negemedino fratre nepos in Ægypti regnum patruo, qui fraude illud occuparat, successit. Deinde à ciuibus aduocatus, Damascum Melec-Salæ Noradini filio eripuit, & longè lateque, quà fraude, quà vi imperij sui fines protulit; in primis autem Ierosolymam expugnauit. Ridiculum narrat Vincentius in speculo: ab eo anno quo vrbs sancta in Saracenorum potestatem venit, infantes qui deinceps nati sunt, nonnisi viginti, aut summùm duos & viginti dentes habere, quum alij antehac duos & triginta gestare solerent,

4. *Tripo-*

Rog. Houed. — Tripolit. Comes.

4. *Tripolitani.* Terricus Templariorum Præceptor, Haimericus Antiochenus Patriarcha, & Conradus Monferratensis ijs litteris, quas hâc de clade ad varios dedere, quasque Rogerius Houedenius recenset, Tripolitani nusquam indecorè meminerunt. Ipse contrà Haimericus Tripolitanum eo prælio occubuisse ait. Notandum tamen has litteras in quibusdam discrepare: Terricus enim se cum Tripolitano euasisse, Haimericus illum captum, hunc ait interfectum. Statim fortasse post ipsam cladem, rebus, vt fit, nondum penitus exploratis scriptæ sunt.

Epist. PP. ad Pepin. Du Chesne in Montmorenc. 7. — §. 8. Corona ex pauonum pennis.

5. *Plumario opere.* Paulus Pontifex eius nominis primus mittens gladium Pipino Regi, addidit pallium pauonis (qui famæ typus est) pennis intertextum. Imò eiusmodi coronam gestasse Pontificem refert, vel fingit Poëta Gallus Guiotus de Prouins: qui tempore Balduini nostri, & Philippi Augusti Regis scribebat; aitque ideo pauonum ocellis interspersam eam fuisse coronam: quo indicaretur Romanum Pontificem, totius orbis Episcopum, lustrare, & ἐπισκοπεῖν debere omnes fines terræ.

Fr. Tarassa. — Ex pane azymo.

At quando de coronis à Pontifice missis cœpi dicere, & illud addam. Petrus Aragonum Rex post insignem illam de Mauris victoriam, quam *De Naues* dicunt: Romam abijt, vbi cum vxore in S. Pancratij à Summo Pont. anno CIↃCCXIII coronâ redimitus est mirè nouâ; ea siquidem ex frustulis panis azymi confecta erat. Quâ deinceps in eius rei memoriam Cęsaraugustæ, qui eum secuti sunt Reges coronari voluerunt.

§. 11. Duella sublata.

6. *Dies, locus certamini dicti.* Atque hoc pacto difficiliores magisque intricatæ lites eâ tempestate decidebantur. Et si quidem monomachi illi nobiles erant, armis tecti in equis decertabant; sin plebei, tum pedites soloque scuto ligneo, & clauâ è mespilo fraxinóue armati, capite ac mento rasis, veste cannabinâ ad cutem adsutâ, & oleo vel smigmate vnctâ, ne quà comprehenderentur, induti pugnabant. Sublata meritò postea tam inhumana, atque rationi inimica lex: quæ ius æquumque lacertorum viribus

Valentianis diu permissa.

bus metiebatur: vel à Deo certè miracula superstitiosè expetebat, quibus latens veritas erueretur. Diu tamen Valentianis (vt non facilè quidquam ex patrio more labare sustinebant) id consuetudinis perstitit. Et nouissimè omnium, saltem in Belgio, sub annum CIϽCCCCLV Iacotinus Plouuier, & Mattheus Cocquiel coram Philippo Burgundiæ Duce, eiusque filio Carolo Audace, tunc temporis Carolesij Comite, in ipso vrbis foro fustibus decernere permissi sunt. Post hos ab ipso Duce Burgundiæ Philippo etiam hîc penitus consuetudo illa soluta est.

Ann. Val. Oliu. Marco. Fontan D'Oultrem.

Nomina nobilium Hann.

7. *Iudices.* Huius litis Iudices recenset Guisius hâc serie: Eustachius du Roeux senior, Nicolaus de Barbenson, Gualterus de Lens, eiusque filius Eustachius: Alardus de Chimaco, Guilielmus Comitis (scilicet Balduini Animosi) frater, Otto de Trasignies, Balduinus Cornutus, Hoëllus de Beaurein, Guillelmus de Beauren Roberti patruus, Almainus de Prouuy, Renerus de Trith, Guillelmus de Wargny, Balduinus de Walencourt, Guillelmus de Haussy, Fulco de Semeries, Stephanus de Denaing, Gerardus Maquerel, Simon d'Aunoyt, Erasmus de Gaure, Gerardus de Waudripont, Hugo d'Oisy, Gerardus de la Hamaide, Gossuinus d'Anguien, Nicolaus de Perwej, Nicolaus & Ægidius de Maniwaut, Rogerius Condatensis, Hugo de Croix, Balduinus Montensis, & Ægidius Bellomontis, & Henricus Binchij Castellani, Geroldus de Him, Ioannes Cornutus, Hugo de Ruët, Renerus Marchianensis Aduocatus, Theodoricus de Wallers, Guillelmus de Gomegnies, Guillelmus d'Ansaing, Hugo d'Anthoing, Stephanus de Lambres, Nicolaus du Roeux Cameracesij Archidiaconus, Nicolaus S. Germani Montensis, & Gossuinus Sonegiensis Præpositi, Gossuinus de Thulin, Reginaldus de Strepy, Gualterus de Blandain, Paulus de Villers, Carolus de Frasne, Carolus alter, filius Ludouici de Frasne, Nicolaus de Caudry, Godefridus de Thuin, Gauuanus d'Anfroipret, Baldricus de Roisin, Ægidius de Bermeraing, Stephanus Prætor S. Amandi.

De

De simili verò duello ait Baldricus l. I. c. XI. *Singulare certamen, quod rusticè dicimus campum.* Vnde & eiusmodi monomachi *Campiones* vocabantur. De duello vel campo frequens est mentio in Capitularibus Caroli Magni, & Ludouici Pij. l. III. c. XLVI. Gregor. Turon. l. X. hist. Franc. c. X. *Rex*, inquit, *campum diiudicat.* Verùm hæc omnia per canones, & ipsa capitularia prohibita sunt.

IN CAP. IV.

I. L*otharingiæ Duci.* Inferiorem intellige. Ea enim in Superiorem, seu Mosellanam, & Inferiorem seu Ripuariam, aut Mosanam diuisa est. Ripuaria etiam Ribuariâ dicta est, de quâ Frodoardus anno IↃCCCCXXIII *Rotbertus in regnum Lothariense proficiscitur, locuturus cum Heinrico, qui ei obuiam venit in pagum Ribuarium, super fluuium Ruram.* Hic verò fluuius in Mosam Ruræmondæ influit. Brabantia ad Lotharingiam inferiorem spectabat. Huic Lotharingiæ Inferiori Henricus, Walrami filius, Limburgensis, ab Godefrido Bullonio in Palęstinam proficiscente præfectus est circiter annum Domini CIↃXCVI; tum ab Imperatore Henrico V, à cuius partibus contra Henricum IV eius parentem steterat, eiusdem Prouinciæ Dux creatus est. Dein autem quod is ab Henrico filio ad Henricum Patrem transfugisset, Limburgensi sublata Lotharingia, & Godefrido Barbato Louanij, seu Brabantiæ Comiti data est anno Christi CIↃCVII, non sine tamen varijs difficultatibus, & bellis, quæ vtrumque Principem diutissimè eorumque posteros exercuerunt. Donec Henricus alter Limburgensis, bellum, suis hactenus inutile, exosus, cum Godefrido III. depaciscitur: Rodensi castro, cum Præfecturâ Trudonensi, & iure omni, quod in Lotharingiâ arrogabat, Margaretæ filiæ, quam ei nuptum dabat, in dotem condonatis. Vbi obiter, trium, qui in Belgicâ nostrâ recensentur vetustiorum Ducatuum originem aduertas licet. Ex Lotharingiâ vtique ij tituli profluxere;

Chron Belg. Sigeb. Ægid. aur. Anselm. presb. Chron. Trudon. Auctar. Afflig.

§. 3. Trium in Belgio Ducatuum origo.

fluxere; quam quia Godefridus tenuit, Bullonij, exiguæ arcis, & ditiunculæ, vbi sæpius morari allubebat, Dux dici cœpit. Limburgum, haud aliâ ratione, Brabantiamque, vbi Lotharingiæ Inferioris, vtriusque ex interuallo Dynastæ Ducatus collatus est, idem titulus honestauit.

§. 4. **Epocha varia.**

2. *Martio anni* CIↃCLXXXIX Gillius in annum sequentem Isabellæ obitum reijcit. Pro quo Nota variam apud scriptores veteres, gentesque varias, fuisse olim Epocham: seu annos inchoandi rationem, *Datam* hodie dicimus. Brabanti, Flandri, Leodienses, Cameracenses, & alij Belgæ more Ecclesiæ Gallicanæ annum à Paschate inchoarunt: ad annum vsque CIↃIↃLXXVII: quo eiusmodi Epocha edicto regio est abrogata, & commodior introducta à Calendis Ianuarijs. Veneti hodieque à Calendis Martijs, & Legatus Auenionensis à die XXV Martij annum ordiuntur. Sigebertus Gemblacensis, & Iacobus Meierus à Paschate; Regino Prumiensis à Christi Incarnatione: Lambertus Scaffnaburgensis ab eiusdem Natiuitate auspicantur. Quis Græcorum vsus fuerit, dicemus suo loco. Si ergo Isabellæ Reginæ mors sub Martij mensis exitum contigit: ea ad annum CIↃCXC reijcienda est: si verò ineunte Martio obijt, tum præcedenti anno accensendus erit eius obitus dies.

Ludouicus VIII.

3. *Ludouicus VIII.* Eum Stephanus Tornacensis Episcopus de sacro fonte suscepit; vt ipse ait Epistolâ CCXXXVII. *Ludouico &c. Domino suo: & si audeamus dicere, de Sancto Fonte suscepto filiolo, Domini Regis primogenito: Stephanus suus diuinâ permißione Tornacensis Ecclesiæ humilis minister.*

§. 5. **Bald. Const. quo creatus eques.**

4. *Equitem creauit.* Id præter ipsum Gilbertum disertè asserit Margareta Balduini nostri filia, ijs litteris quibus factam ab Animoso, auo suo Diuæ Waldetrudi donationem confirmat: *A quo etiam,* inquit, *Henrico Imperatore Balduinus prædictus, filius eius* (scilicet Animosi) *in militem fuit ordinatus.* Sic illa.

Equitem creandi ritus.

5. *Paulatim vt fit.* Operæpretium erit perstringere, quas

in

rin Guillelmo Hollandiæ Comite, & Rege Romanorum adhibitas esse cerimonias, cùm eques inauguraretur: tradit Ioannes Beca Traiectensium ad Rhenum Historicus. Guillelmum, ait ille, Hollandiæ Comitem, Imperatorem electum fuisse cùm adhuc esset armiger, seu scutifer: hoc est nondum creatus eques; atque ideo Domicellum, quæ erat eius ætatis modesta simplicitas, dumtaxat eum vocat. Ergo antè placuit eum aliorum Christianorum Principum more militem, siue equitem ab Rege Bohemiæ creari, quàm Aquisgrani diadema susciperet. Eam ob rem die constitutâ post decantatum in Missâ Euangelium, Guillelmum Bohemiæ Rex Petro Caputio Cardinali obtulit, rogans, vt solitam ab eo fidei professionem exigeret. Quod ille prolixè simul & piè præstitit; militisque Christiani officium, & partes, quæ illæ essent, edocuit. Regulas militaris ordinis proponi id temporis, & seruari solitas prælegit; ex ijs erant istæ. Quotidie officium Dominicæ Passionis audire, pro fide catholicâ vitam constanter exponere, Ecclesiam Romanam eiusque ministros à grassatoribus liberare, viduas, pupillos, & alios eiusmodi protegere, & tueri. Quæ & alia plura, vti erant exposita, Guillelmus iuratus promisit se esse obseruaturum. Tum Rex Bohemiæ validè collo tironis manu percusso, hæc subiecit: Ego te, quod in Dei O. M. gloriam cedat, militem creo. Memento quibus opprobrijs pro te coram Annâ Mundi Seruator affectus est: quomodo alapis, flagellis, spinis excruciatus, atque in patibulum actus. Hæc te opprobria mente recolere, Crucem subire, eiusque mortem vlcisci addecet. Hæc ille. Cæteri porrò omnes gladio secundùm collum percuti solitos equites nouellos, quod hodieque vsurpatur, tradunt. Deinde verò ab adstantium aliquo aurea pedibus calcaria adnectebantur. At, quod primùm dici oportuit: noctem peruigil, & precationibus intentus in æde sacrâ totam exigebat, piaculari confessione noxas eluebat. Angli autem etiam balnea adhibebant, quo non modò mente, sed & cor-

Pulchræ equitum leges.

pore purus ad eiusmodi dignitatem eques accederet. Non autem ab equitibus, aut principibus modò viris baltheus præcingebatur, atque equestris conferebatur ordo: sed etiam à Præsulibus, sanctisque sacerdotibus. Ex Lamberto Ardensi refert Quercetanus in Guisnensium Comitum Historiâ, Balduinum secundum Guisnensem Comitem à S. Thomâ Cantuariensi equitem creatum esse. Et etiamnum S. Sepulcri equites creat Cœnobij Franciscanorum Ierosolymis Guardianus. Vide Molanum de Militiâ, Lipsium in Tacitum, de moribus agentem Germanorum, Summontanum Hist. Neap. l. 2. de Caroli Regis Neap. primi inauguratione.

§. 6. Lossensis cum Brabanto bellum.

6. *Lossensi Comite*. Huius belli ea caussa fuit. Ægidius Durazij Comes, Clarimontis ad Mosam, & Rupefortis in Arduennâ toparcha, S. Trudonis, & Dionantensium Aduocatus in lepram incidit: frequens hâc tempestate malum, quod in Palæstinâ contrahebatur. Vnde tot leprodochia, seu leprosis passim in Belgio excitata domicilia: quæ iam ob intermissum Palęstinæ visendæ studium, fere vacua sunt. Hic ergo cum tali morbo teneretur, positis armis, & in fratres Cononem ac Petrum descriptâ hæreditate, paulò pòst obijt. Et hi duo cum carerent liberis, bona sua, seruato dumtaxat sibi eorum, dum viuerent, censu: S. Lamberto Leodiensi donauerunt. At Radulfus eius Ecclesiæ Antistes, Durazium quidem, & Trudonensem Aduocatiam Lossensi Comiti; Clarimontem verò cum Rupeforti Wedrico de Walcourt vendidit. Conon interea, vir & corporis mole, & ingenio pusillus, qui Trudonensem Aduocatiam Limburgensis Ducis beneficio possidebat: sæpe sæpius monitus, vt clientium ritu fidem Henrico Duci præstaret, nequaquam paruit. Vnde non eâ modò Aduocatiâ, sed & cęteris quà villis, quà prædijs, quę Limburgensis ditionis erant, mulctatus est. Et illam Henricus Dux Aduocatiam Lossensi Comiti, qui antea eiusdem sibi mancipium compararat, possidendam tradidit. Atque hic Trudonopolim expug-

Gilbert. Gauf. M. Sec. Chron. Godefr. mon. B. Fisen.

nauit.

nauit. Conon autem quo ſe his moleſtijs abſolueret, Durazium & Aduocatiam ſeptingentis, aut octingentis argenti marcis Henrico Brabantię Duci vendidit; tum aſſumptâ Cruce abijt in Palęſtinam. Hinc bellum.

IN CAP. V.

§. 1. Seleucia.

1. S*eleuciam* Vrbem plerique pro amne accipiunt. Pro Cydno (quem ſcriptores paſſim hîc ponunt) Calycadnum fluuium lege, & pro Selechio, vel Saleſio Seleuciam: quam hodie Saleſicam dici Niger auctor eſt. Aduerſo autem Calycadno Seleuciam nauigari ait Strabo l. XIV. Eadémne Seleucia ſit cum Olmis dubitat Ortelius. Sed eam dubitationem eximere potuit idem Strabo, qui diſertè ait: εἶθ' ὅλμοι ὅπȣ πρότερον ᾤκȣν οἱ νῦν Σελευκεῖς. *Deinde ſequuntur Olmi* (ita reſtituit Caſaubonus, pro Olmos) *vbi quondam habitarunt, qui nunc Seleucenſes ſunt.* κτισθείσης δ' ἐπὶ τῷ Καλυκάδνῳ τῆς Σελευκείας, ἐκεῖ μετῳκίσθησαν. *Conditâ verò ad Calycadnum Seleuciâ, eò migrauerunt.* Vnde, vti ex Stephano, & Plinio liquet, paulò ſuperiùs Olmia ſita eſt; ex quâ ciues Seleuciam commigrarunt. Eſt autem Seleucia Ciliciæ Aſperæ, ſeu Τραχείας vrbs.

Steph. de vrbib.
Plin. l. 5. c. 17.

In Friderici expeditionem iactæ duorum Hæreticorum calumniæ deterguntur.

2. *Potentiſſimus Imperator.* Mirè hoc Friderici conſilium, & animum dilaudat Nicetas: felicemque eius fuiſſe obitum opinatur. Contrà impudentiſſimus Hæreticus, qui eum auctorem ex Wolfianâ interpretatione vulgauit, notiſque marginalibus conſpurcauit. Nam prædicto Imperatoris encomio, has ad libri oram criminationes partim in Imperatorem, partim in Pontifices Romanos alleuit. *Vicit iter durum pietas, ſed non ſatis oculata* (quia nempe non erat Caluiniana) *dum enim Imperatores Germani de Palæſtinâ inuadendâ Pontificum ſuaſu, & iuſſu cogitant; Imperatoriâ Maieſtate ab ijſdem Pontificibus ſunt ſpoliati.* Imo mente & conſcientiâ Caluiniſtæ, inquit Gretſerus noſter. Tres Imperatores Palæſtinam petierunt, Conradus, &

Friderici duo primus, & secundus: cedo quis eorum Imperatoriâ Maiestate à Pontificibus spoliatus est, dum in Palæstinam abijt?

Ioannes Paruus Bethuniensis.

Eiusdem officinæ est, quod Ioannes Paruus Hollandiæ Chronologus de eodem Friderico refert. Ait igitur primâ eum expeditione Clemente III Romæ regnante, cum Philippo, Ricardo Regibus, Brabanto, Bauaro, Hollando, Flandro, alijsque pluribus Regulis post obsessam Ierosolymam, Damiatam in Ægypto expugnasse. Alteram Alexandri Papæ iussu suscepisse: & captis Philomenio, & Iconio Ierosolymam etiam in potestatem redegisse. Interim ab Alexandro missam ad Soldanum Friderici effigiem, obnixeque àb eo interpellatum Barbarum, quo Fridericum dolo aut virtute de medio tolleret. Quod postea opportunè tentatum. Nam cùm Imp. in reditu fluuium ab exercitu secretum captasset leuandi æstus gratiâ, in Soldani insidias impegisse. A quo & captus, & ex effigie per Pontificem missâ agnitus, postea tamen lytro persoluto libertati redditus sit. Fridericus ergo inquit ille, Alexandri perfidiam detestatus, post coacta Norimbergæ Comitiâ Pontifici bellum infert, & eum Venetias compellit &c. En bellum Hollandiæ Chronologum; qui ex Scribâ Bethuniensi primò miles, deinde etiam historicus factus: quod à ministellis suis feliciter videbat vsurpari: non tam historias, quam calumnias retexere cùm in Chronicis Hollandicis, tum in Belgicorum tumultuum narratione sibi proposuit. In quibus omnibus vtrum inscitiæ prope belluinæ, an malitiæ potiora dederit argumenta non facilè iudices. Certè in exiguâ illâ narratione tot sunt mendacia, quot versus. Nam Clementem III Alexandro præponit: quem ille octennio pòst secutus est; siquidem Alexandro CIↃCLXXXI defuncto Lucius, huic Vrbanus, & Vrbano demum sub annum CIↃCLXXXVIII successit Clemens III. Ad hæc nonnisi vnicam in Palæstinam terram expeditionem suscepisse Fridericum eius temporis scriptores omnes: & ij nominatim, quos ad marginem recensui,

censui, conclamant. Eâ autem expeditione non vltra Armeniam processisse, ibique non captum, sed submersum: Ricardum verò atque Philippum Reges in Syriâ substitisse, nec Ægyptum attentasse, ijdem omnes affirmant. Quod ad Venetias atque Alexandrum attinet, is eò fugerat anno huius sæculi septuagesimo septimo; hæc autem expeditio suscipiebatur anno CIƆCLXXXVIII hoc est vndecim pòst annis. Quis autem non videat quàm deliret paruus ille Chronologus: quando ei Regi, quo cum in gratiam redierat Romanus Pontifex, tum esse comparatas insidias dicit, cùm Ecclesiæ vtilem nauaret operam? Expectasset saltem eius reditum, & Ierosolymæ expugnationem, quam tanto Pontifex opere, cæterique omnes Christiani cupiebant. Nihil horum pensi habuit nugiuendulus dum apud suæ sectæ populares Pontifices Romanos in inuidiam vocaret. Hæc eo attuli, quo nostri Belgæ videant cui fidem adhibent.

Vrsperg. Arnold. Lubec. Blond. Platina &c.

3. *Septembri mense.* Anni scilicet CIƆCXC. Ita quippe Guillelmus Brito

Brito l. 4. Philipp.

§. 2. De expeditione Philippi, & Ricardi Regum.

Millenus centenus erat, deciesq́ nouenus
Quo petijt Francus Rex regna marina Philippus.

Qui Flandriam aiunt Henrici VI Imp. coronationi Romæ interfuisse, non rectè mihi tempora partiri videntur; nam ex Arnoldo & Rogerio, illius ætatis scriptoribus, liquet eum cum Constantiâ coniuge, non ante Pascha, à Cælestino PP. coronâ esse redimitum: quum is ipso Paschatis die Pontifex demum consecratus est. Galliæ verò Rex, ipseque Philippus Flander III Cal. April. anni CIƆCXCI portum tenuerunt, & XXII° pòst die, Paschatis peruigilio ad Ptolemaida applicuere. *Pasche nocte sacrâ* inquit Brito; eius autem anni littera Dominicalis fuit F. Ait Magnum Chronicon Belgicum fuisse, cum Ricardo Rege, Hiberniæ, & Walliæ Reges; in vniuersum Reges XI, Comites LIV, Episcopos XXVIII, demum exercitum trecentorum millium fuisse, è quibus vix quinies mille redierint. Liræ, liræ. Nullus tum neque in Hiberniâ, ne-

que in Walliâ, præter ipsum Ricardum regnabat; & longè inferior fuit bellatorum numerus.

Accon.

4. *Ptolemaida.* Ptolemaïs olim Aca, vel Ace teste Strabone (vnde Accon, & Acra factum est) & Cod seu Coth dicta esse perhibetur: ad maris littus sita. Eam vrbem præterfluit Belus fluuius, de quo mira Iosephus, & Strabo prædicant. Et hic insuper ait eâ vrbe Persas aduersus Ægyptios vsos esse. Vt non immeritò quis suspicetur Accen à Persis, Ptolemaïda ab Ægyptiorum Rege quopiam fuisse nuncupatam. Sedes fuit Episcopalis Tyrio Archiepiscopo subiecta. Cuius vrbis Episcopus fuit Iacobus à Vitriaco. Eius Episcopatus titulum vsurpabat nuper Episcopi Monasteriensis in Westphaliâ Vicarius, seu Suffraganeus. Ioppen cum Accone non rectè confundit Baronius. Ioppe siquidem, quam hodie Iaffam dicunt: Thamenaticæ regionis vrbs, à Ptolemaïde, seu Accone, quæ Galilææ superioris est, plus quadringentis stadijs distat.

Ioppe.

§. 5. Radulfus Episcopus Leodiensis.

5. *Radulfi.* Hic ab Ægidio Aureæ-Vallis Bertholdi Turingiæ Ducis frater dicitur; sed Zaringiæ dicendum est. Henrici Namurcensis Comitis cæci ex sorore nepos is fuit. Ita Gilbertus, & manuscripti Codices Monasterij S. Iacobi Leodiensis: vbi legitur Diploma eiusdem Radulfi in hæc verba: *Radulfus Dei gratiâ Ecclesiæ Leodiensis Minister* &c. *In anniuersario Patris mei Conradi Ducis Zaringiæ VI Id. Ianuar. Et in anniuersario fratris mei Bertholdi VI Id. Decemb. &c. Datum anno* CIƆCLXXXVII. Alterum ei fratrem Hugonem nomine, Comitem dignitate attribuit Gilbertus, & sororem Henrico Saxonum Duci nuptam.

Radulfus ille anno CIƆCXC Cruce signatus in Palæstinam traiecerat; indeque sequenti anno redux in ipso itinere veneno interijt. Albertum Reteliensem consobrinum suum Balduinus Hannonius, Albertum fratrem Henricus Brabantus promouere ad defuncti solium studebat. Et hic quidem legitimè à plerisque Canonicorum electus est.

Ægid. aur. val. Lib. paruus. Io Vitramus. Liber. obit. Rhem. Martyrol. Bruxel. Molanus. B. Fisen.

est. Alteri quatuor aut summùm quinque suffragati sunt.

Vtroque abiecto Lotharium Horstadij Comitis fratrem Imperator Episcopum Leodiensibus dedit. Albertus Brabantus ad Pontificem Romanum prouocauit: ab eoque Romæ non modo infulis Episcopalibus, sed & Cardinalitiâ ornatus purpurâ Rhemos, ab Guillelmo Archiepiscopo sacris ordinibus inaugurandus, redijt. Et hic à tribus sicarijs Germanis, incertum ab Imperatore, an à Lothario eiusúe fratre subornatis nefariè interemptus, vitam pro Iustitiâ, Ecclesiæque libertate posuit VIII Calend. Decemb. anni CIƆCXCII. Gilbertus auctor est anno CIƆCLXXXVII ad V Cal. Nouemb. Valentianis à Balduino Animoso equestri baltheo Albertum fuisse præcinctum. Eius sacrum corpus anno CIƆIƆCXII Albertus Pius Austriacus Belgarum Princeps, pro eo quo sanctum sibi cognominé affectu pietateq; prosequebatur, Christianissimo Gallorum Rege Ludouico XIII annuente, nouâ pompâ Bruxellas aduehi, & in Theresanarum Virginum templum à se cum Parthenone exædificatum, succollantibus cum ipso Alberto, cæteris Belgij, Hispaniæque proceribus, inferri curauit. S. Alberto non tam iustâ suffragatione, quàm parentis armis suffectus est Simon Limburgensis Ducis filius. Cætera Canonicorum factio, qui eius electioni refragabantur Romam abierunt, vbi caussâ peroratâ, de Cœlestini Papæ sententiâ, abiudicato Simone, Namurcum reuersi Balduini Animosi auctoritate atque consilio Albertum Cuyckium legitimè Eburonum Antistitem renuntiarunt, & Hannonis ope in solium, incubatore pulso, euexerunt.

S. Alberti electio & martyrium.

S. Corporis translatio.

6. *Eudonem.* Eudo quippe Burgundiæ Dux interfuit bellis sacris cum Ludouico Sancto, & domi obijt. Hugo autem Tyri decessit.

§. 6. Eudo Burgund. D.

7. *Assassinorum.* Multa de his sicarijs apud historicos mentio: quos aliqui Arsacidas è Parthorum stirpe, Nicetas Chasios, S. Ludouici vitæ scriptor Beduinos nominant. Et hi populum: illi sectam superstitionis Mahometanæ,

Assassini.

Guil. Tyr. Nicet. Vita S. Ludouici. Paul. Venet. Aithon.

metanæ,

metariæ, ab Alaodino Saraceno, Persidis, quà Indo amni alluitur, Satrapâ institutam, fuisse eos volunt: quique corpus & animum Principis sui (quem Senem de monte, vel Sex montium Principem, vel Mulettæ Regulum nuncupant) obsequio deuoti: atque ab eo immortalem, delitijsque omnibus affluentem vitam sperare iussi, nihil non audebant: quo se eo præmio dignos redderent: vbi vitæ huius immortalis summis quasi labris prælibare tantillum potuerant. Quod ita fieri solitum erat. Vafer & nequam Princeps potione quadam soporiferâ misellis hisce viris altum somnum conciliabat; tum eos in amænissimam, ijsque voluptatibus, quas homini natura concessit, refertissimam arcem translatos, diebus aliquot cupedijs lautitijsque inescabat: pollicitus si strenuè imperata facerent, vitamque suam caducam alioquin & breuem Principi deuouerent, fore vt in hanc beatorum sedem à Mahometo constructam transferrentur, perpetuò ibi victuri. Inde eodem poculo soporatos pristino reddebat loco. Quæ species sic eos dementabat: vt vitam pro nihilo ducerent, illamque eâdem facilitate Principis iussu, quâ nos vestem, ponerent. Testis eius rei Henricus Campaniæ Comes; cui, cùm aliquando Antiochiâ Tyrum proficisceretur, iste Montis Senex, quo cum ambulabat: suorum obedientiæ seu insaniæ specimen daturus: nutu tantùm ex Assassinis vni, qui in arcis altissimæ pinnis eminebat, vt se præcipitem daret, imperauit. Quod ille continuò fecit. Ne idem alijs quoque fieret Henricus intercessit. Cæterùm eorum in trucidandis Christianis audaciâ incredibili, potissimùm Senex vtebatur. Ita Conradum Montisferrati Marchionem, frequenti licet nobilium coronâ circumseptum, in ipso Tyri vrbis foro 5 Cal. Maias anni insequentis interfectum esse accepimus ab impijs hisce sicarijs; quorum vnus momento temporis ab adstantibus in frusta discerptus est: alter seruatus, vt lento igni vreretur.

Fulgos. I. Bap. Egnat.

§. 9. Cortracensis Castellanus,

8. *Warconiensi.* Ita Gilbertus, qui eum modò Warchin nominat,

nominat, modò Waroonienſem, nonnunquam etiam Cortracenſem: atque filium fuiſſe Rogerij Cortracenſis Caſtellani. Quo autem ille pacto, aut iure Tornacenſis Caſtellanus eſſe potuerit, ignoro; quum ex varijs conſtet tabulis, & hiſtorijs Euerardum Radulfum Caſtellanum id temporis fuiſſe Tornacenſem, eamque dignitatem ad poſteros tranſmiſiſſe.

9. *Aloſtanum Comitatum.* Ex Wichmanni Saxonis progenie orti ſunt tum Gandenſes, tum Aloſtenſes Reguli. Et horum quidem Alosti Dynaſtæ, alij Comites, nonnemo etiam Aloſti Princeps, dicti ſunt. Balduino Gandenſi eius nominis ſecundo Aloſti Domino nati ſunt Balduinus III, Iuanus, Beatrix, atque alij duo. Balduino III eiuſque filiæ Beatrici ſine prole defunctæ ſucceſſit Iuanus frater; qui ex Laurettâ ſeu Laurentiâ Theodorici Elſatij filiâ Theodoricum Gandenſem Aloſti Principem procreauit; atque hic ſine liberis anno CIↃCXLVI moriens Philippum Elſatium auunculum ex teſtamento hæredem dixit. Affert Lindanus Diploma anno CIↃCLXVI à Philippo Elſatio datum: in quo ſic ille ait: *Terra illius* (ſcilicet Theodorici) *in manus meas deuenerat, ex ſtipulatione dotis ſorori meæ à Patre eius Domino Iwano olim factæ.* His tamen Theodoricus Beuerenſis Dixmudæ Caſtellanus auiæ ſuæ Beatricis ius referebat, ſeque legitimum Aloſtenſis Dynaſtæ hæredem prædicabat. Theodoricus quippe Beuerenſis, huius Theodorici II auus, Beatricem Iuani & Balduini tertij ſororem in matrimonio habuerat. Hæc fuſiùs refert, confirmatque Andreas Quercetanus in Guiſnenſis, & Gandenſis familiarum Hiſtoriâ. **Aloſti Comitatus.**

IN CAP. VI.

1. T*Am inſolens.* Sub annum quidem trigeſimum quintum poſt mille & ducentos, eiuſmodi dignitatem ab Friderico Impèratore receptum, Hagenoam Tholoſatium Comitem veniſſe narrant Annales Germanici: quamuis **§. 2. Equeſtris dignitas.**

uis ille quinquagesimum ætatis annum ageret; sed id pro monstro narrant habitum: eique idipsum ab amicis omnibus probro datum. Quantùm verò eam segnitiem improbaret Balduinus, lege postea latâ testatus est: quâ cauit ne cui post vigesimum & quintum ætatis annum baltheus præcingeretur; sed eo tam grandis natu prætextatus indignus haberetur.

IN CAP. VII.

§. 1. Regis munus.

1. *Nati nos*. S. Augustinus 5. de ciuit. c. 12. & post eum S. Thomas 4. sent. dist. 49. Reges non à regnando, & dominando, sed à regendo, & consulendo dictos volunt.

Horat. Rex eris, aiunt, Si rectè facies.

& Ausonius: Qui rectè faciet, non qui dominatur erit Rex.

Tritum verò est Homeri Iliad. β

Ο'υ χρὴ παννύχιον εὕδειν βϐληφόρον ἄνδρα·

Hebræis autem Melech Rex, à radice Malach dicitur: quod non regnare solum, sed & consilium dare significat. Et littera *lamed* non sine mysterio medium eius dictionis obtinet; vtpote quæ propter formam, quâ cæteras supereminet, Regina dicitur Alphabeti. Et porrò doctrinam significat, à *lamad*, discere. Quod Regibus adeo necessarium iudicauit Salomon: vt opibus, cæterisque omissis, cor docile dumtaxat à Deo petierit. Insuper *Nadhib*, quo Principem vocabulo indicant: liberalem, & cordatum propriè significat, seu Euergeten; quo nomine delectati olim sunt Ægypti Reges. Vide de his plura apud Doctissimum virum Ioannem Boucher in Coronâ Mysticâ.

§. 6.

2. *Obijt ille*. In Balduini Animosi tumulo, cùm eius ossa ad nouam Basilicam transferentur, hæc inuenta est inscriptio.

Balduini Animosi epitaph.

Hic iacet Balduinus Comes Hannoniensis: vir venerabilis, prudens, Princeps potens & illustris. Hic fuit filius Comitis Bal-

duini,

-duini, qui ante maius altare iacet. Hic ex parte matris suæ Namucum fuit adeptus, & inde primus Marchio Namucensis appellatus. Hic ex parte vxoris suæ Margaretæ (quæ fuit filia Theodorici, & soror Philippi Comitum Flandriæ) Flandriam cum Hannoniâ, & Namuco possedit. Hic habuit filios, quorum Balduinus primogenitus in Flandriâ, & Hannoniâ: Philippus verò successit in Namuco. Habuit & filias, quarum vna fuit Elizabeth Sanctissima Francorum Regina. Obijt XVI Cal. Ianuarij CIↃCXCV *Requiescat in pace.*

Ait Gilbertus eum obijsse octauâ die ante Festum Natiuitatis Christi. Fuit igitur is dies XV Cal. vt Guisius etiam annotauit. Refert Miræus in Codice Donationum litteras Margaretæ Constantinopolitanæ: quarum fragmenta, quæ ad historiam faciunt lubet hîc inserere.

Mir. Cod. Don. c. 98.

Litteræ Margaretæ.

Nos Margareta Flandriæ, & Hannoniæ Comitissa, notum facimus vniuersis, quòd nos litteras piæ recordationis Balduini quondam Comitis Hannoniæ, Marchionis primi Namurcensis, proaui mei (*lege* Aui mei) *non cancellatas, nec abolitas &c. vidimus in hâc formâ.*

Notum sit &c. quod Balduinus Comes Hannoniensis, Marchio primus Namurcensis, Balduini Comitis, & Aleidis Comitissæ filius, vxorem habuit nobilissimam Margaretam Theodorici Comitis Flandriæ filiam, Philippi potentissimi Flandriæ, & Viromandiæ Comitis sororem; de quâ filios habuit milites strenuos: Balduinum scilicet primogenitum, Philippum medium, Henricum tertium, & filias; quarum vna fuit Elizabeth glorisissima Francorum Regina, Philippo illustri Francorum Regi desponsata.

Philippo quoque Flandriæ, & Viromandiæ Comite defuncto ipse Balduinus cum Margaretâ vxore suâ, Principatum Flandriæ per aliquot annos possedit. Idemq; Balduinus ex parte Aleidis matris suæ, & auunculi sui Henrici Namurci, & Luxemborch Comitis, iure Namurcum adeptus fuit. Vnde ipse Balduinus ab Henrico Romanorum Imperatore Friderici Imperatoris filio factus fuit Marchio Namurcensis, & Princeps Imperij, à quo etiam Henrico Imp. Balduinus prædictus filius eius in militem

fuit ordinatus. Defunctâ autem Margaretâ prædictâ, ipsa Brugis in Monasterio S. Donatiani sepulta fuit: cui in hæreditate, & Comitatu Flandrensi successit supradictus filius eius Balduinus. Balduinus autem iure ipsius Margaretæ ad Comitatum suum Hannoniensem, & ad Marchiam Namurcensem, relictâ filio Flandriâ rediit. (Hęc corrupta. Legendum sic: *Successit supradictus filius eius Bald. iure ipsius Margaretæ. Balduinus autem, scilicet Pater, ad Comitatum suum Hann. &c.*) *Hic quidem Balduinus Comes Hannoniæ, Marchio Namurc. vir animosus, & magnæ discretionis, & miræ memoriæ saluti animæ suæ volens prouidere instituit in Montensi Ecclesiâ, in medio Monasterij B. Waldetrudis, altare in honorem B. Iacobi Apostoli &c. Testes.*

D. Balduinus Camberonensis.	Abbates.
D. Hugo S. Guisleni.	
D. Bartholomæus S. Dionysij in Brocqueriâ.	
D. Abraham Maricolensis.	
D. Nicolaus S. Foillani.	
D. Wedricus S. Ioannis Valencenensis.	

De hominibus Comitis testes.

Henricus & Guillelmus fratres eius. Nicolaus de Barbencione, Eustachius de Lens. Rogerus de Condato, Gislebertus Præpositus S. Germani Montensis.

De Ecclesiâ verò testes.

Nicolaus Cameracensis Archidiaconus, ipsius Ecclesiæ Præpositus. Gislebertus prædictus ipsius Ecclesiæ Vice-Præpositus & custos. Renerus Decanus, & Scholarius S. Germani. Nicolaus Narra (Natta Forsan) *Nicolaus du Suarij, Remondus Willems Canonici. Sara Decana, Elizabeth de Abechies, Sara de Haim, Hedwidis de Villâ, Mainsendis de Frasne, Hauwidis Pietdocemp, Maria & Beatrix de Him, Hauwidis de Gaia, Mathildis & Agnes de Fontanis, Bertha & Maria de Quernon* (fortassis Quaregnon vel Querimain) *Gerla de Hornetis, & Canonicæ aliæ multæ. Actum mense Decembri in Conceptione gloriosæ Virg. Mariæ Anno Domini Incarn.* CIƆCXCV. (Igitur diebus XI antequam Balduinus Animosus è vitâ decederet.)

Item vidimus litteras claræ memoriæ Balduini quondam

Flandriæ

Flandriæ & Hannoniæ Comitis aui (Patris *legendum*) *nostri, sigillo ipsius sigillatas, sanas & integras in hac verba.*

Ego Balduinus Flandriæ & Hannoniæ Comes, Balduini Comitis Hannoniensis, & primi Marchionis Namurcensis filius &c. Ego verò hæc prælibata eleemosynarum, benefacta volens rata obseruari, eidem Montensi Ecclesiæ, cum solemni approbatione scripto commendatâ, & sigilli mei appositione roboratâ, & testibus subscriptis signatâ confirmaui.

Testes.

Maria Flandriæ & Hannoniæ Comitissa, ipsius Comitis vxor.
Philippus, & Henricus fratres eiusdem Comitis.
Henricus, & Guillelmus Patrui eiusdem Comitis.
Nicolaus de Rues (siue du Rœux) *Cameracensis Archidiaconus ipsius Ecclesiæ Præpositus.*
Gislebertus Præpositus S. Germani eiusdem Ecclesiæ custos.
Nicolaus de Barbencione, Eustachius de Lens.
Gossuinus Præpositus Sonegiensis, Balduinus Custos Sonegiensis.
Henricus Montensis Castellanus. Ioannes Rufus Villicus de Lestinis, & quamplures alij Domini Comitis fideles. Actum mense Februario anno D. Incar. CIↃCXCV.

Nos autem Margareta Flandriæ, & Hannoniæ Comitissa superiùs nominata, omnia, & singula supradicta à meis prædecessoribus superiùs nominatis concessa, & confirmata laudamus, approbamus &c. Datum anno D. Incarnat. CIↃCCLXVI *mense Octobri. Hactenus Diploma.*

Balduinus Animosus = Margareta Elsatia, seu Flandria.

Godefridus gothus.

- Isabella = Philippus Augustus Gallorum Rex.
  - Ludouicus VIII. S. Ludouici Pater.
- Balduinus Imp. Constantinop. de quo postea. || Maria Campana.
- Philippus Marchio Namurcens. || Maria Philippi Augusti R. Galliæ filia.
- Henricus Imp. Const. || Agnes filia Bonifacij Monferrat. Regis Thessalonic.
  - N. infans obijt.
- Iolendis = Petrus Cortenayus Imperator Constantinop.
  - Philippus à dolabrâ Comes Namurc. obijt Auenione an. 1226.
  - Robertus Imp. Constantinop. obijt cælebs.
  - Balduinus Imp. Constantinop. || Martha Briennia.
    - Philippus. || Beatrix filia Regis Siciliæ.
      - Catharina. || Carolus Valesius.
  - Margareta = Henricus Viennæ Comes in Arduennâ.
  - Isabella = Odo Comes Montis acuti.
  - Agnes = Gaufridus iunior de Vilahardiuni, filius Gaufridi Principis de Insula Mocionis; ita Albericus. Principissam Achaiæ vocat Balduinus eius frater.
  - Iolenta = Andreas Rex Hungariæ.
  - Sibilla = Rodulfus de Essolduno.
  - Maria = Theodorus Lascaris.
- Sibilla = Gerardus Luxemburgensis Lignij Dominus, alijs VVibertus de Beaujeu.

Porrò

Porrò Gilbertus Balduino Animoso à consilijs fuisse ait, quorum nomina sequuntur. Bald. Animosi Consiliarij.

Nicolaus cognomento Monachus, Reginardus de Strepy, Ioannes de Manchicourt, Paulus de Villers, Godefridus Tirelaine, Ægidius d'Aumont, Ægidius de Frasne, Balduinus de Keuy, Gerardus Comitis ipsius frater cognomento Simus, Robertus de Beauren, Hugo d'Anthoing, Gerardus & Gualterus de Bourbais fratres, Wido & Fulco de Fontaines, Guillelmus cognomento le Flaon, Ricardus d'Orcq, Gualterus de Stinberck, Gualterus de Blandain, Gualterus de Gouy, Guillelmus de Vendegies, Libertus de Liessies, Hellinus du Tour, Hugo d'Aunoit, Saluardus de Marlis, Balduinus Valentianensis, Simon Malbodiensis, Guillelmus d'Ansaing, Gossuinus de Beaurein, & Balduinus de Neuuville.

3. *Ad ann.* XXI. Subscripsisse enim reperitur Chartæ Pacificationis inter Henricum Ducem Brabantiæ, & S. Waldetrudis Collegium pro Herentalio anno CIↃCCIX. Et eundem autumo qui nomine Gilberti Præpositi S. Albani subscripsit tabulis Philippi à Dolabrâ (vel vt alij ad labra) Marchionis Namurcensis, quibus hic S. Albano donat calceos sibi pendi solitos, anno CIↃCCXXI. Chronologia.

IN CAP. VIII.

1. H*Ic annus.* Scilicet CIↃXCVI. de quo hos Meierus recitat versus. §. 3. Anni intemperies.

Turbine ventorum fit magna ruina domorum.
Fabricâ multarum confringitur Ecclesiarum
Decidit & cuncti generis radicitus arbor.
Clade famis diræ plures cœpere perire,
Sæuijt in miseros nimiùm quæ quinq; per annos
Sexdenis solidis emptus tritici corus vnus.

2. *Carolum Danum.* Carolus cognomento Bonus Flandriæ Comes, cùm anno CIↃCXXVI, inquit Meierus, ingens in Flandriâ fames incessisset, mirè se in subleuandis Caroli Dani martyrium.

dis inopibus liberalem exhibuit, atque industrium. Nam & ipse vno die Hypris septem millia & octingentos panes egenis distribuit: & apertis publicis priuatisque horreis iusto pretio frumentum distrahi præcepit. Vnde irritati Stratenses, præpotens apud Brugenses familia, quorum auaritiæ ea lex modum fecerat, in Caroli necem conspirant; & eum in D. Donatiani Brugensis æde obtruncant ipsis Cal. Martijs anni CIↃCXXVI.

§. 4. Chronolog. 3. *Gallica sequi castra.* Extat quidem Diploma Balduini, in gratiam Canonicorum Aulæ Valentianensis, datum apud Albam Marlam v Cal. Augusti CIↃCXCVI; verùm inde non sequitur ipsum Galli signa secutum: sed negotiorum caussâ potuit Regem Galliæ in castris conuenisse.

IN CAP. IX.

§. 3. Panni Anglicani. 1. C*ommercio.* Et postea sanè quæ ipsi verebantur Belgio euenêre: vt per bella cum Anglis, pannifices lanis destituti in Angliam artem illam secum asportarint. Vbi sic hodie viget; vt qui antea hinc pannos sibi comparabant: nunc vicissim huc eum in modum aduehant, qui vix credi possit. Asserit Guicciardinus lib. de vrbibus Belgij in annos singulos minimùm suo tempore (hoc est ante annos circiter septuaginta) ducenta pannorum Anglicanorum millia Antuerpiæ distrahi solita.

2. *Somona.* Constat Balduino Ferreo siue Calui soceri donatione, seu quo alio pacto totam eam regionem cessisse quæ Picardiæ atque Veromandiæ hodiernæ partem complectebatur. Certè cùm ex SS. Walerici, & Richarij vitâ, tum ex Bertinensibus, Dunensibusque Chronicis, cuiuis liquet eorundem Sanctorum corpora è vico, qui à S. Valerico nomen traxit, ad D. Bertini templum, Arnulfum Seniorem transtulisse; Balduinum Caluum Ternanensem, ac Boloniensem Comitatum Adolfo filio ex testamento legasse.

IN

IN CAP. X.

1. Rvtam, modò Brabantiones. Vario ij milites nomine apud ſcriptores antiquos vocantur, qui ſtipendia, vt nunc Heluetij, ſub externorum Principum ſignis merebant: quorum aliqui à patriâ, alij à moribus, aut rebus geſtis ea nomina ſortiebantur. Vetus Flandriæ Chronicon Aualenſes & Laniones: (*Aualois & bouchers*) Annales Franciæ Coterellos, Rogerius & Montfortenſis Annaliſta Ruptam & Ruptarios nominat. Ruptarios etiamnum Gallicè *Routiers, & vieux routiers* appellamus, qui viam ſuam (quam ruptam ſeu *Route* dicimus) hoc eſt inſtitutum, & artem bellicam probè callent. Quanquam ruptam, ſeu Routam etiam aliàs copias vocabant. Etenim Nicetas in Balduino: μοῖραν, ἣν ῥȣ̃τ͂αν ὠνόμαζον. *Aciem, quam Routtam appellabant*. Huc facit quod aciem turbare, & fundere ijdem Galli dicunt *Mettre en deſroute*. Crantzius in Saxoniæ hiſtoriâ, habitos eo tum loco Brabantos putat, quo nunc ſunt Heluetij. De ijs Aimoinus lib. 5. cap. 55. Qui ſint Aualenſes, & Laniones non facilè dixerim. Suſpicor ab eorum ferociâ ita dictos, quaſi omnia deuorarent, & glutirent, (quod Gallis eſt *Aualler*) & inſtar laniorum (quos *Bouchers* ijdem dicunt) truncarent, & iugularent. Scio Aduallenſem eam regionem olim vocatam, in quâ Dalemium, & Dodeuerda vrbes ſitæ ſunt, ſed ab his duci id vocabuli non exiſtimo. Coterellos deducit Fauchetus ab antiquo vocabulo Gallico *Coterie* quod ſocietatem ruſticam ſonat. Vnde *Tenir terre en coterie*. §. 9. Ruta, Brabantiones.

IN CAP. XI.

1. Octauo Idus April. Feriâ tertiâ ante Dominicam in Ramis Palmarum, anni CIↃCXCIX. quo littera Dominicalis erat C. Confirmat G. Brito. §. 3. Chronologia.

Vnum ſi demas, à Chriſto mille ducenti
Anni ſuccedent ad Regis fata Ricardi.

 2. Comita-

§. 6. Comitatus Arthesiæ.

2. *Comitatus titulo.* Scio Comitatus Atrebatensis nomen iam inde à temporibus Romanorum ad vsque postremam Caroli Magni stirpem viguisse, vt ex varijs constat cùm historicis, tum Diplomatibus. Sed titulus ille, vti alium, atque alium, pro temporum ratione, regendi modum signabat: ita pridem gestari desierat, cùm Ludouicus Philippi Augusti filius maternæ dotis nomine Arthesiam obtinuit. Ludouicus verò Sanctus Roberto fratri permisit: quem ideo Arthesiæ Comitem primum passim appellant, quòd Ludouicus eius Pater Regni Princeps, & deinde etiam Rex dictus eo titulo abstinuerit.

§. 7. Blanca.

3. *Blancæ.* Alfonsus Castellæ Rex anno CIƆCCXIV humanis ereptus quatuor filias reliquit: Blancam Ludouici VIII Gallorum, Berengariam Alfonsi Legionis, Eleonoram Iaimij Arragonum, Vrracam Alfonsi Lusitaniæ Regum vxores. Et Vrracæ filius fuit Ferdinandus Ioannæ maritus Balduini nostri gener.

§. 9. Mohaei Comites.

4. *Albertus eius vel patruus.* Patruum dicunt Godofredus Monachus, Ægid. Aureæ-vallis, & Vltramosanus. Hic enim Godefridum Brabantiæ Ducem ait tertijs nuptijs Ermengardem Henrici Mohæ Comitis filiam & hæredem duxisse, ex quâ Albertum procrearit Mohæ & Alborchi Comitem. Alij auunculum volunt, Comitis Mohæ filium, ab antiquis Huiensibus Dynastis prognatum. Etiamnum Hui mensuræ genus quoddam Alborchiana dicitur: quo fides fiat etiam Huyensi in oppido Alborchi & Mohæ Dynastas imperitasse. Vbi verò Alborchum situm sit me latet. Anno deinceps CIƆCCIV cùm prolem idem Albertus desperaret, Mohanum Comitatum etiam ipse S. Lamberto donauit, ab obitu suo possidendum, si modò prolem nullam procrearet: vel certè ipsa proles sine liberis moreretur. Donationis tabulas sic orditur. *Vt ea quæ geruntur &c. Actum anno Verbi Incarnati* CIƆCCIV *Indict.* VII. Postea Gertrudem genuit, quæ Theobaldo Lotharingiæ Duci nupta anno CIƆCCXXV sine prole decessit. Multò autem antè Albertus parens obierat.

Zantfliet. VVarnant. Brusthem. Barthol. Fisen Hist. Leod.

Et

Et mox Henricus Brabantiæ Dux ei donationi obsistere aggressus est, dicens ab Alberto venditum sibi esse Comitatum, rescissasque ab eo priores illas donationis Tabulas. Tenuit ea lis ad annum vsque CIↃCCXXVI, quo post multas clades IV Cal. Septemb. in Castro Waremiæ non modò iure omni Henricus cessit: sed etiam pro illatis damnis XV millia librarum Valentianensis monetæ eidem Ecclesiæ pependit. Ita Auctores adnotati.

5. *Alijque.* Henricum quidem Archidiaconum Philippi Sueui amicitiâ fidentem aiunt historici Leodienses Hugoni obstitisse. Tradit verò Rogerius alterum ex ijs candidatis iuuenem Germanum natione, Leodiensem Episcopum electum, Romam contendentem miserè Parisijs interfectum esse. Cùm enim ex eius famulitio nonnemo vinum sub noctem hero quæreret, ab oenopolâ ludificatus, & fustibus contusus, Germanos iuuenes eius iniuriæ habuit vltores. At è viciniâ turbatâ excitus subitò Thomas vrbis Prætor stragē edidit, in quâ Episcopus ipse interijt. Ita ille. §. 10. Leodiensis Episc.

IN LIB. II. CAP. I.

1. HElenæ Constantini. Vnde videas quàm falsò Reineccius hæreticus asserat ita Ierosolymam deletam olim fuisse, vt in ruinis eam Deus iacere voluerit perpetuis. Scilicet Caluinistas Crux à Christianis assumpta cruciat: vt malint cum Luthero ipsis orthodoxis Principibus, quos baptizatos Turcas Hæresiarcha appellabat, quàm iuratis Christianæ fidei hostibus Sarracenis arma inferri. Contra quos præliari (aiebat Lutherus) est repugnare Deo visitanti iniquitates nostras per illos. Eodem argumento euincerent nec ipsi cacodæmoni pugnandum. Sed de his fusè æquè ac solidè Gretzerus noster libris de Cruce. §. 1. De Cruciatis.

Præfat. ad Chron. Iero. sol.

Assert. 34.

2. *Eiusdem sæculi* XXXVI. Ipse Annalista Arabs Abugiafar, quem infrà sæpius adducemus, Ierosolymæ ab Homaro expugnationem Hegyrâ, siue Aerâ Mahometanâ XVI Quo anno amissa Ierosolyma.

accidisse narrat; hoc est initio anni Christiani ꟾↃCXXXVII, vel sub finem XXXVI. Cùm enim vt suo loco ostendemus Mahometanorum anni lunares sint, primaque Æra iuxta Erpenij & Abugiafari calculum XVI Iulij anni Christiani ꟾↃCXXII cœperit: in eum circiter incidit annum, quem adnotaui; verùm nisi mensem adscribat, temporis exacta supputatio iniri nequit.

Patria God. Bullonij.

3 *Godefridus*. Manuscriptus Codex Rubeæ-vallis (cuius copiam Heribertus Rosweidus piæ memoriæ de Societate nostrâ nobis amicè fecit) qui vocatur Nouale sanctorum, ait Godefridum Bullonium natum & educatum propter Geneppam Brabantiæ castrum. Magnum autem Chronicon Belgicum, locum illum vocat Basin. Idem asserit vetus liber M. Sc. Niuellensis Ecclesiæ, qui Ducum Brabantiæ genealogiam continet. Locrius, quo auctore nescio, Watenis natum, eductum porrò eo in vico cui nomen est *Saumure-au-bois* Godefridum refert. Alij eum Boloniensi in agro ortum tradunt. Nemo verò Belgam fuisse diffitetur: quando tum ipsa in Belgio Bolonia, & Flandriæ Comitis fiduciaria erat. Vnde nescio qui in eodem Codice Rubeæ-vallis: qui se eos ait ex Oliuerio Cardinali Coloniensi exscripsisse, affert hos versiculos.

Vrbium exterior Flandria Bolonia
Reges ambos edidit nobili prosapiâ;
Godefridum, Balduinum ex Patre Eustachio.

Porrò Godefridus, primus teste Tyrio, cum fratre Eustachio vrbem sanctam victor ingressus est, eumque secuti sunt proximè Ludolfus, & Gislebertus vterini fratres Tornacenses, quatuor nimirum Belgæ Ierosolymam primi occuparunt. *Tyrius l. viij*

Mussula.

Mussula. Niniuen vocat Tyrius, & Niger; Vitriacus ait vulgò Mosse dici. *Alepo* Halepum & Chalepum etiamnum vocant Syriç vrbem. G. Tyrius Neream Cælesyriç oppidum Alapiam alio nomine dici ait. Chalybon est Halapia Postello, Aleppus Rawolfio; Berrhæa est Syriaca Zonaræ, Nicetæ, Cedreno, & Gyllio, quibus potiùs assentior; *Tyr. l. 20. c. 19.*

Hierapo-

Hierapolis verò Bellonio; Antiochia Villanouano, & Seidlizio; Geufræo Epiphania, vti & Laonici Interpreti. Ridiculè verò Geufræus ab Aleph primâ Alphabeti Hebraici litterâ dictam vult; quasi Syriæ primariam vrbem, cùm hodieque Damascus longè exsuperet. *Edessa* Cælesyriæ etiam Plinio vrbs est: Ptolemæo Mesopotamiæ ad Euphratem; malè Medorum Metropolim vocat Vitriacus.

5. *Tripolim.* Hanc Diodorus tripliciter distinctam ait, in Arabum, Tyriorum, & Sidoniorum vrbem. Est autem infra Aradum, inter Eleutherom superiorem, & Adonidem, siue canem, atque Lycum. Nam hi duo amnes fluunt inter Biblion & Berythum. Eam vrbem Bertrammus Raymundi Comitis Tholosani filius post VII annorum obsidionem deditione cepit, & possedit. Ita Vitriacus & Tyrius. Huic Pontium filium, Pontio item filium Raymundum successisse refert, qui Pater eius fuerit Raymundi, de quo nunc est sermo. — *Diod. l. 16.* — *Vitriac. c. 34 & Tyr. l. 11* — **Tripolis, Edessa.**

6. *Antiochiam.* Boamundus Princeps Tarentinus Godofredi socius sibi subiecit anno CIϽXCVIII *Biblion* hodie Gibeletto inter Tripolim, & Berythum ait Vitriacus, de qua Ezech. 27. Hanc à se expugnatam Genuensibus concesserat Tripolitanus Comes Bertrammus. — **Antiochia.**

7. *Pluresq; alios.* Cum Philippo Elsatio Flandriæ Comite in Acconensi obsidione quinquaginta omnino quà Duces Comitesue, quà Episcopos eo fato functos esse plerique memorant. In ijs fuere Theobaldus Blesensis & Stephanus Sancerrensis Comites Galli: Hellinus Waurinius, Robertus Bethuniensis, Guillelmus à S. Audomaro alijque plures Belgæ; qui omnes in publico D. Nicolai ad vrbis muros cœmiterio tumulati sunt. In eo cœmiterio, si Magno Chronico Belgico credimus, post nouem dies cadauera in cineres abeunt. — **§. 2. Ad Acconem mortui.**

8. *Iacobum Auesnensem.* De eius glorioso obitu dissetunt P. Æmilius, Rogerius, Diuæus, Molanus, Vitriacus, Iperius, Otto de S. Blasio, alijque in hunc modum. Belgis qui in Palæstinâ cum Ricardo Angliæ Rege re- — **Iacobi Auesnensis mors.**

manserant, non tam dignitate aut officio, quàm auctoritate Præfectus Iacobus Auesnensis postremam exercitus Christiani aciem ductandam susceperat, vbi Saladinus aduentare dicebatur. Nostri Ierosolymam tentaturi propter Antipatridam constiterant: quam Assur etiam dici auctor est Vitriacus, vrbem Cæsareæ, Ioppæque interiectam; quando ab hoste oppugnari cœpti sunt. Primum agmen Ricardus Rex ducebat, tum sequebantur impedimenta. Medium Francis constabat, quibus Hugo Burgundiæ Dux præerat. A tergo nostros inuasit Saladinus, atque adeo tota prælij vis in Belgas incubuit: qui postremo in ordine cùm essent, primi hostium impetum retudere. A Meridie ad Occasum Solis prælium tenuit, dubiâ satis vtrimque fortunâ. Auesnensis tandem Barbaros fatigatos acriùs persecutus: fregit quidem, sed morte suâ victoriam Christianis comparauit. Cæterùm talem eo die hostium cædem perpetratam asserunt: qualem nec ipse Saladinus, nec è suis quisquam antea maioribus expertus aliquando fuerat: ita vt de Palæstinâ deserendâ cogitaret. Auesnensem iure meritissimo Molanus Belgicorum Sanctorum fastis inseruit: eumque non ille solùm, sed & plærique alij cum Machabæis conferunt. Ricardus verò Angliæ Rex in quâdam Epistolâ: *Virum optimum, & suis meritis vniuerso Exercitui carissimum, nominat: quiq; plures annos, quasi columna Christiani exercitus, in omni sanctitate, & synceritate fidei, Deo seruierit promptus & deuotus.* Quibus Elogijs, si ea Iacobi sepulcro inscribantur, quid ad laudis commendationem addi possit non video.

Mamaluci. 9. *Mamalucis.* Turcorum exemplo Mamalucos Saladinus excogitauit. Illorum Satrapæ (Emires vocant) seruis vtebantur in bello, eosque vbi suam varijs in locis prælijsque fidem & fortitudinem probauerant: ad primas quasque dignitates euehebant. Saladinus id genus homines in sui corporis custodiam adhibere cœpit in Ægypto, & Mamalucos nominauit; è quibus postea non modò rei bellicæ Præfecti, verùm etiam ipsi Ægypti

ti

ti Reges deligi soliti sunt. Ita Guill. Tyrius. Melecsalæ id inuentum tribuit Aythonus, & Cumanos origine fuisse, quos à Tartaris captos Melecsala redimeret. Ioannes autem Leo Circassios fuisse refert: quos ab Armeniæ Regibus, è patriæ sinu abductos, & Cairi sub hastâ venum expositos Saladinus emere consuêrat. Dein bellicas artes, & Turcicum idioma, quod is à matre acceperat, condocefactos, bellis adhibebat. Mamalucus porrò, siue Mamlucus emptum significat à Malach, quod Arabicè emere, vel acquirere significat, non verò Ministrum, aut stipendiarium, quod vult Geufræus.

10. *Saladini obitus.* Qui contigit anno CIↃCXCIV, iuxta omnes, vno excepto Iperio, qui biennio seriùs refert. Tria ipse commemoratione, & laude digna paulò antè gessit, quàm animam exhalaret. Testamento quippe suam voluit interulam hastâ pensilem per compita vicosque deferri, præeunte præcone qui illud identidem inclamaret: Saladinum Asiæ Dominum, nihil præter hanc vestem è tantis diuitijs secum asportare. Tum verò virum in Campaniâ, quà Lotharingiæ adiacet, nobilem Angluri & Bourlemontis toparcham, quem bello captum asseruabat, eo pacto liberum dimisit, vt is clypei sui insigne gestaret deinceps: & vnum aliquem è filijs, si quos susciperet, Saladini nomine dici iuberet. Quod ille facturum se recepit; & præstitit. Demum aquâ caput sibi, pectus, & pedes aspergi curauit, inquit Iperius: addubitans num hoc ille ritu baptismum expetere se significaret. At nihil eiusmodi cogitasse arbitror, quando lotionis vsus apud Mahometanos est creberrimus. Et si Christianis sacris initiari cupiebat: nihil oberat quominus per captiuorum aliquem eius voti compos fieret. §. 3. Saladini obitus.

11. *Fulconem.* Fuit itidem alius in Flandriâ Fulco Vtenhouius: de quo Meierus ad annum CIↃCCX: *Quum à Vitriaco Legato Fulco Vtenhouius patriâ Gandauensis (Hospitalis Bilocæ apud populares suos fundator) celebris id temporis vir sapientiâ, & Canonicus Insulanus, induci non posset, vt expeditionem* Fulco.

peditionem Albigensem suis, ad populum concionibus commendaret; & ipse idoneum se esse negaret: subitò ceu ab irato, & vindice numine grauissimâ correptus est Hæmorrhoide, quam per XXIV *annos plus minùs forti infractoq; tulit animo.*

§. 10. Nobiles Hannoniј.

12. *Leges omnes.* Harum legum tabulis subscripserunt hoc ordine. Philippus Namurcensis Marchio, Comitis Balduini frater, Henricus eiusdem comitis frater, Walterus Auesnensis, Alardus Chimacensis, Erasmus de Gaure, Gerardus de Iauche, Eustachius du Ruës, (vel du Roeux.) Nicolaus de Barbenson, Guillelmus Comitis patruus. Guillelmus de Trasegnies, Guillelmus de Keuy, Renerus de Trith, Nicolaus de Rumegny, Englebertus d'Enghien, Arnoldus de Moriamez, Godefridus de Thuin, Guillelmus de Haussy, Alanus euis filius, Gualterus de Ville, Gualterus de Quieuraing, Nicolaus de Condè, Hugo de Gaige, Bernerus de Rauecourt, Nicolaus de Mainwaut, Hugo de Bieuene, Ægidius de Brene, Henricus eius frater Castellanus Binchiensis, Otto de Waudripont, Nicolaus de la Flamengrie, Henricus Montensis, & Guislenus Bellomontensis Castellani, Otto d'Arbre, Balduinus de S. Remy, Gualterus de Sotenghien, Arnoldus d'Audenarde, Gerardus de S. Aubert, Henricus Comitis patruus, Adamus de Walaincourt, Ægidius de Berlaymont, Hugo de S. Aubert, Gerardus Præpositus Duacensis, Gualterus Castellanus Duacensis, Petrus de Duaco, Stephanus de Denain, Ioannes de Semeries, Ioannes de Heriepont, Balduinus de Strepy, Alardus, Nicolaus, & Gualterus eius filij, Ægidius de Houes, Willibaldus de Harueng, Balduinus Valentianensis, Reginardus de Strepy, Robertus de Louuegnies, Nicolaus de Montigny, Hugo & Gualterus de Harueng, Franco de Feluy, Droco & Raimundus de Quaregnon, Gossuinus Præpositus Sonegiensis, Gualterus de Blandain, & Gerardus eius filius, Aubertus de Fantegnies, Ægidius de Montibus, Guillelmus de Beaumont (vel Briaumont) Balduinus de Courrore (forsan Coursolre, vel Couroy) Alardus de Grand-rieu, Gilbertus

bertus Cornutus, & Guillelmus le Flan. Et cum his alibi nominantur Gerardus Senescallus Buccinienſis, Guillelmus de Gomegnies, Alardus de Velly, Hugo de Croix. Hæc in caſtro Montenſi acta ſunt v. Cal. Auguſti ſextâ feriâ ante feſtum S, Petri ad vincula.

IN CAP. II.

§. 2. Longa Philippi R. cum vxore cognatio.

1. D*eprehenderetur*. Potiſſimùm credo euicit huiuſmodi Orator, longiſſimè peti, vanamque eſſe, quam pro ſe afferret Philippus cognationem; ab Aliciâ videlicet Roberti Friſonis filiâ, Aliciæ alterius, Balduini Inſulenſis nepte. hæc porrò Roberto Regi Galliæ, qui Philippo tritauus fuit; & illa altera Canuto Regi nupta Iſamburgæ abauia fuit: atque ideo ſexto vt minus gradu cognationis à ſe inuicem Regem & Reginam diſſidere.

IN CAP. V.

§. 1. De Crucis ſumptione, & Paleſtinæ profectionis voto.

1. P*ontifices permiſerunt*. De crucis ſuſceptione & voto Ieroſolymam proficiſcendi variæ olim quæſtiones ortæ ſunt. Ac inprimis vtrũm maritus inuitâ coniuge, poſſit aſſumptâ cruce votum eiuſmodi Deo nuncupare. Ad quam quęſtionem reſpondet Pontifex cap. cit. *Ex multa. De voto & voti redempt*. in hæc verba: *In tantâ quoque neceſſitate populi Chriſtiani, ne terræ Sanctæ impediatur ſubſidium, viri præter vxorum aſſenſum, huius peregrinationis propoſitum vouere liberè valent: & quod vouerint liberè adimplere*; vbi gloſſa. *Specialiſſimus eſt caſus iſte quòd vir poteſt emittere votum, præter licentiam vxoris*. Aſſentiuntur DD. plerique omnes. Ei tamen doctrinæ aduerſari videtur S. Thom. Quodl. 4. ar. 11 vbi ait id marito non licere, ſi de vxoris incontinentiâ timeatur. Alij tamen abſque diſtinctione paſſim id licere decernunt. De vxore maior eſt difficultas. Nihilominus abſque conſenſu mariti id ei licitum eſſe tenent Oſtienſis citatus à Silueſtro, Panor-

mit. citatus à Nauarro, qui & ipse idem docet. Nuper Insulis Belgicæ vrbe repertus est vterque coniux; qui id votum proficiscendi Ierosolymam emiserant, & viaticum parabant, neutro alterius conscio. Vt verò vxori mentem maritus aperuit, & ostenso viatico, quod clam propriâ compararat industriâ: veniam adimplendi petijt; eandem & vxor sibi iniectam mentem esse iam pridem fassa, haud minorem argenti vim exhibuit. Nihil igitur obfuit; quin mox vnà se in eandem viam darent.

§. 3. Willelm. Hannon.

2. *Guillelmum patruum*. Affert Myręus in Notit. Belg. c. 186. eius Guillelmi diploma; quod incipit: *Ego Willelmus Domini Comitis Flandriæ, & Hannoniæ patruus: & eius vicem in Comitatu Hanoënsi gerens potestatiuam. &c. Actum Montibus A° 1203 dum Dominus Comes Fland. & Hann. pro honore Domini nostri Iesu Christi peregrinabatur.*

§. 5. Villeharduynius emendatus.

3. *Henrici fratris instrumentum*. In Villeharduynij Gallico vetere ita legitur. *Et parce s'en enuoyerent li Cuens Henry ses freres de lor nes, chargiez de draps, & de viandes, & d'autres choses.* Corruptè. Legendum: *Et parce* (ideo scilicet, quod plurimam spem in eâ classe collocarat) *s'en enuoyerent li Cuens, & Henry ses freres de lor nez*, id est naues suas, *&c.* Nunquam porrò Henricus Balduini frater Comitis nomine à Villeharduynio insignitur. pessimè autem pro Henrico Theodoricum Vigenerius substituit.

IN CAP. VI.

§. 5. Veneti imperium maris.

1. C*Vius nuper Imperium*. Hæc iuxta mentem quorundam, qui referunt ab Alexandro Papâ eius nominis III, Venetis, quorum operâ, aduersus Fridericum Ænobarbum victoriam retulerat, varia collata esse priuilegia: nominatim verò ius in Adriaticum mare; quod ipsi deinceps die Ascensioni Christi sacro solemni pompâ è naui, quam Bucentaurum vocant, annulo aureo in vndas iniecto, quasi desponsant. Sed de Alexandri cum Friderico reconciliatione apud plerosque Auctores varijs fabulis

lis interſperſa eſt hiſtoria: quam ſuo more deterſit Cardinalis Baronius ad annum Chriſti CIƆCLXXVII. A quo itidem Ioachimus Camerarius, vir hæreticus, qui abſurdè, & ridiculè ius illud cum patrimonio S. Petri confert, velut vtrumque fraude, & dolo quæſitum ſolâ temporis diuturnitate niteretur: edoceri potuerat (niſi mentiri lububeret) quantò vnum alteri præſtet; quamque legitimè patrimonium ſibi ab Imperatoribus conceſſum, & confirmatum Romana ſedes poſſideat.

Baron to. 12 Ioach. Camer. Medit.

IN CAP. VII.

1. *Alexandriam, vel Damiatam.* Alexandriæ nomine octodecim vrbes numerat poſt Stephanum, & Euſtathium Ortelius. Hæc, de quâ agimus in Ægypto antiquiſſima eſt Pharo oppoſita. Damiatam aliqui Peluſium, alij Menteſium putant, nonnulli Tamiatim veterum, & præter loci ſitum, etiam nominis affinitas huic poſtremæ opinioni fauet. §. 1. Alexandria, Damiata.

2. *Catzenellebogius.* Corrupta eſſe in editis exemplaribus Villeharduinij propria nomina vel ex hoc patet, quod ita legebatur: *Li Cuens Belton de Chaſſenele, & de Boghe*, pro quo Comitem Bertholdum de Catzenelleboghe repoſui. Quem Comitatum iam poſſident Naſſouij. §. 2. Villeh. emendatus.

3. *Tergeſtini.* Hi iam inde ab ipſis propemodum vrbis incunabulis Venetis hoſtes fuerunt: primique ab ijs victi, & ſuperati. Vnde & quotannis in eius victoriæ memoriam dies Purificationis Virginis Deiparæ, quòd ea in hæc tempora incidiſſet, feſtis ludis, Venetijs agitur. Vtraque porrò vrbs Tergeſtum, & Mugia Iſtriæ regionis eſt, ad Tergeſtinum ſinum. §. 3. Tergeſtini. Blondus Leander &c.

4. *Nobiliſſimo loco.* Villeharduynius vocat: *Vn haut homs*. Landaſiâ toparchia Baronatus titulo inſignis, iuxta Orchiacum ſita eſt in pago Flandro-Gallicano. §. 6. Landas.

IN CAP. VIII.

Pantocratoris mon.

1. *Pantocratoris.* Hoc est Omnipotentis Monasterium: quod à Ioanne Imp. Manuelis patre ædificatum ait Nicetas. de eo hæc Gillius in Topographiâ Constantinop. *In supercilio quarti collis vergente ad solis ortum, visitur templum Pantocratoris, illustre memoriâ recentium scriptorum; cuius parietes interiores vestiti crustis marmoris varij: & duplices porticus habet, & plura tecta hemisphærica plumbo operta: quorum maximum sustentatur quatuor columnis pyrrhopœcilis &c.*

Sortes.

2. *Hariolis.* Ab his quia intellexerat penes Comneniam tamdiu familiam Imperium Græcorum futurum: quoad ἄιμα (quod sanguinem significat) duraret; id ille responsum ita interpretatus est, vt per modum versus Acrostichi, singula eius dictionis elementa, eorum qui Comnenâ stirpe Byzantinum Imperium tenuissent, vel olim erant adepturi, nominis litteram primam designarent. Nimirum Alexij, Ioannis, Manuelis; & demum fore eum postremum eius familiæ, qui ab A nomen suum inchoaret. Atque ideo filium, quem vnicum habuit, Alexium vocari voluit. Eodem olim modo delirasse Gentiles quosdam Philosophos refert Sozomenus. Hi enim Christi anno CCCLXX nostræ Religionis ægrè ferentes incrementa, è lauro tripodem efformarunt, & ex Apolline quæsierunt quis Valenti in Imperio succederet. Ille verò prima successuri Imperatoris nominis eleméta ita edidit, vt Theod efficerent, nec vltra progressus est. Illi mirè læti Theodorum Philosophum, Ethnicæ superstitionis virum, suspicati sunt hoc oraculo portendi; toto nimirum cælo falsi. Nam huius rei certior factus Valens, non modò omnes eos Philosophos, qui de vitâ Principis per sortes quæsierant: sed & cæteros quoscunq; eius sectæ viros, eosq; qui à Theod nomen inchoarent suũ, necari iussit. Eius porrò successor Gratianus Theodosium in Imperio collegã asciuit.

3. Ad-

3. *Admotis ad oculos.* Vt frequens omnino apud Græcos excæcationis supplicium, sic non eodem semper modo exercebatur. Dandulum Manuel admotis æreis ad oculos laminis: Michaël Palæologus Ioannem Lascarim ignito crepitaculo ἠχείῳ λινὶ πυρωθέντι: Persæ Hormisdam acubus ferreis ignitis, in pupulas adactis: Ioannes Imp. filium suum, quòd contra se & Amurathem rebellasset, aceto in oculos feruenti affuso, visu priuarunt. Irene porro Constantino filio ipsos oculos exculpi è sedibus iussit, quod idem Isaaco fratri fecit Alexius: ἀμφὼ τὼ ὀφθαλμὼ μικρὸν ὕστερον ἐξορύττεσθαι. Ita Nicetas, Franza, Const. Manasses, Simocatta, alijque. Excæcandi modus.

4. *Mahometi dogmati.* Extat, inquit Nicetas, inter catecheticę Tabulę sanctiones, anathema in Mahometi Deum, quem nec genuisse, nec genitum, sed ὁλόσφυρον esse affirmat. Quid sit illud ὁλόσφυρον ipsi Græci aiunt se minimè intelligere. Certè apud auctores Græcos melioris æui id vocabulum haud aliud significat, quam solidum aliquid, nec conflatum: sed veluti malleo, qui σφυρὰ dicitur, ductum. & Plinius Auream statuam nulla inanitate, holosphyraton dictam esse ait. Vnde forsan Mahometani suspicati nos ex tribus personis distinctis inter se Deum vnum conflare: id dogma reijcientes ὁλόσφυρον substituerunt; quasi vnum & naturâ, & hypostasi. Dogma Mahometanorum de Deo. Plin l. 33. c. 4.

5. *Defunctus.* Ægrotare secundum Nicetam cœpit Martio mense, indictione ιγ id est XIII, anno igitur CIƆCLXXX. perperam vertit Interpres indictione decimâ quintâ. Chronol.

§. 3.

6. *Protosebasto.* Primaugustum Latinè diceremus. *Nullam*, inquit Codinus, *functionem habet: quia non est ministerium palatio militans, sed dignitas honoraria, quam non ministerij, aut ordinis necessitas facit, sed Imperatoris εὐδοκία, seu fauor.* Ita ille. Protosebastus.

7. *Agnetem Ludouici Iunioris filiam.* De hoc matrimonio duo notatu digna insero. Primum est Constantini Porphyrogennetæ libro de Administrando Imperio monitum De Matrimonijs Græcorum Impp. cum externis.

 ad

ad filium; quo eum à peregrino connubio auocat. *De hac re*, inquit, *interdictum, constitutionemq; horrendam, immutabilemq; à magno & Sancto Constantino scriptam esse, in sacrâ mensâ Catholicæ Christianorum Ecclesiæ Sanctæ Sophiæ: ne vnquam Imperator Romanus* (hoc est Græcus) *affinitatem contrahat cum gente, quæ peregrinis, & à Romano* (seu Græco) *statu diuersis moribus vtatur; maximè quæ fidei sit alterius, & non baptizata; exceptis dumtaxat Francis: hos enim solos excepit magnus Constantinus; cùm quòd ex illis partibus oriundus, tum quod propinquitas isti genti, & commercia magna essent cum Romanis. Quapropter etiam cum his solis valere contractus matrimoniales permisit, propter illarum partium, gentiumq; splendorem ac nobilitatem.* Hæc ille. Commentum profectò. Quasi verò Italos, cæterosque suo æquè subiectos Imperio Constantinus excluserit. Ex hoc tamen constat, quàm præ reliquis Europæ populis Galli Græcis essent in pretio. Agnetem igitur Manuel Imp. Ludouici Iunioris Galliæ Regis filiam, Philippi Augusti sororem, filio suo desponsarat. Extat eiusdem Manuelis, in veteri Codice Monasterij Stabulensis in Belgio, manu exarato binæ eiusdem argumenti epistolæ, quas hîc adscribo, Latinas quidem, quoniam Græcè non extant.

Imperiale ad pretiosissimum Abam Monasterij Stabli Wiboldum.

Epistolæ duæ Manuelis Imp.

✠ *Pretiosissime Aba Monasterij Staulẽ. Imperium meum cum didicisset à multis in te florentem virtutem, quomodoq; in honorem certas prænobilissimi Regis Romæ, prædilectissimiq; fratris, & cognati Imperij mei: & in vtilitatem Christianorum: magnam deuotionem, & affectionem erga tuam pretiositatem obtinet, & orationem eius inuocat assiduè. Vult ergo Imperium, quo rursus & tua pretiositas laboret in honorem prædicti Regis prænobilissimi. Nunquam enim inueniet meliorem adiutorem in seruitium contra Siculum, & in cætera seruitia sua. Vult autem & Imperium meum, vt & per scripturas tuæ pretiositatis doceatur sospitatem ipsius. Magnam enim affectionem habet Imperium meum in tuam pretiositatem, ex quo certè cognoui florentem*

tem

...am in te virtutem. Missa est Abadon seruatâ magnâ ciuitate. Mense Martio Indict. XIV ✠ *Missum est tibi ex amitum meglo gmon diplarion album.*

Altera.

Manuel in Christo Domino fidelis Rex Porphyrogenitus, sublimis, fortis, excelsus, Augustus, & Imperator ῥωμαίων ὁ Κομνηνὸς. *Honorabilissimo, & Sanctissimo Abbati Stabulensis gratiam suam, & bonam voluntatem. Littera tuæ Reuerentiæ delata est Imperio meo; quæ declarabat, quòd semper pro meo oras Imperio, & Imperium meum audiens ab omni linguâ quod superest tuæ virtutis, tuas semper aduocat orationes, vultque memorari ipsius tuam sanctitatem in orationibus suis ad Dominum, & orare eum pro prosperitatibus nostri imperij. De negotio vero connubij, de quo prænobilissimus Rex Romæ, & dilectus frater Imperij mei, nostro declarauit Imperio: remisit ei Imperium meum intentionem suam diffusiùs cum præsentibus nuntijs Imperij mei. Vult enim Imperium meum, magis ac magis vtrorumque regnorum vnitionem. Mense Nouembri, indictionis secundæ. Missa est à castro Pelagoniæ mense Nouembri* XXII *Indict.* II ✠

Imperiale ad Venerabilissimum Abb. Mon. Stab.

Hactenus barbarum epistolium, à barbaro magis interprete Latinè redditum. In quo hæc notanda sunt. Notæ.

I. Wiboldus ille quibusdam litteris datis ad Bernardum Episcopum Hildeshemiensem testatur se Leodij interfuisse Synodo, quam celebrauit Henricus secundus Episcopus Leodiensis, paucis diebus ante festum omnium Sanctorum, sed anni nullam facit mentionem. Hæc sunt Epistolæ verba: *Eram in Stabulensi Monasterio vix sanus à febri, quæ me Viterbij quinque hebdomadis detinuerat; cum ad me venerunt* XV *Cal. Decemb. qui significarent electionem meam ad Corbeiensem Ecclesiam factam, cum interessem Synodo, quam Henricus II. Leodiensis Episcopus habuerat paucis diebus ante festum omnium Sanctorum.* Porrò Henricus ille electus est anno CIƆCXLV, VIII Cal. Iulias: obijt Papiæ in Italiâ anno CIƆCLXIV pridie non Septemb. Ita Bartholomæus Fisen è Societate nostrâ, vir non modò patriæ, quam scripsit, Quando datæ.

&

& vulgauit, sed & cuiusuis alterius historiæ peritissimus. Vixit igitur Wiboldus tempore Manuelis primi, & Friderici Ænobarbi.

Versio emendata. 2. E Græcis pauci αὐτοκράτορας, plerique omnes βασιλέας suos dicebant Imperatores; cæteros verò Reges ῥῆγας vt τῆς οὐγγρίας ῥῆξ, &c. Ergo non Rex Porphyrogenitus, sed Imperator vertendum erat. Nomine tamen βασιλέως etiam Bulgarorum Reges decorabant: vti & Romæ veteris Imperatores: si modò cum ijs conuenirent. Basileum siue βασιλέα vocatum ab ijs Carolum magnum narrat Eginhartus à Pithoeo editus.

3. Quæ est illa Abadon seruata magna? Suspicor in Græco fuisse ἀπὸ τῶν σεβαστῶν μεγάλης πόλεως. Abaram Constantinus Porphyrogenitus nominat sub Sebastiæ themate.

4. Examitum &c. Forsan ἐξάμιτον μεγαλόγνεμον διπλάριον λευκόν. Hexamitum (de quo infrà) magnis seu solidis filis (γνέμα enim Barbaro-Græcè filum dici auctor est Crusius in Turco-Græciâ) intextum, duplex, album.

5. Quòd autem Siculi meminit, is fuit Guillelmus: qui se Alexandro Papæ aduersus Ænobarbum adiunxit.

6. Βασιλεία μου Imperium meum vertit interpres, malim, Maiestas mea. Luitprandus Ticinensis inducit Græcos Leonem Imp. his verbis alloquentes δεσποτεία σου ἁγία. *Dominatio tua sancta*; quanquam & Imperij tui compellationem infrà vsurpet. Vide de hoc plura in Meursij Dictionario Græco-barbaro. Luitpr. li. 6. 3.

7. Indictio, si non est corrupta, decimaquarta quidem in annum CIↃCLI, secunda verò in annum CIↃCLIV cadere potuit. Vel sanè quia Manuel regnauit annos XXXVIII hoc est ad annum circiter CIↃCLXXX, Indictio XIV in Christi annum CIↃCLXVI, & secunda in LXIX eiusdem sæculi annum cecidit. Et his posterioribus litteras datas esse vero similius est, quo prolem tulerat Manuel: & ex Friderici liberis optabat sibi vel generum, vel nurum.

nurum. De Irene, quæ Siculo primùm Regi, tum Philippo Sueuo Friderici filio vxor data est, haud agitur; ea enim Isaaco Imperatore nata est, qui viuo Manuele vix erat in pretio.

8. Præter hexamitum de quo suprà: aliud longè pretiosius ab eodem Manuele Wiboldus Abbas accepit donum; tabulam videlicet aræ principi Stabulani Templi, partim ex aureis, partim ex argenteis laminis compactam: quæ præter sacras Cælitum effigies; ipsius etiam Imperatoris imaginem cælatam ostentant. Tabula aurea Stabuleti.

8. *Ad binas columnas.* Non procul à portu eum fuisse locum ait Nicetas. Byzantij autem fuerit necesse est: iuxta eas fortassis columnas, ad quas appulsus fuit Andronicus. Alias verò binas itidem propter Galatam fuisse memorat Nicetas è regione Constantinopolis. Et alias rursum ex marmore Thebæo, quas postea Hairadini Bassæ, seu Hariadeni Barbarossæ sepulcro appositas esse, in eo loco quod olim Iasonium dicebatur, non longè à Galatâ referunt Gillius, Leunclauius, & Bellonius. Vnde hodieque Diplocion, vel Diplocionion Græcis, Besitas Turcis dicitur. §. 6. Ad binas columnas. *Gill Bosp. Leuncl. Pand. Bellon. sing.*

9. *Iuniorem Alexium.* Hunc Villehard. vocat: *Le varlet de Constantinople*: hoc est puerum, siue vt Hispani modò Infantem Constantinopolitanum: antonomasticus pro hærede ac Principe. Nunc *varlet* vel *valet* passim pro famulo, vti puer, & παῖς apud antiquos vsurpatur. Verumtamen apud Leodienses *Valet*, & apud cæteros Gallo-Belgas, siue Wallones *Valeton* idem sonat ac puer. Ea porrò erat auorum nostrorum simplicitas, vt tanti Imperij hæres eo nomine vocaretur. Guillelmum Hollandię Comitem, & Regem Romanorum electum, quòd eques creatus nondum esset, Hollandiæ domicellum vocat Beca; quo nomine itidem Galliæ regni hæredes, quos Delphinos hodie vocant, dici debere ait Marculfus in formulis. Græci autem Δεσπότην, Logotheta Δεσποτικὸν παῖδα (quem non rectè Regiæ stirpis puerum vertit Douza) Latini Principem §. 9. Iunior Alexius Varlet. *Form. 52. tit Qualiter exordinatione Regis.*

Hhhh iuuentutis

iuuentutis dicerent, vt est in Tacito: vel Augustum iuuenem, vt in Ammiano.

Logotheta emendatur.

10. *Innocentium quoque Pont.* Georgium Logothetam Acropolitem interpretatus est, & edidit vir sanguine, & eruditione nobilis Theodorus Douza, eo nomine de litteris bene meritus. Nã & si posterioris æui scriptores Græci, vt Nicetas, Zonaras, Logotheta, Gregoras, Franza, Laonicus, Cantacuzenus, & alij id genus nec Grammaticę, nec Historiæ leges accuratè seruant (vnde à Casaubono alicubi Historiæ dehonestamenta appellantur:) habent tamen quæ ad rerum præteritarũ cognitionem nos ducant plurima, magno sanè Historicis bono. Porrò eos qui sunt interpretati, non tam Græcæ linguæ, quàm Historiæ inscitia, aut mortalitatis vitium (sumus enim quisque vt aiebat ille: φιλαμαρτήμονος φύσεως μοῖρα) in errores varios induxit; quorum aliquos, prout se offeret occasio, sparsim emendare conabor. Sub initium libri sui sic habet Logotheta, quem Prætorem Græciæ vocat Leunclauius: *Alexius ad Innocentij pedes procidit:* ἐπεὶ δὲ ὥρισεν ὁ μακαριώτατος, τὰ τότε πλήθη πολλὰ, καὶ διάφορα συνέβη εἰς ἓν συναχθῆναι. vertit Interpres *Vbi id resciuit Sanctissimus Pater, opportunè accidit: vt eodem tempore diuersarum gentium multitudo congregaretur.* Nec ὁρίζω scire significat: nec si significet hîc quadraret. Arbitror igitur hic pro conglutinare, & coagmentare: quemodo apud Aristotelem aliquando legitur vsurpari; scilicet Papæ iussu, & auctoritate, eam esse initam Societatem innuit. Nota verò etiam à Schismatico μακαριώτατον, & mox etiam μέγαν πατέρα Romanum vocari Pontificem.

IN CAP. IX.

§. 1. Infidelitatis genera.

1. MAiori. S. Th. 2. 2. q. 10. ar. 6. quærit vtrum infidelium gentilium sit cæteris error grauior; respondetque, *si comparentur quoad latitudinem errorum, grauissimum esse paganismum: si quoad auersionem voluntariam, hæresim esse grauissimam.*

2. Du-

2. *Ducenta.* Trecenta marcarum millia ab Alexio oblata esse, refert Guntherus.

3. *Naues piscatoriæ.* Infinitam in Bosporo,& Sinu ceratino maximè, piscium multitudinem passim antiqui æquè, ac recentiores reperiri testantur; quos non piscatores modò, sed & ipsæ fæminæ, & pueri calathis ex fenestrâ demissis, hamisque ab escâ etiam nudis sine labore vllo aut industriâ ex aquis extrahunt. Piscatores hodie piscatus sui mediam partem, Pelamidas insuper omnes ex Ponto descendentes Turcorum Tyranno offerre coguntur. Vide de his Gillium de Bosporo. §. 2. Piscatores in Bosporo.

4. *Enguerranus de Boues.* His pater fuit Robertus, auus Thomas de Coucy & de Boues, Comes Ambianensis. De quibus Quercetanus in Guisnensi familiâ. §. 4. Boues.

IN CAP. X.

1. *Corcyram.* Hanc insulam in VIII Themate Occidentali, siue Europæo collocat Constantinus Porphyrogenneta. Corcyra Phæacum ciuitas Poëtis celebris. Dionys. περιήγ. v. 494. §. 1. Corcyra.

Καὶ λιπαρὰ Κόρκυρα φίλον πέδον Ἀλκινόοιο.

Vbi Eustathius monet in antiquis codd. ἀμφιβόλως ἔχειν τὴν τῆς νήσου ταύτης γραφήν. Cercyram, scilicet dici vel Corcyram.

2. *Acconem, seu Ptolemaïda.* In exemplari legebatur *Accaronem.* Ita vtramque passim vrbem, simul & Ascalonem confundunt Galli scriptores: vbi Accon dici debuit. Nam Accaron, & Ascalon longiùs à Ptolemaïde positas diuidit Torrens Botri. Accaron.

3. *Dyrrhachium.* Nonum Thema apud Constant. Porp. constituit; olim Epidamnus dicebatur. Stephanum, περὶ πόλεων, ita corrigit Fed. Morellus, vt pro πόλις ἑλληνικὴ substituat ἰλλυρικὴ. Apud eundem Steph. Dysrachium etiam legitur. διὰ τὴν τόπου τραχύτητα, δυσράχιον γάρ ἐστι (inquit Eustathius) ὅ ἐστι δυσέξοχον. Qui etiam Epiri nouæ vocat Metropolim. Dyrrhachium.

§. 2. Villeharduynius emendatus.

4. *Clarembaldus.* In veteri Gallico corruptè: *Clarischau ses niers.* Peiùs Vigenerius *Clarischau de Mez.* Hic aliquis Metensem quempiam suspicetur. Legendum *Clarembau ses niers* .i. *Clarembaldus eius* (scilicet Guidonis de Cappes) *nepos*; quod ex antedictis constat. *Odo de Chamlite* frater Guillelmi, & Odonis alterius filius fuit, Hugonis Trecensium Comitis nepos: cuius Hugonis vxor fuit Elizabetha Burgunda, Domina Chamliti, vel Champliti, in Burgundiâ.

D'Aunoit.

5. *Guillelmus d'Aunoit.* Fortè pater Vilani Erardi d'Aunoy; quem in litteris datis CIↃCCXLVIII Guillelmus Villeharduynus Achaiæ Princeps vocat cognatum suum, & Imperij Romaniæ, siue Græciæ Marescallum. Est porrò Aulnoy siue Alnetum vicus, primo Valentianis lapide.

§. 4. Cyclades Euboea.

6. *Cycladum Insulas præteruecta in Eubœam.* De Cycladibus dicemus alibi opportuniùs. In V Themate Occidentis, sub Helladis titulo Eubœa cum Cycladibus comprehendebatur; inquit Const. Porph. quam nonnulli, ait, Chalcin, vel Chalcida nominant. At Chalcidis nomen ab vrbe eius primariâ toti Insulæ datum esse ait Marcianus, à Morello editus pag. 46. à Pandoro Eresichtei filio ædificatâ. Negropontus hodie nostris, Turcis Egripos dicitur: eiusque vrbs, regionis caput, idem nomen obtinet; & hæc ponte, cui castellum adiunctum est, cum Achaiæ continente cohæret.

De brachio S. Georgij dissertatiuncula.

7. *Hellespontum, quod mare nunc S. Georgij. Anian siue Aniæ os.* Nihil crebriùs occurrit in medij æui scriptoribus, quàm Brachium S. Georgij: de quo tamen non parua est inter recentiores controuersia: num id pro Hellesponto, an certè pro Bosporo illi vsurpent. Ioannes Leunclauius in Pandectis Turc. c. 128. hæc ait: *Nostri Bosporum etiam S. Georgij Brachium nominarunt, velut angustum maris meatum (sinus enim, & freti angustias Brachia maris dicimus) propter Monasterium, & ædem D. Georgij Manganorum dictam, Propontidi se miscentis. Id propterea notandum,*

quia

quia complures in hoc alucinantur: dum S. Georgij brachium ad Sestum & Abydum collocant: vt Volaterranus, quem citat Ortelius in voce, Hellespontus; vt Geufræus, vt Thomas Porcacchius, & alij. Saltim rectiùs hoc vel ex hisce Vincentij Beluacensis verbis didicissent: Hoc est mare magnum (id est *Pontus Euxinus, nunc etiam Italis Mare maius) de quo brachium S. Georgij exit (id est Bosporus) quod in Constantinopolim vadit. Ergo S. Georgij brachium est supra Constantinopolim: ad cuius Orientalem angulum subter ipsam Sultanorum arcem in Propontidem Bosporus illabitur.* Hæc ille; & verò appositè. Verumtamen cùm ex hoc, tum ex alio Auctoris nostri loco planum est tam Hellespontum, quàm Bosporum non alio quam brachij S. Georgij nomine ab eo appellari. Verba eius sunt: *Les autres nez furent entrés en Boque d'Aine. Et ce est là où li bras S. George chiet en la grand Mer. Et coururent contremont le bras, tresque* (id est vsque) *à vne cité, qu'on appelle Aine, qui si est sor le bras S. George deuers la Turquie.* Hoc est. *Cætera naues in Anij ostium ingressa sunt. Hic verò S. Georgij Brachium in Mare magnum influit. Nostri autem populabundi discursarunt secundùm Brachium, vsque ad ciuitatem, quam Aniam dicunt, sitam ad Brachium versus Turciam.* Vbi indagandum qui sit Ania, & Boque, siue os Aniæ. Nec succurrit aliud, præter Anico, quam ad Hellesponti fauces statuit Ortelius. Disertè Montanerius apud Moncadam ait eam sitam in ipso promontorio, quod ad illas fauces est, è regione Callipolis. Æneiam vrbem, & Ænium fluuium in Troade collocat Strabo l. 13. at diuersa est ab hâc nostrâ; quandoquidem illam ait duntaxat à Palæscepsi distare 2 stadia, Palæscepsin verò ab Æsepo amne xxx, ad celsissimam Idæ montis partem sitam. Vnde Palæscepsis malè à Sophiano in ipsis faucibus Adramytteni sinus ponitur: quæ multò superiùs versus Propontidem, in quam Æsepus fluit, statuenda erat. Bucceania, siue Boque d'Ania, inquit Comes S. Pauli, centum leucis distat Constantinopoli. Existimo Gallicè scriptam ab eo Comite Epistolam, & in eâ centum millia, non

leucas numerasse. Tot enim ab eo Hellesponti ostio ad vrbem vsque Regiam intercedunt. Hinc porrò etiam statuitur Mare magnum, non tantùm de Ponto Euxino, verùm etiam de Ægeo mari dici: inter quæ duo Bosporus, Propontis, & Hellespontus minora multò maria intercurrunt. Hellespontum ergo S. Georgij Brachium vocat Villeharduynius: mox tamen tum Chalcedonem, tum Scutarium ad S. Georgij Brachium constituit. Ex quo proculdubio, varijsque aliorum auctorum locis eo tempore à Latinis, seu non Græcis Brachij S. Georgij nomine dictum constat, quidquid Ponto Euxino, & Ægeo mari clauditur. Iam verò Bosporum & Propontidem Hellespontum appellari vult Tzetzes: huncque definit ab ipsis Abydi angustijs, vsque ad eum Byzantij pontem, qui Blachernensis dicitur. Si id verum esset, quo modo Hellespontus, sic S. Georgij Brachium Propontis & Bosporus dici potuere; at contra Tzetzen fere omnes sentiunt. Quæ porrò à me dicta sunt mirè congruunt cum Will. Tyrio qui l. 20. n. 24. hæc ait: *Dominus Rex* (*Amalricus*) *prosperâ vsus nauigatione fauces Abydenas, & ostium Bospori, quod vulgari appellatione Brachium S. Georgij dicitur, feliciter ingressus est*. Et infrà. *Vsque Calliopolim peruenit: quæ est ciuitas in littore Bospori sita, à faucibus non multùm distans Abydenis*. Quid clarius? Vitriacus: *Hellespontus, qui hodie brachium S. Georgij dicitur, Nicæam venit*. Et Sanutus. *Blacherna iuxta Brachium S. Georgij*, & infrà. *Per Brachium S. Georgij in Bithyniam transeunt*. Comes verò S. Pauli sic in Epistolâ suâ loquitur. *Dehinc* (scilicet Corcyrâ) *ad portum Bucceania octauo die applicantes: ab eo loco C. Leucæ Constantinopolim per strictum mare, & velociter currens transitur. Inde per illud fretum* (scilicet Hellespontum) *nauigantes transiuimus Brachium S. Georgij* (nimirum Propontidem) *& portum cepimus ad terram firmam* (in Bosporo) *versus Iconium. Qui portus distat à Constantinopoli vnâ leucâ*. Vbi vides quemadmodum vterque, Paulinus videlicet Comes, & Villeharduynius, Europæam Thraciam ab Asiaticâ Anatoliâ,

tolià distinguant. Ille enim versus Turciam, hic versus Iconium eam regionem definit: non quòd in Asiaticâ illâ orâ Turcia, vel Turcomania sit, aut Iconium: sed quoniam parum omnino, aut nihil Cosmographię periti erant huiusmodi Historici, Asiam Minorem Turciam nominant, quòd à Turcis plurimùm teneretur; Iconium autem memorant, tam primâ in Palæstinam Godefridi Bullonij, quàm postremâ Ænobarbi expeditione nobile, Barbaricæ quasi ditionis caput.

8. *S. Stephani.* Vrbem S. Stephani collocat Ortelius supra sinum Ceratinum, Phileam inter, & Constantinopolim. Sed hic noster S. Stephani locus in ipsâ Propontide fuit: nec vrbs, sed Monasterium modò ab Auctore nostro appellatur. S. Stephani.

IN CAP. XI.

1. O*Buersam Orienti Peræam.* Quam vrbem hîc optimè nominat Nicetas, cæteri passim Peram dicunt. Hæc etiam alio nomine Galata vocatur. Estque è regione Constantinopolis trans Sinum, quem Ceras, siue Cornu, & Ceratinum, siue cornutum veteres etiam dixerunt: quòd instar cornu ceruini (inquit Strabo) sparsis quasi ramis quibusdam littus vtrumque amplectatur. Veluti ergo Iosephus Iudæam Trans-Iordanam, & Trans-Euphratæam regionem Strabo: sic Nicetas vrbis Byzantinæ partem trans-marinam, Peræam vocat. Partem vrbis consultò dixi, quam talem fuisse declarat antiqua descriptio regionum: ex quâ hæc citat Gillius: *Nouæ Romæ* (hoc est Constantinopolis) *tertiadecima regio est Sycena: quæ sinu maris angusto diuisa societatem vrbis nauigijs frequentibus promeretur.* Sycas autem à multitudine arborum ficuum appellatas scribit Dionysius Byzantius. Galatam autem à lacte, quòd illic in copiâ olim venderetur, dictam putant Constantinopolitani. At rectiùs Ioannes Tzetzes tradit Brennum Gallorum Ducem, quos Galatas Græci appel- §. 2. Pera, seu Galata.

lant,

lant, illinc Byzantium traiecisse: vnde & à traiectione Peras, & à Gallis Galatam esse nuncupatam. Galatas hodie masculino genere Græcis effertur: vt & Logothetæ, qui φρούριον siue castellum vocat.

§. 3. Megadux.

2. *Megaducem.* ὁ μέγας Δοὺξ, vel δῦκας, δουκάδος: aliquando etiam ὁι δῦκαι τῷ δῦκα &c. Tyrius l. 20. c. 14. Megalducas appellat.

Scutarium. Chalcedon. Damalis.

Leuncl. Gillius. Turco-Gr.

3. *Scutarium, Damatrym, Chalcedonem.* In Asiatico littore Byzantinis obuerso tria hæc loca sita sunt. Et Chalcedon quidem antiquitate, & imperio, alijsque nominibus clara ciuitas. Eius rudera, inquit Leunclauius in Pand. Turc. decem milliaribus ab angulo Sultanini, versus Astacenum sinum, ad promontorium Damalicum iuxta portum Eutropij iacent. Itidem in eo Damalico Promontorio hodieque Templi S. Euphemiæ, Concilio Chalcedonensi nobilis, rudera supersunt. Metropolitam iam habet sine Episcopis, Ecclesias autem sub eo LX. quarum aliquæ vix XXX, inquit Turcogræcus, numerant capita. Scutarium verò angulo Sultanini Saraij obijcitur, ab eo milliari Græco circiter disiunctum. In Itinerario Antonini legitur; *A Constantinopoli vsque ad Antiochiam M. P.* ƆƆCCXXVI *Chalcedonia traiectus in Bithyniâ M. P.* IIII.

Scutarium antiquorum esse Chrysopolim constans opinio est. De quâ Stephanus vetus vrbium scriptor: *Chrysopolis* (inquit) *in Bithyniâ prope Chalcedonem Anaplum nauiganti in dextrâ;* in penitiore scilicet Bosporo, quàm sit Byzantium, & Chalcedon. Et bene Gillius de Bosp. l. 1. Vbi Codices Xenophontis habent Chrysopolim extra Ponti ostium sitã, pro ἔξω τοῦ στόματος .i. extra: legit ἔσω, vel εἴσω τοῦ στόματος .i. intra A Persarum auro illic congesto Chrysopolim dictam putant. Scutarium verò nunc appellari, dubitat Gillius de Bosp. l. 3. à Francisne Byzantij Imperantibus, Chryson appellantibus Scutum: (*vn escu d'or*) an potiùs à statione militum Scutariorum. Primum sanè dici nequit, cùm id nominis prætulisse, antequam eò Galli appellerent, refert Villeharduynius.

Damatrium

Damatrym alibi ſemper Nicetas, cæterique omnes Damalim, hoc eſt iuuencam vocant: eſtque locus Chalcedonem inter, & Scutarium. Promontorium Scutaricum eſſe arbitratur Gillius; Leunclauius verò ſcopulum putat: qui paululum ſupra mare eminens, circiter centum paſſus à Promontorio Damalico diſtat. Hic ſiue ſcopulus, ſiue inſula tota occupatur ab arce machinis bellicis munitâ, ad arcendas naues hoſtiles, ſi quæ penitiùs in Boſporum ex Propontide erumpere conarentur. Vtrumque nomen & Promontorio, & ſcopulo dari poſſe ex his duobus Nicetæ locis planum erit. Hic enim Manuel. l. VII. *Ab hoc Imperatore*, inquit, *turris illa* (πύργος) *non procul à continente in mari extructa eſt, quæ Damalis pridem: nunc* Ἄρκλα *dicitur*; fortaſſis Arcula, ſeu parua arx. Et infrà. *Imperator in palatio ad Damalim, quod Scutarium dicitur, verſabatur*. Hæc ille. Damalis verò nomen non ab Inachiâ boue, quæ Boſporo dedit, ſed à Charetis Athenienſium Ducis vxore traxiſſe tradit Epigramma incerti auctoris l. III. Antholog. epigr. IV tit. XII. εἰς γυναῖκας ſub hac epigraphe. εἰς τὴν πέραν Κωνςαντίνου πόλεως δάμαλιν. *In erectam trans Conſtantinopolim iuuencam.* Marmoream ſcilicet vt ait Conſtant. Porph. in Thematt. Incipit autem epigramma. Ἰναχίης βοὸς οὐκ εἰμὶ τύπος.

4. *Conon Aduocatus.* Aliquando Atrebatenſes Aduocati ij dicebantur. Erant autem S. Vedaſti Atrebatenſis Aduocati, Bethuniæ Domini, quæ duo ita iungebantur, vt Bethuniæ Aduocati dicerentur. §. 4. Bethuniæ aduocatus.

IN CAP. XII.

1. B*Arbyſe & Cydari.* Flumen, inquit Dionyſius, Cydaris venit ab occaſu æſtiuo: Barbyſes verò à Borea vento. Io iuxta Poëtarum fabulas Iouis arte in vaccam conuerſa, hic filiam cornutam, nomine Ceroëſſam, peperit. Ex hac & Neptuno genitus eſt Byzas, à quo Byzantium conditum. Alludebant ſcilicet ad loci naturam: §. 1. Barbyſes, & Cydaris.

Ceroëssa sinum, cuius duo cornua, duo horum fluuiorum ostia denotat; è quibus aqua dulcis prodiens supra salsam eiusdem sinus, & freti summam aquam fertur velut altera Io; sinusque Ceratinus agnoscetur verus filius Ceroëssæ & Neptuni, id est aquæ dulcis, & salsæ; veriorque quàm Byzas deprehendetur conditor Byzantij. Ita Gillius; qui addit Barbysen dici modò Chartaricon fluuium ab officinâ ostijs fluminum propinquâ, vbi chartæ contusæ explanantur. Rustici Pectinacorion dicunt à vico ita nuncupato, illius fontibus vicino. Cydaris verò hodie Machleua appellatur.

Scalæ. 5. *Scalæ.* Quà Constantinopoli Galatam traijcitur, Scalam Sycenam ponit vetus vrbis Constantinop. descriptio, quæ libro Notitiæ vtriusque Imperij adiecta est. Et Scalam in Portolano suo Græci hodieque dicunt eum locum, quò naues appellunt, & vbi exscenditur, inquit Leunclauius in Pand. Vsus est hâc voce Cedrenus in Copronymo; quum narrat vnum glaciei fragmentum, cum impetu delatum, & impactum in Scalam Acropoleos, eam comminuisse. Dyonisius Chelas nominat, posteri Græci βάτρα. A chelis verò dictas esse scalas, sunt qui putent.

§. 3. Estanor. 6. *Estanorem.* Hoc vocabulum nusquam alibi legisse me memini. Si quid autem conijcio, non aliunde locus iste, quàm ab sinu illo Bospori Europæo, quem Stephanus Leosthenium, Dionysius Lasthenem vocat, nomen sortitus est. Quidam Byzantini hodie appellant Stenion. De hoc ita Plinius: *In Bosporo sinus Casthenes* (Lasthenem substitue) *portus senum, & alter mulierum.*

IN CAP. XIII.

§. 1. Pons. 1. *Pontem quem perforatum.* Num ille pons Philippi Regis Macedonum fuerit, in dubio est. Dionysius certè illum statuit post Aulæona, qui sinus est sub promontorium quoddam; quod à Septentrione clauditur

Valle

Valle Barbysæ: à Meridie verò hoc sinu. Ponte autem illo Sinus cornu traijciebatur. Ante trecentos annos hîc, vel in propinquo fontem fuisse ex Tzetze comperitur. Eum verò de quo agimus, cum Ponte paruo Parisiensi confert Comes Paulinus; atque is est qui Sequanæ amnis partem, quà ab Insulâ discernitur, angustiorem iungit.

2. *Coffretius.* Mirùm quàm nostri Galli Græcorum, & hi vicissim nostrorum nomina corrumpere soleant. Pro Cofretio fortasse Nicephorus substituendus. Theodorum Lascarim *Toldre li Ascre* vocat Villeharduynius. Leonem Scurum idem auctor modò *Lasgard*, nunc *Largur* nominat. §. 4. Nomina Græca corrupta.

3. *Marescallum Campaniæ.* Comitis Paulini Epistola sic habet: *Matthæus Montmorencius, & Mareschalus Campanico de Santo Tyrone.* Vbi sine dubio legendum: *Marescallus Campanicus, cum Ogero de S. Cherone.* §. 5. Villeh. emendatus.

IN CAP. XIV.

1. D*Ebeltus.* Zagora Thraciæ priùs appellabatur Debeltus: vt est apud Cedrenum, & Zonaram. Debelti Episcopatum Leo Sapiens Imp. in Nouellâ de Thronis, metropoli Hadrianopolitanæ montis Hæmi subijcit. In historiâ Simeonis magistri officiorum manuscriptâ (inquit Leunclauius) legitur Iustinianum Rhinotmetum, Imperio restitutum operâ Terbelis Bulgarorum Principis: regionem, quæ postea Zagoria dicta fuerit, possidendam ei concessisse. Milliario sexagesimo ab Hadrianopoli distat Zagora; & vtrumque sub Præfecturâ Thraciæ, quam Hæmi montis dicebant, collocat Constantinus Them. l. 2. vbi malè ἐπαρχία Κμιμόντυ, & Latinè Mimanti legitur, pro Hæmi montis. §. 3. Debeltus, Zagora.

2. *Sacram anchoram.* Ita verti debuit hic locus: quippe sic habent Græca. εὑρὼν καὶ τοὺς μὲν γένει προσήκοντας Ἀλεξίῳ, καὶ τοὺς ἄλλως ἐπιτηδείως ἔχοντας ἐκείνῳ, καὶ τὴν ἄνασσαν εὐφροσύνην, προδότου δόξαν λαβόντας, οὓς προσεκαλέσατο εἰς τὴν ἀρχήν, διὰ δὲ τὸ ἄμαχον τῆς τῶν πραγμάτων φυγρίας προσβο- §. 4. Nicetæ versio emendata.

λῆς, εἰς αὐλὸν ἀφορῶσιν Ἰσαάκιον τὸν Ἀλεξίου κασίγνητον, ὃς εἰς τὴν καλουμένην ἱερὰν ἄγκυραν τελευταῖον. οἱ τοῖς ἀκαλαχορεύσοις περισοιχιζόμενοι κύμασιν, ἔνδον τῶν ἀρχείων εἰργνύμενον. Sic verò vertit interpres: Igitur Alexij cognatis & familiaribus, & Imperatrice Euphrosyne, vt proditoribus contemptis: ob grauissimorum periculorum procellas, intra palatium, tanquam in carcere inclusi, Isaacum intuentur &c. Vbi nemo non videt ab Nicetæ mente longiùs interpretem abijsse; nec enim inclusos voluit ille Byzantinos: sed ipsum Isaacum, quem in palatio quodam arctè asseruatum esse antè dixerat.

IN LIB. III. CAP. I.

§. 3. Vigenerius emendatus.

1. *Ipsis Cal. Augusti*. In Villeh. habetur: *Le iour S. Iean Baptist. entrant Aug.* hoc est ineunte Augusto: quod malè Vigenerius vertit sub Iunium exeuntem.

IN CAP. II.

§. 4. Saracenorum Constantinopoli Synagoga.

1. *Synagogam Saracenorum*. In Græco est: τὴν ἐξ Ἀγαρ. & paulò post Σαρακηνῶν. Et nisi tam clarè Saracenos poneret Nicetas, Iudæos reponerem. Namque ex Cedreno disco in Chalcopratijs, non longè à S. Sophiæ æde Iudæos habuisse Synagogam. Hodie Iudæi, quos Siphont, hoc est canes appellant Turci, iuxta portam Neorij, seu Oreiani incolunt: qui situs huic Saracenorum Synagogæ non malè congruit. Verùm hoc dubium mihi exemit locus Constantini Porph. De administrando Imperio c. XXI. οὗ λιγῳ (scilicet Masalmæ Mabiæ nepotis, Mahometani) καὶ δι' αἰτήσεως ἐκτίσθη τὸ τῶν Σαρακηνῶν Μαγίσδιον ἐν τῷ βασιλικῷ πραιτωρίῳ. *Precibus autem Masalmæ, ædificata est Mosquea in Regio Prætorio.* Quod vbi sit ignoro. Porrò melius μασγίδιον quàm μαγίσδιον. Ecce quò Græcorum processerat impietas, vt tam fœda sacra intra muros vrbis Regiæ admitterent.

Cæterùm

Cæterùm eiusmodi incendijs sæpius deformata est Constantinopolis. Sub Leone anno circiter CCCCXL à mari ad mare, à meridie ad Septentrionem secundùm Bosporum conflagrauit; fædiùs iterum sub Basilisco X aut XII post annis, vnaque Bibliotheca plus CXX librorum millia continens exusta. Iterum Iustiniani Imp. anno V. quo incendio Sophiæ templum non exiguam labem passum est.

2. *Milij fornicem.* Puto mutilatum esse vocabulum, pro milliario, de quo infrà dicemus l. V. c. I. §. III.

3. *Irenes.* Procopio teste inter D. Irenes ædem, & S. Sophiæ Samsonis Xenodochium olim videbatur.

IN CAP. III.

§. 2. Statuæ Constantinopoli.

1. *Aprum Calydonium ex Hippodromo.* Hippodromum à Seuero Zonaras, alijque recentiores: à Constantino Zozimus ædificatum, omnique cultu ornatum tradit. Nam in eo variæ tum columnæ, tum statuæ visebantur operis omnes admirabilis. Hinc asportatos credunt, inquit Gillius, quatuor illos equos inauratos, mirâ arte elaboratos, quales hodie extant suprà vestibulum ædis D. Marci Venetijs.

Topog. Const.

Forum Constantini.

2. *Foro Constantini.* Hoc forum idem esse, aliqui arbitrantur, quod Placotum alij vocant: nunc ab Italis *Piazza columna* dicitur à columnâ Porphyreticâ, quæ olim Apollinem gestabat; postea Constantini statuam prætulit. Quæ statua quidem diruta est, columnæ autem pars potior superest. Zonaras porrò tradit ab eodem Constantino Mineruæ Palladium Troiâ in hoc forum esse translatum. Num hæc fuerit, de quâ agimus, dubium est.

§. 3. Murtzuphlus.

3: *Murtzuphlum.* Ita Nicetas in Isaaco, & Alexio. μόνος δ' ἐκ πάντων ὁ Δούκας Ἀλέξιος, ὃς ἐκ τοῦ συνεσπάσθαι τὰς ὀφρῦς, καὶ οἷον τοῖς ὀφθαλμοῖς ἐπικρεμᾶσθαι, πρὸς τῶν συνεφήβων ἐπωνόμαστο Μούρτζουφλος. Fortè (inquit Douza) μούρτυφλος. Guntherus lepidè interpretatur *flos cordis.* Alij

Myrtilum, Morculphum, aut Morcuphlum nominant.

§. 4. Nicetæ calumnia.

4. *Auaram gentem.* Ita sæpe Latinos indigetat Nicetas, aliàs etiam καταρωτάτυς, hoc est execrabiles, ἐρασιχρηματώτερον, τρεχεδειπνότερόν τε, καὶ δαπανηρότερον γένος. Id est: *gentem pecuniæ auidißimam, ad cænas & conuiuia effusißimam.* &c. Nimirum intemperantiæ Latinos insimulant ebriosissimi Græci; qui dum se vino ingurgitant, pergræcantur; hoc est, mores suos & instituta maiorum seruant.

IN CAP. IV.

§. 1. Græcorum annos incundi mos.

1. A*Gebatur dies.* De Latinorum epochâ, seu annum inchoandi modo diximus superiùs. Qui Græci eâ in re se gesserint, haud paulò obscurius est. Genebrardus in Chronico illos quidē in sacris à Septembri, quo conditum hunc orbem existimabāt: in prophanis à Martio auspicari annum suum tradit. Vt dem priores ita fecisse historicos, posteriores profectò adeo parum exactè tempora dispescunt: vt vix quidquam certi in ijs sit deprehendere. Si quid tamen conijcio, Cantacuzenus à Martio, ceteri plurimùm à Septembri annum ordiuntur. Nicephorus Gregoras l. VIII vbi de Paschatis correctione agit, si Wolfij versionem consulas disertè asserit à Martio Græcos epocham sumere, ita enim ait: *Dies erat illis* XIV *Mensis Nissan: quem (Iudæi) Martij nostri loco primum anni mensem numerant. Neque enim, vt nos, neque ab vno eodemque die menses & annos Persæ, Alexandrini, Ægyptij, Iudæi auspicantur: sed singuli aliter; Alexandrini* III *Cal. Septemb. annum suum auspicantur. Ægyptij nunc ab eodem, nunc ab alio, & subinde aliter. Persæ, Medi, Indi, neque cum his, neque inter se consentiunt. Iudæi verò nunc ab hoc Martij die more nostro, nunc ab alio in suo Nissan auspicantur.* Ita quidem Interpres. Græca verò paulò secus habent. Ἥτις κατ' ἐκείνυς ἦν τεσσαρακαιδεκάτη τῦ νισσὰν, ὃς ἀντὶ τῦ καθ' ἡμᾶς μαρτίυ πρῶτος αὐτοῖς ἐν τοῖς μησὶ τῦ ἐνιαυτῦ ἀριθμεῖται. Id est

Wolfius emendatus.

meo

meo Mensu: *Qui dies erat iuxta illos* XIV *Nissan, qui respondens nostro Martio primus ipsis est mensium anni.* Et infrà. καὶ ἰουδαῖοι δὲ ποτὲ μὲν τήνδε τοῦ καθ' ἡμᾶς μαρτίου, ποτὲ δ' ἑτέραν ἡμέραν, καὶ ἄλλοτ' ἄλλην ἀεὶ, ἀρχὴν τοῦ παρ' αὐτοῖς ποιοῦνται νισάν. Quod sic verti poterat. *Et Iudæi quidem modò hanc eius mensis, qui nobis est Martius, modò aliam diem, & aliquando aliud consueruntt initium sumere sui mensis Nissan.* Vbi vtrobique non initium anni Iudaïci, cum Græci initio confert: sed Martium cum Nissan: quem ipsi, non vt Christiani stato die; sed modò hoc, modò illo inchoent, & simul annum auspicentur.

2. *Logothetam.* Ita habet Nicetæ historiarum titulus. Νικήτου Ἀκωμινάτου χωνιάτου, τοῦ μεγάλου λογοθέτου τῶν σεκρέτων, καὶ ἐπὶ τῶν κρίσεων γενικοῦ γεγονότος δὲ καὶ ἐφόρου, καὶ κριτοῦ τοῦ βήλου, καὶ προκαθημένου τοῦ κοιτῶνος ἱστορία. *Nicetæ Acominati Choniatæ, Magni Logothetæ secretorum, & Iudicijs ærarij Publici Præfecti, & inspectoris, & Iudicis veli, & Præfecti cubiculi Historia.* Nicetas Vincentium, vel victorem sonat. Acominatus gentilitium, Choniates patrium nomen à Chonis Phrygiæ vrbe. Logothetæ officium duplex fuit, Ecclesiasticum, & Palatinum, vt ex Codino Curopalata discimus. Et is quidem l. *De officijs Palatij Constantinop.* in 2° *Quinario Ecclesiasticorum officiorum: Logotheta*, inquit, *præest discutiendis, & conscribendis rationibus: tam quas reddunt, qui ex plebe: quàm qui ex ordine Ecclesiastico principali.* Nicetas ipse l. 7. de rebus Manuel. ait Latinis esse Cancellarium; quod sanè de Logothetâ secretorum intelligendum. Erant quippe longè alij Logothetæ τῶν ἀγελῶν, pecuariæ, τοῦ δρόμου cursus &c. qui quidem Cancellarijs minimè respondebant. Cancellarij porrò nomen à cancellis dicitur, vt ipsum nomen satis indicat. Erat moris (inquit Casaubonus in Flau. Vopiscum) vt Principum & Magistratuum secreta (ita vocarunt loca, vbi de negotijs pro ratione muneris quisque sui tractaturi conueniebant) in aditu primò vela, & deinde cancellos haberent. Græci hos vocant κιγκλίδας, δρυφάκτους; vt & Cassiodorus fenestratas.

Nicetæ tituli explicati Logotheta.

Cancellarius

fenestratas ianuas. Qui vela seruabant Velarij dicti: qui Cancellos Cancellarij. Extat edictum (in Sigonio l. IV Occid. Imp.) Constantini magni datum Constantinopoli: *Non sit venale Iudicis velum.* Cancellarij vox non admodum antiqua; nec multò antè Vopisci tempora cœpta vsurpari. Cancellariorum præcipuum munus erat, vt ad cancellos hærerent, admissiones curarent, & ne quid tumultus, vt fieri amat, in turbâ audiretur, prospicerent. Hæc origo nominis, quod successu temporis amplissimæ dignitatis indicium esse cœpit. Vide Cuiac. in paratitiis ad lib. 1. Cod Iustin. tit. 51. Non malè etiam Logothetam Rationalem vocaueris, ad conficiendas, scribendas, & discutiendas rationes. Iacob. Cuiacius in lib. 10 Cod. tit. 30. Logothetas discussores vocat, de quibus ibi. Et Nouellâ Valentin. de Indulg. vbi discussor aliquando inspector ἔφορος, frequentiùs λογοθέτης vocatur. Infrà tamen Codinus c. 5. num. 18 Logothetæ esse, ait, curare Imperatoris mandata, & litteras ad Reges, Sultanos, & Toparchas: quod Cancellario nostro apprime congruit. Consule Gretzerum nostrum in Notis ad Codinum, & Lexicon Græco-Barbarum.

Genici. *Præfectus veli*, ex supradictis, quid sit, satis patet. At ἐπὶ τῶ χρίςων γενικῶ interpretari Wolfius non est ausus. Sciendum ergo Constantinopoli æraria fuisse quatuor: primum βεςιάριον, siue Imperatorium, ςρατιωτικὸν, militare, γενικὸν, publicum; ἰδικὸν, priuatum dicebatur. Codin. de Originibus Constantinop. agens de Constantino Magno: ἀνήγειρε δὲ καὶ τὴν μαγνάυραν, καὶ τὴν τοῦ κυρίου ἐκκλησίαν, καὶ τὸ γενικὸν, καὶ τὸ ἰδικὸν, καὶ τὸ βεςιάριον. Præerat verò & ςρατιωτικῷ, & γενικῷ Logothetes. Quod officium, quoniam iam desierat, ἡ τοῦ γενικοῦ λογοθέτου (inquit Codinus) ὑπηρεσία οὐ γινώσκεται. *Officium, seu ministerium eius, quale fuerit, nescitur.*

§. 2. Protouestiarius. 3. *Protouestiario.* Primus is erat Præfectus Vestiarij, de quo hæc habet Codinus. c. 6. n. 31. *Ascendentem Imperatorem in Oratorium comitatur. Et quando stemma, seu diadema Imperator gestaturus est, ei Protouestiarius offert.* Habet

bet & hoc proprium, & eximium: vt si in veste vel pileo Imperatoris aliquod animalculum viderit: vel lutum, vel quid simile, deposito capitis sui tegumento, extentâ manu illud tollat. Quod huic soli concessum est; cæteris proceribus, eius faciendi potestate denegatâ. Immane profectò priuilegium! Cap. 2. Idem ait, Michaëlem Palæologum Imperatorem, huiusmodi officium, quòd Michaeli Tarcagniotæ sororis suæ filio contulerat; omnibus reliquis, Magno idem Domestico, & Panhypersebasto, excepto tantùm Cæsare, antetulisse. Andronicus postea huius nominis secundus in pristinum gradum reduxit. Malè Blondus *de gestis Venet.* Alexium hunc vocat Protonotarium.

4. *Isaacus.* Arnoldus Wion in eo libro, quem *Lignum Vitæ* nominat, Isaacum, vt excæcatus erat, in S. Mariæ Galatensis Monasterio sacrum habitum assumpsisse anno Regni IX, mense VII, IV Idus Aprileis CIↃCXCV: postea verò è carcere eductum, ob aëris repentinam mutationem obijsse Ianuario anni CIↃCCIV, ætatis anno LX, scribit. Quæ in plerisque à vero longiùs abeunt; vt ex dictis patet. Isaacus Imp.

5. *Græcorum Prouerbium.* quod refert Eginhartus: φράγκον φίλον ἔχῃς, γείτονα μὴ ἔχῃς. *Francum amicum fac habeas, vicinum nequaquam.* §. 4. Græci, Galli.

IN CAP. V.

1. QVasi si alis. Alludit ad casum illum, quo Victoriæ statuæ fulmen alas dumtaxat Romæ aliquando excussit. vnde factum est hoc epigramma relatum in I. Antholog. §. 3. Victoria sine alis.

Ῥώμη παμβασίλεια, τεὸν κλέος ὄυποτ' ὀλεῖται·
Νίκη γάρ σε φυγεῖν ἄπτερος οὐ δύναται.

Stat decus vrbs Regina tuum: victoria namque
Quâ tulit hoc, pennâ nunc caret vt fugiat.

2. *Icon Deiparæ.* Villehard. in suo idiomate: *Vne ancone*, vocat. Vigenerius *Banniere* seu vexillum vertit; sed Iconem, seu Deiparæ effigiem vexillo appictam dicere debuit. Icon Deiparæ.

buit. *Iconiam* vocat Balduinus, alius *vna Icona* more Græcorum recentiorum, qui accusatiuos pro nominatiuis vsurpant. βασιλέα τ̃ βασιλέαν. Const. Porphy. pro βασιλεὺς, βασιλέα. De hac imagine ait, vt reor idem Constantin. de administ. Imp c. 31. Posteaquam enim Solimannum Saracenicæ classis Ducem, fuisse apud Constantinopolim profligatum retulit: *Pacem habuit* inquit *Imperium nostrum, quàm longissimo tempore; militante pro nobis, & hanc vrbem tutante Dominâ nostrâ semper Virgine Mariâ* ἧς καὶ τ̃ ἄχραντον, καὶ ἁγίαν εἰκόνα, καὶ αὐτὸς ὁ Συλεημὰν ἠδέσθη, καὶ ἐν εἰρήνῃ, καὶ ἐξ ἵππου κατέπεσεν. *Cuius inuiolabilem, & sanctam imaginem, ipse etiam Soleiman, equo descendens, veneratus est.* Scilicet plus à Saracenis honoris Dei Mater, quam à bellis Christianis Reformatis refert. Noster porrò Gretzerus eam de quâ agimus putat esse, quam Græci νικοποιὸν dicebant; de quâ Zonaras, Cedrenus, Nicephorus: quam etiam Ioannes Comnenus Imp. currui suo, de Hungaris triumphans, imposuit, teste Nicetâ.

IN CAP. VI.

§. 4. Dies oppugnationis.

1. IN *ante* v. *Idus April. feriam* VI. Ita Balduinus. Nicetas IX Aprilis. Ante Passionem Domini, inquit Balduinus. Post Dominicam mediæ Quadragesimæ, ait Villeharduynius. Vide quæ dicemus i

Franci.

2. *Franci.* Etiam longè postea Hispani Catalani & Tarraconenses cum Andronico seniori bellum inferrent, sigillum suum ita composuerunt, vt imagini S. Georgij hanc inscriptionem circumposuerint: *Sigillum exercitus Francorum in Thraciâ, & Macedoniâ regnantium.* Sic refert Montanerius apud Moncadam. Nimirum arbitrati sunt plus terroris Græcis Francorum iam pridem apud eos inclytum nomen, quàm Hispanorum minùs notum allaturum esse.

Moncada expedicion de los Catalanes, c. 35.

Blachernæ, & Bucoleon.

3. *Blachernis, & Bucoleuntis palatio.* Quoniam ea sæpius

pius hoc in libro occurrunt nomina, ijs me hîc semel expediam. Blachernia fuit vna è regionibus Constantinopolitanis: in quâ & templum, & palatium, & porta eiusdem nominis. Tempore Iustiniani extra vrbem (vt patet ex Procopio) nunc prope Xyloportam (quam olim Blacherneam fuisse suspicio est) ad angulum vrbis Occidentalem, inter radices sexti collis, inquit Gillius. A quodam Barbaro in eo loco regnante nomen accepisse scribit Auctor libelli de XIV Regionibus vrbis Constant. quidquid de Arabicâ eius origine nugetur Iunius. Quis palatij auctor fuerit, ignoro. Nouum Manuelis tempore vocat Tyrius l. 20. Rabbi Beniaminus in Itinerario ab ipso Manuele ædificatum ait. Templum verò ei contiguum in littore Sinus Ceratini extruxit Leo Magnus, dedicauitque Deiparæ Virgini, aliud ab illo Pulcheriæ, de quo Nicephorus lib. 15 c. 24. Ita Gretzerus. Idem esse tenet Pontanus noster in Notis ad Hist. Mauritianam; & id Nicephorus expressè tradit l. 14. c. 2. atque eius verba affert Gretzerus: vnde non video cur statuat diuersa: quando nullo negotio dici possit ab vno exædificatum, ab alio instauratum. In eo templo vestis eiusdem Dei Matris religiosè asseruabatur, & colebatur solemniter 2. Iulij vt ex Græcorum Meneis liquet. Porrò teste Franzâ l. 2. c. 10. *Ianuarij mensis die 29 anni ab orbe condito 6942 hoc est ineunte Christiano* CIↃCCCCXXXV *noctis horâ tertiâ, pueri quidam nobiles templum in Blachernis Dei Matris nomine ædificatum, pulcherrimum, sacratissimum, & miraculis nobilitatum incendunt, quosdam pullos columbinos comprehendere laborantes.* Hæc de Blachernis: quas ὀυλαχέρνας vocat Luitprandus. Bucoleontis palatium vbi situm fuerit nondum reperi. In Alexio Comneno Manuelis filio, Bucoleontis portum nominat Nicetas. Et infra μέγιςον ἀρχεῖον *Maximum palatium* recenset, quod Villeharduynius Bucoleontis dicit ad mare positum, vnde se Murtzuphlus proripuit vrbe à Græcis captâ. Leunclauius Pand. c. 139. *Eskisaraium,* inquit, *voce significante saraium vetus in*

Luitpr. l. 3. c. 9.

vrbis meditullio situm est: sicut & olim ibidem in vrbis omphalo, vel vmbilico priscorum erat Imperatorum regia. βασιλεῖα μεγάλα Græci quondam nominabant, nunc Gynaiconitidi Sultaninæ seruit. Si per priscos Imperatores medij æui Græcos intelligit, ex supradictis refellitur; si priores vero similia dicit. Procopius quippe narrat non longè ab Augustæo foro regiam fuisse domum, siue τὰ βασιλεῖα, appellatam Chalcam. Vtrum illa fuerit dicta βασιλεῖα μεγάλα, ille viderit. Cæterùm Bucoleonta, *Bouchelion* perpetuò vocant Auctores nostri; quasi os Leonis, cùm Bouis & Leonis dicendum esset. Cuius vtriusque bestiæ statuas propter ædes illas erectas, id nominis ijs tribuisse pronum est suspicari. Sacellum habuit ea domus Cælitum reliquijs refertissimum.

§. 5. Villeh. emendatus.

4. *Rubra tentoria.* In vet. Gall. legitur: *Ses merueilles tentes.* pro *ses vermeilles tentes.* Quod Vigenerium fugit. infrà dicitur Balduinus in coccineis Murtzuphli tabernaculis pernoctasse.

§. 8. Et hic.

5. *Andreas de Iurbise.* Perperam Vigenerius *d'Vrboise*, alibi *Delboise.* Correxi ope Manuscripti Codicis mei, qui non modò Iurbise, sed & Hannonem equitem vocat.

Nauis Paradisus.

6. *Paradisum.* Ait Magnum Chronicon Belg. Constantinopolitanis ex nescio quo oraculo persuasum fuisse, non capiendam vrbem nisi ab Angelo: aitque eam nauem, quæ primam impressionem fecit, Angeli effigiem prætulisse. Ad hoc fortassis allusit Nicetas: quum Latinos à Græcis ἀγγέλους, καὶ ψυχάρπαγας, *Angelos & raptores animorum, appellatos esse ait.*

IN CAP. VII.

§. 1. Mensa S. Sophiæ.

1. S*Acram Mensam.* Iustinianum in magnifico Sophiæ templo, sacram fecisse mensam refert Cedrenus, opus inimitabile. constabat enim omni materiæ, & figuræ genere, metallo, ligno, lapide &c. vocabaturque ἓν καὶ πάντα: vt de eâ dici posset quod de naturâ canit alius:

Ars

Ars isthic posuit, quidquid vbique fuit.

2. *Drungarij ædes.* Drungarius siue Præfectus Drungi is erat, ad quem ædes pertinebat. Drungum vocabant recentiores Græci,& Latinorum nonnulli globum militum, ita Codin. de offic. δροῦγγος ποσότης τοιούτων λαῶν ἑρμηνεύεται, ἧς ἡ ἀρχὴ ὁ τούτου δρουγγάριος. Tres, aut quatuor Drungum faciebant, inquit Casaubonus in Vopisco. Leunclauius Druncarium vocat à trunco seu baculo regiminis, *baston de Colonel.* Sed minùs solidè. Hanc domum de quâ sermo est, à Drungario redemptam in Nosocomium verterat Isaacus Imp. vt tradit Nicetas lib. 3. de vitâ eius. Drungarius.

3. *Aprilis* XII. Rectè id quidem; etenim in Aprilis diem XII ea proculdubio incidit expugnatio; an verò illa dies fuerit altera post Dominicam in Ramis Palmarum, vti adnotaui, an octiduo præcesserit: meritò in dubium reuocari potest. Edita à Mireo Balduini nostri Epistola, oppugnatam ait Constantinopolim feriâ VI ante Passionem Domini: captam verò feriâ secundâ post Passionem Domini: verùm eadem Epistola ex Manu-scripto Codice antiquissimo Monasterij Rubeæ vallis desumpta, (cuius exemplar ad me olim transmisit Heribertus Rosuweidus noster p. m.) habet oppugnatam feriâ VI ante Passionem, captam feriâ secundâ in Passione; hoc est (vt pronum est conijcere) in hebdomadâ S. & suffragatur Nicetas ipse, qui (vt etiam annotauit Petauius noster in Rationali Temporum) ait captam esse vrbem sextâ verni ieiunij hebdomadâ; quæ sanè postrema est, & à Ramis Palmarum incipit. Nihilominus re attentiùs consideratâ videtur dicendum oppugnatam fuisse Constantinopolim feriâ VI ante Dominicam Passionis, expugnatam verò feriâ secundâ post eandem. Currebat enim eo anno CIↃCCIV, numerus aureus, seu cyclus Lunæ octauus, è regione quintæ diei Aprilis positus; littera Dominicalis post bissextum erat C. ergo Pasca in Lunam XXI incurrebat, & in XXV Aprilis; quare Dominica Palmarum octo diebus antè occurrebat, hoc est Lunâ XIV, die Aprilis XVIII. quinto die post Idus §. 3. Dies vrbis expugnatæ expenditur.

Idus Aprileis. Idipsum antea me docuerat Bucherius noster in accuratissimâ suâ Chronologiâ Leodiensi; quam seriùs aduerti. Logotheta sic de eâ re habet: τεσσαράκοντα δὲ ἐκ τότε παρῆλθον ἡμέραι, καὶ ἑάλω παρὰ τούτων ἡ Κωνσταντίνου πόλις ιε' ἄγοντος τοῦ Απριλλίου. τῷ γὰρ δεκάτῳ ἔτει μαΐου ὄντος τῇ πόλει προσώρμησαν, ἐν ἕνδεκα δὲ μησὶ συνέβη γένεσθαι τὴν πόρθησιν. Hæc partim corrupta, partim falsa sunt. Nec XL diebus perstitit oppugnatio: sed quatriduum. Vnde pro τεσσαράκοντα, τέσσαρες reponendum. Pro δεκάτῳ ἔτει legendum δεκάτῳ μηνί. τοῦ γὰρ Ἰουνίου ὄντος τῇ πόλει προσώρμησαν· ἐν δέκα δὲ μησὶν &c.

Chronol. Logothetæ emendata.

IN CAP. VIII.

§. 3. Barones.

1. B*Aronibus*. Plerique huiusce, de quâ scribimus, aut proximè sequentis ætatis historici hanc expeditionem Constantinopolitanam, & ipse Villcharduynius, à Baronibus Francis esse susceptam aiunt. Quidquid sit de veteri eius nominis etymo, de quo pluribus disserit Petrus Pythœus *Aduers. subs. l. 1. c.* 8. Olim pro viro illustri infra Principum supremorum dignitatem constituto solebat vsurpari. Postea ad certum ordinem, qui postremus est eorum, quos titulatos dicimus, redactus est. Ioannes Molinetus M. Sc. in historiâ Burgundicâ ad annum .CIↃCCCCLXXXIX: Albæ-Regali Barbansonij Toparcham vbi dixit creatum esse Baronem: Maximiliano Austriaco Rom. Rege, tum subdit: *Quicunque autem Baro est, Bacalaureus est quoque in armis, potestq; armorum officiarios creare, & gestat distinctum ab alijs equitibus vexillum.* Hæc ille. *Varon*, vel *Baron* Hispani strenuum, & egregium vocant: *Varonilmente*, strenuè. Apud Gallos, Belgasque potissimùm etiam maritum significat.

Albertus Patriarcha Ierosol.

2. *Bethleemiticum*. Albertus iste, teste Onufrio in Chronico fuit pronepos Petri Eremitæ; primùm custos, & Canonicus Aquisgranensis, tum Vercellensis Episcopus: deinde in Oriente Bethleemiticus, tum Ascalonita-

nus,

nus, demum Patriarcha Ierosolymitanus. Ita Gretzerus in *Horto Crucis*. Sed malè Ascalon cum Accone confunditur: nec Ierosolymis Albertus sedit, sed Accone, quò post captam Ierosolymam Patriarchalis sedes translata est. Fuit autem electus anno ipso de quo scribimus, CIↃCCIV; & Heraclio successit. Obijt autem CIↃCCXXVII. De hoc Alberto consule vitam Petri Eremitæ à nobis conscriptam.

3. *Ædem Apostolorum*. A Constantino magno ædificatam: in quâ & sepulcrum sibi condidit. Hæc hodie non extat, inquit Gillius: putat tamen fuisse in dorso quarti collis deuexo in iugum tertiæ vallis, prope officinas Ephippiorum, & sepulcrum Mahmeti Regis. Spandugìnus ait in eius ædis iam dirutæ, vel ruinam minitantis loco Moscheam à Mahometo secundo ædificatam, cum Nosocomio; attributo centum & quinquaginta millium ducatorum censu. **Ædes Apostolorum.**

4. *Fossatum*. φοσσάτον. à Latinis deductum vocabulum. Quia enim muniri fossâ consueuerunt castra, ipsa & qui in ijs exercitus fossatum posterioribus Græcis dici cœperunt. §. 5. **Fossatum.**

5. *In scuto*. Tacitus de Caninefatibus l. 20. *Impositusq; scuto more gentis, & sustinentium humeris vibratus, Dux eligitur*. De Gothis Cassiodor. l. 10. *Var. For.* Ado Vienn. de Chlotarij filijs. Corippus l. 2. de Iustino Imp. **In scuto Imp.**

Quattuor ingentem clypeis sublimibus orbem
Attollunt lecti iuuenes, manibusq; leuatus,
Ipse ministrorum, supra stetit: vt sua rectus
Littera, quæ signo stabili non flectitur vnquam,
Nominibus sacrata tribus: qui viribus æquis
Imperium rexere tuum.

Litteram iota vocat: quæ figura inter alias rectissima est. Plautus longam litteram appellat. Suam autem nuncupat, quod Iustini nomen ab eâ incipiat: sacratamque trium Imperatorum nomininibus Iustiniani primi, & secundi, & Iustini.

Porrò

Porrò supra scutum Reges & Principes eleuabantur, quo scirent se populi scutum & tutelam esse debere: *Ibi abiectus est clypeus fortium, clypeus Saul, quasi non esset vnctus oleo:* inquiebat Dauid in epicedio Saulis. Vbi Saul, recti casus est, vt innuat eum clypeum fuisse populi. Anno CIↃCCCCVII diem suum obijt Oliuerius Clissonius Galliæ Connestabilis, vulgò clypeus dictus: quòd virtute, & belli artibus regnum istud tutaretur. Ita Iuuenalis Vrsinus *L. de vitâ Caroli VI.* vbi eundem Oliuerium die S. Georgij & natum, & equestri baltheo præcinctum, demum & vitâ functum esse tradit. Vide de ritu supradicto P. Pythœi aduers. l. 2. c. 6.

2. Reg. 1.

Stemmata Imp.

6. *Pro suo arbitratu.* Ita Codinus. Non sic olim; etenim Constant. Porphyrog. de Admin. Imp. c. 12. *Hæ tales stolæ & stemmata, quæ nos camelaucia appellamus: neque ab hominibus parata, neque industriâ humanâ excogitata sunt: sed per Angelum Deus illa Constantino M. misit, iußitq; reponere in magnâ Sanctâ Dei Ecclesiâ S. Sophiæ.* Deinde ait Imp. *ijs vti in processione, & aliàs rarò: tum remittere ad Ecclesiam: vbi reponuntur. Qui perperam ijs vti præsumpserit, Deo pœnas dare solere. Quod Leoni Imp. contigit, qui vbi coronam Ecclesiæ donatam gestasset, carbunculi morbo, & febre extinctus est.* Ita etiam Glycas. Cæterùm stemma illud, seu diadema, quo Imperator coronabatur, fuit vitta gemmis exornata. Vnde sæpius apud Logothetam reperias: ταινιοῖ αὐτὸν. vel τενιᾷ δεσποτικῇ αὐτὸν ἀναδῶσι.

Barangi.

7. *Barangi.* Ab Anglis, vel Francis detortum nomen putat Gretzerus. Et certè Anglos plurimùm fuisse testatur Codinus.

Antidorum.

8. *Antidorum.* Ineptè Iunius in Codino vertit: Mutuum munus. Erat antidorum, eius panis, qui pro Eucharistiâ conficiendâ parabatur, pars desecta. Is panis ante Liturgiam per templum circumlatus, finitâ liturgiâ distribuebatur præsentibus, benedictionis gratiâ; vt qui Eucharistiæ participes non fuissent, saltem de hoc benedicto panè participarent.

IN

IN LIB. IV. CAP. I.

1. BEthzona. Beth enim domum, & Zona cauponam, siue hospitam significat, aliquando etiam scortum. §. 2. Byzantium.

2. *Pijssimi Imperatoris*. Sanctum vocant, & colunt Græci. Constant. Porphyr. ἅγιον καὶ μέγαν Κωνσταντῖνον. Balsamon verò de Priuileg. Patriarch. παρὰ τοῦ ἁγίου, ἰσαποστόλου μεγάλου Κωνσταντίνου hoc est. A sancto, & Apostolis æquali Magno Constantino. Inter Diuos relatus cum matre Helenâ, eique dicatus dies festus XXXI Maj, vt videre est in Menologio Græcorum; & in Manuel. Comneni Constitt. de ferijs, vbi etiam vtrumque ἰσαποστόλους vocat. §. 3. D. Constantinus Mag.

3. *Noua Roma*. Νέα ῥώμη. Constantinus Manasses in Annal. Noua Roma.

Καὶ πόλιν ὀλβιόπολιν αὐτῇ προσαναγείρει,
Πόλιν τὴν μεγαλόπολιν, πόλιν τὴν νέαν ῥώμην,
Ῥώμην τὴν ἀρυλίδωτην, τὴν μήποτε γηρῶσαν,
Ῥώμην ἀεὶ νεάζουσαν, ἀεὶ νεανιζομένην.

Quod sic verti potest:

Illic Roma beata constituta est,
Vrbs ingens noua Roma, Roma florens,
Et rugis caret, & caret senectâ,
Dum semper iuuenescit, & nouatur.

4. *Milliario aureo*. Milliarium aureum fuit columna aurea, ex quâ principium itineris ad omnes portas erat. Plinius in capite Romani fori statutam fuisse ait. An verò milliarium Constantinopolitanum simile fuerit Romano nemo declarat. Pro columnâ fuit mensa polygona Bauaci Neruiorum vice milliarij aurei, quæ singulas vrbis portas, viasque lapidibus à Romanis stratas angulis singulis respectabat. Milliarium.

5. *Oecumenici*. Blasius Vigenerius in Illustrationibus Historiæ Chalcocondylæ multa hic de Patriarchis Orientalibus scribit non rectè; vti illud est, quòd asserit Bonifacium IV permissum esse à Phocâ Imperatore nomen Papæ gestare; eâque occasione inductum Ioannem cogno- §. 4. Patriarchæ Orientis.

LIII mento

mento ieiunatorem Constantinopolitanum Patriarcham, vt se Oecumenicum siue vniuersalem diceret; nam varijs constat argumentis Papæ nomen etiam ἀντονομαστικῶς iam inde à tempore Honorij & Arcadij Impp. Innocentio Romano Pontifici datum esse; & longè ante non modò ipsius Bonifacij, sed & Gregorij tempora Byzantinos Patriarchas Oecumenici titulum vsurpasse; nominatim verò Ioannem sub Pelagij Pontificatum illud sibi suisque successoribus confirmasse satis liquet. Ipsorum porrò Patriarcharum Orientalium titulos ita illa describit.

Constantinop. Constantinop. Ἰωάννης ἐλέῳ θεοῦ Ἀρχιεπίσκοπος Κωνσταντινοπόλεως (scribe Κωνσταντινουπόλεως) νέας ῥώμης, καὶ οἰκουμενικὸς πατριάρχης. Cum verò ad eum scribitur ἁγιώτατος vel παναγιώτατος addi solet.

Ierosolymit. Ἁγιώτατος δεσπότης πατριάρχης ἱεροσολύμων, ἁγίας σιὼν, συρίας, ἀραβίας πέραν Ἰορδάνου, κανὰ τῆς γαλιλαίας, καὶ πάσης παλαιστίνης. Vertit ipse, eodem sensu *Cana Galilaæ*. Certè nemo non videt pro *κανὰ*, legendum *κατὰ*. Quid enim, an solius illius vici, & non totius Galilæę Episcopus est, aut Cana præ Nazareth, alijsque Galilæę vrbibus nominanda?

Alexandr. Ἁγιώτατος δεσπότης πάπας, καὶ πατριάρχης Ἀλεξανδρείας, καὶ πάσης Αἰγύπτου, πενταπόλεως λιβύης, καὶ αἰτιοπίας.

Antioch. Ἁγιώτατος δεσπότης πατριάρχης θεουπόλεως, μεγάλης ἀντιοχείας, καὶ πάσης ἀνατολῆς.

§. 6. Bagdat. 6. *Bagdad.* Malè Bagdir vertit Arias Montanus, fortassis librarij vitio: qui resc pro daleth scripserat. De Bagdat autem dicemus suo loco.

S. Sophiæ templum. 7. *S. Sophia totius orbis opulentissimum.* Codinus de orig. Constantinop. ἐνέπνευσεν ὁ πανάγαθος θεὸς καὶ φιλάνθρωπος εἰς τὴν διάνοιαν τοῦ βασιλέως Ἰουστινιανοῦ, τοῦ οἰκοδομῆσαι ναὸν, οἷος οὐκ ἐγένετο ἀπὸ Ἀδὰμ, οὔτε γενήσεται. *Optimus & humanissimus Deus Imperatori Iustiniano mentem dedit: vt templum, quale ab Adamo non fuit, neque fiet, ædificaret.* Septemdecim annis conditum templum commemorant historici

historici multi, operâ & arte Magistri Ignatij Architecti multò præstantissimi; nec sine Angelorum ope: maximè in triplici fornice extruendo, SS. Trinitatis symbolo. Nam lepidum ait Codinus. Cum iussus à parente Ignatio puer, dum fabri pranderent, eorum instrumenta asseruare, aliò interim de imperio Strategij amandaretur, illeque restitaret: statim affuit Angelus humanâ specie, qui vt pareret, hortatus est, atque iuramento recepit, se inde non abiturum, dum ille redijsset. Quod cùm Ignatio, atque Imperatori innotuisset, longiùs puer amissus est, nunquam postea rediturus, atque ita mansit ille Angelus bonus tutela loci. Ideo in medio templi hæc Psalmistæ verba insculpserunt: *Deus in medio eius, & non commouebitur.* In templum verò, sine sacris indumentis, & materiâ, quæ gratis Imperatori mittebatur, tria millia ducenta centenariorum expensa sunt. Qui porrò Dei Incarnatæ Sapientiæ in eo templo ministrarent, Clericos mille attribuit, in quorum alimenta, & ædis impensas CCCLXVI prædia suburbana assignauit. De hoc Templo plura apud eundem Codin. Procop. Theodorum Balsamonem reperies. Ex quibus facile cuiuis erit præcipua quædam seligere, & familiæ nostræ Parenti S. Ignatio: qui IESV nomine Societatem à se conditam dixit, eiusque leges à Sapientiâ diuinâ ordiri voluit, attribuere. Sed id Concionatoris munus est, non Historici. V. Gill. de Topogr. Const & Vigener. Illustr. Chalcond.

8. *Ex foris venalium, & portu.* Quàm Sinus Ceratinus piscosus sit, supra in cap. 8. l. 6. docuimus. Guntherus Parisinus in Alsatiâ Monachus libello de expugnatione Constantinop. qui editus est ab Henrico Canisio hæc ait: *Habebat enim* (Constantinopolis) *mille sexcentas piscatorias naues: quarũ quaelibet per totum annum ad* XIV *dies fisco regio persoluebat numum aureum, qui perperã vocari solet Ferdoni. i. quartæ partis marcæ vnius æquiualens.* Indubiè mendosus est locus quẽ sic restituo: *Persoluebat numum aureum, qui hyperpyrum vocari solet, ferme quartæ partis marcæ æquiualens.* Hy- | Piscatio quæstuosa. | Guntherus emendatus.

 perpyrum

Hyperpyrum. perpyrum monetæ genus. Hinc hyperpyrarij, qui hyperpyra tributi nomine soluunt. De hyperpyro dari Imperatoribus solito loquitur Codinus de offic. c. 5. quod Leunclauius malè interpretatur velum coloris ignei; & alibi ὑπέρπυρα vertit, modò igne potiora, modò ignita. Will. Tyrius de bello Sac. l. 18. c. 12. & S. Antonin. to. 3. Hist. tit. 19. c. 8. §. 3. & alij de hyperpyro agunt. Nemo autem, quod sciam, quanti valoris esset, præter hunc Guntherum exposuit. Si igitur, quod existimo auctorem voluisse, vnaquæque nauis singulis quatuordecim diebus, quartam marcæ partem Imperatori penderet: hoc est quotannis circiter sex marcas cum dimidiâ: essentque naues mille sexcentæ: conficerent decem millia & quadringentas marcas, quæ si argenteæ fuerint, & ad calculum Lipsij marca sit quinque Philippicûm, dabunt in singulos annos fere septuaginta tria millia Philippicûm; si verò aureæ marcæ fuerint, quod pronum est suspicari, quandoquidem numus pensitari solitus aureus fuerit, longè maior pecuniæ vis ex solâ piscatione fisco Regio accedebat: nempe florenorum, duo prope milliones.

IN CAP. II.

§. 2. Chronologiæ nostræ assertio. 1. ANnum XXXIII. Scilicet natus est Balduinus Iulio mense anni CIƆCLXXI; iam verò agebatur Maius anni CIƆCCIV; deerant igitur illi menses duo ad trigesimum secundum ætatis annum explendum. Et hinc videas, quàm aptè, & examussim Chronologia nostra cum ratione temporis consentiat.

§. 4. VVarinus. 2. *Warinus.* VI §. VIII. I

§. 5. Nicæa. 3. *Bithynia cuius Nicæa.* Bithyniæ Metropolis apud Aithonum scribitur esse Nichor, quam Nicæam putat Leunclauius in Pand. c. 180. Turcis Isnic. Reineccius Nicomediam facit: sed hanc Turci vocant Isnid. Apud Leonem Augustum non minùs est Nicæa, quàm Nicomedia Bithyniæ Caput. Apud Andronicum quoque Se-

niorem

niorem vtraque Metropolis statuitur, cuius verò Prouinciæ, non explicat. Isnicam malè Castaldus vocat lacum quendam, seu Paludem Ascaniam; ea enim Acsû hodie à Turcis dicitur.

4. *Philippopolim.* Duas huius nominis vrbes in Thraciâ fuisse, vel ex hoc loco Constant. Porph. constat. l. 2. Themat. *In Præfecturâ Thraciæ. Sub Præfecturâ Rhodopes, vrbes 7 Parthicopolis, Heracleia Strymni, Ænus, Maximianopolis, Serræ, Philippi, Traianopolis. Præfectura Thraciæ sub Consiliario, 5 vrbes: Clima, Mesticon, Acontisma, Philippopolis, Beroë, Insula Thasus, Insula Samothrace.* Forsitan legendum: Κλεῖσμα νεστικὸν, vel νεαστικὸν. Acontisma enim aditus est angustissimus à Thraciâ in Macedoniam. Philippopolim, de quâ agimus, ad Hebrum sitam, à Philippo, non Alexandri Patre, sed Romanorum Imp. dictam vult Leunclauius. Bellonius Tricam vel Tricalam in Macedoniâ ponit, inde bidui itinere Philippos, ab hac tridui Philippopolim statuit: Macedoniam verò non regionem sed regnum intelligit; hæ enim vrbes, trans Strymonem sitæ, Thraciæ accensentur.

Philippopolis.

Lib. 1. c. 56.

5. *Hexamita.* Balsamon ad Syn. VII. Can. XVII. ὀχλουμένων ποτὲ τῶν λαμπρειμονούντων κληρικῶν δι' ἱματίων λεγομένων ἑξαμίτων, ἐχομένων οὐ μόνον ἑτερόχροα, ἀντίπανα, ἀλλὰ καὶ χρύσωπασα. *Cum autem accusarentur clerici de luxu in vestibus, propter eas vestes, quæ dicuntur Hexamita: habentia non modò fimbrias diuersi coloris, sed etiam auro interspersa* &c. Nostri Samittum dicebant.

§. 6. Hexamitum.

6. *Diui Baptistæ digiti.* De hâc re sunt apud eos Canonicos antiqui hi versus:

D. Bapt. digitus.

A Balduino Græcorum Rege Latino
Baptistæ petijt digitum; sumensque petitum
Miles dum veheret, reditumque per æquor haberet:
Mortis ibi subijt fatum, digitumque sacratum
Attulit hinc nobis, noster Petrus incola gratis.
Donatum nobis A. XXI mille ducentis.

Malim sic legere. *Attulit hinc vrbis nostræ* &c. Eius sacri

pignoris memoriam etiamnum celebrant quotannis, ij Canonici 22° Maj, & Allationis Festum nuncupant. Tradunt ijdem fortuito igne, cum D. Ioannis templum conflagrasset, ipsâ thecâ argenteâ liquefactâ integrum, intactumque inter cineres & fauillas sacrum digitum permansisse.

§. 8. Diploma Henrici.

7. *Philippo.* Henrici Imp. de eâ donatione diploma asseruant Namurcenses, quod est huiusmodi.

Carissimo fratri suo Philippo Marchioni Namurcensi, Henricus frater suus, Romani Imperij moderator, salutem, & fraternæ dilectionis affectum. Nouerit fraternitas vestra mihi prædilecta: quòd vobis mitto per Magistrum Danielem de Sclaussinio clericum nostrum, Vas aureum pulcrum & pretiosum, in quo continetur: Maxima pars de ligno Domini, in modum Crucis auro circumligata, & ornata. Mitto etiam vobis de Sacro-Sanctis reliquijs Imperialis Palatij Bucceleonis. Videlicet De spinis coronæ Domini. De veste purpureâ Iesu Christi. De pannis Infantiæ Saluatoris. De linteo quo præcinxit se in cœnâ, de zonâ B. M. V. de capite B. Pauli, & B. Iacobi Minoris. Præterea mitto vobis per eundem Danielem supradictum tres samitos, & duos annulos, vnum smaragdum, & alium rubinum. Ad remouendam autem omnem dubietatem prædictarum reliquiarum, præsentem paginam sigilli mei munimentis vobis transmisi roboratam. Datum Constantinopoli Anno Domini CIↃCCV *mense Martio.*

Huic Diplomati appensum est (inquit Sacrar. Namurc.) sigillum plumbeum, cuius in vno latere Imperatoris habetur imago in throno sedentis, cum his duabus in circuitu Græcis dictionibus, Δεσπότης Ἑνρίκος. id est Dominus Henricus. In altero armati militis equo insidentis visitur effigies cum hâc Latinâ inscriptione: *Henricus Romanorum Imperator, custos Imperij, & coronæ.* Ita ille; vbi aduerte datum eiusmodi diploma, dum captiuus tenebatur Balduinus, & Henricus vice Imperatoris erat. Vnde non Imperator, sed Pro-Imperator, vel Vice-Imperator, aut quid simile legendum, vt cohæreat cum sequenti versu:

su: *Custos Imperij* &c. & vnà cum ipsius Epistolæ capite, vbi se Henricus non Imperatorem, sed moderatorem dumtaxat Imperij vocat; quem titulum *Moderatoris Imperij*, vsurpauit quidem Balduinus, sed non solitarium. Alterum est Δεσπότης ἐυρίκος non Dominus vertendum, sed *Despotes*. qui titulus secundum ab Imperatore, vti mox dicebamus, significat. Aliàs κύριος ἐυρίκος scripsisset. Demum non plumbeo Imperator, sed aureo vt plurimùm vtebatur sigillo.

8. *Traiectum*. Eius effigiem Crucis Gretzerus noster to. 3 de Cruce l. 4. efformatum dedit, eiusque explicationem luculentam. Duo hic modò, vel tria satis erit adnotasse, ad rem nostram propiùs facientia, quæ mihi occurrerunt, cum eam contemplarer in ipsâ Traiectensi æde. Priori eius Crucis parti Græcum hoc epigramma litteris grandiusculis insculptum est, ita vt à summâ eius parte per transuersa brachia, ad imum Crucis scapum characteres ducantur. Traiectensis Crux.

Ὡραῖον εἰς ὅρασιν ὀφθὲν τὸ ξύλον·
Γεύσει με νεκροῖ τὸν θεοῦ κατ' εἰκόνα,
Ὡραῖος ὢν κάλλει τῆς θείας οὐσίας,
Ζωοῖ με χριστὸς, σαρκικῶς θανὼν ξύλῳ.
Οὗ τὴν δὲ θήκην ῥωμανὸς γῆς Δεσπότης,
Ὡραιότησιν ἀρετῶν ἐστεμμένος,
Χάρισιν ὡράϊσε τιμίων λίθων·
Ἡττῶν δι' αὐτοῦ δαίμονας, καὶ βαρβάρους.

Ita verò ad verbum reddi potest.

Lignum quod aspectu pulcrum apparuit.
Gustu necat me, qui sum secundùm imaginem Dei.
Atqui pulcritudine diuinæ substantiæ pulcher est
Christus: hic me viuificat, carne in ligno mortuus.
Cuius hanc thecam Romanus terræ Dominus,
Pulcritudine virtutum coronatus,
Gratiâ pretiosorum lapidum insigniuit,
Vincens per ipsum (lignum) dæmones & barbaros.

Tota Crux quanta quanta est, balsamo est delibuta ita denso,

denso, vt tot annorum spatijs, licet frequentissimis osculis, vix ipsum balsamum tritum quibusdam locis, nudam Crucem ostentet. Est autem tota Crux ex puro auro Arabico. Eiusdem porrò ædis in sacrario, Diplomatis cuiusdam exemplar ostendunt, quod est huiusmodi. *Nos Philippus Constantinopolitanus Græcorum Imperator. Ex relatione Sanctissimæ Ecclesiæ nostræ Traiecti superioris, Leodiensis Diœcesis: vbi ex relatu quàm plurimorum fide dignorum percepimus fore reliquias quàm plurimas; pietate moti, & magis deuotione inflammati, ad augmentandum deuotionem fidelium transmisimus nostras reliquias, nostrique nobilissimi thesauri partem S. Crucis Redemptoris nostri, balsamo vnctam, ad principalem Ecclesiam in honore B. Mariæ V. vt cunctus populus in eâdem Ecclesiâ deuotionis accessum habeat, & nostrum apud Deum meritum magis augmentetur, & merita fidelium diffusiùs amplientur. Sub anno nostri Saluatoris* CIƆCCIV *anno nostro* IV.

Philippus 2 Imper.

Diploma confictum.

Hoc totum Diploma, ab imperitâ manu confictum esse, cùm stylus, tum varij in eo errores declarant. Etenim nullus tum Philippus Græcorum Imper. 2°. Ipsi se non Græcorum, sed Romanorum Imperatores appellabant. 3. Nullum Græcorum Imperatorem nouimus Traiectensium Dominum: vt Ecclesiam eius vrbis suam dicere potuerit. 4. Neque in proepigraphe, nec in subscriptione obseruatur Diplomatum formula. Eius verò modi litteras confingendi occasio fuit: quòd nescio qui cùm à maioribus auditione accepisset, hanc Crucem à Philippo quodam Imperatore vel Rege donatam: iam verò Constantinopoli missam esse, ipsa Græca testaretur epigraphe, vtrumque perperam coniunxit. Mihi omnino persuadeo Crucem illam quidem, si modò anni litteris præfixi ratio aliqua habeatur, ab Alexio iuniore, statim vt regnum per socios adeptus erat, ad sociorum Philippum missam esse. Tabellam autem, seu lipsanothecam, quam ad pectus gestasse Imperatores Græcos dicebam, ipsi Philippo Regi à Martino Lintzio Parisino in Alsatiâ

Abbate

Abbate esse donatam, tradit Guntherus. Quod vtrumq; cimelium Philippus postea Ecclesiæ Traiectensi (quam suam eo vocat, quòd Imperio Germanico subiaceat) dono dedit.

9. *Warinus.* Asseruant Phanopinenses canonici chartam donationis eiusdem Warini, quæ sic habet: *Omnibus S. Matris Ecclesiæ filijs &c. G. Dei gratiâ Thessalonicensium Archiepiscopus, & totius Romaniæ Cancellarius &c. Datum Atrebati Anno gratiæ* M. CC XVI. IV *Kal. Febru.* Aquiscintenses autem proferunt eiusmodi. *Ego Warinus diuinâ miseratione Thessalonicensis Ecclesiæ Minister humilis. Notum facimus vniuersis præsentis scripti notitiam habituris. Quòd considerata benignitate, & gratiâ, quam viri Religiosi Abbas & conuentus Aquicinctensis solius intuitu caritatis nobis liberaliter impenderunt; cùm non haberemus quâ gratitudine beneficijs receptis æqualiter respondere possemus: tamen ne vitium ingratitudinis prorsus incurrere videremur: de reliquijs Sanctis, quas diuina dispensatio, & assensus viri illustris Balduini Constantinopolitani Imperatoris, Comitis Flandriæ, & Hannoniæ Constantinopoli nos habere permisit; Aquicinctensi Ecclesiæ contulimus. Videlicet de Redemptoris nostri Sanguine pretioso. De reliquijs SS. Matthiæ, & Barnabæ Apostolorum. Medietatem minoris ossis brachij S. Stephani Proto-martyris, quod protenditur à cubito vsque ad pugnum. De parte testæ capitis B. Clementis, toto mento B. Georgij martyris cum vno dente. Integro pede B. Marthæ sororis B. M. Magdalenæ, iunctâ vnâ arietis, quem Abraham pro filio suo immolauit. De Reliquijs BB. Cosmæ & Damiani. Et ne de prædictis reliquijs posset in posterum dubietas suboriri, in certitudinem earum præsentes litteras fecimus sigilli nostri testimonio roboratas. Datum anno Domini* CIƆCCXXXIX *in die BB. Petri & Pauli Apostolorum.* Hîc etiam adnotandum est Warinum, vel Garinum illum Italum, vel Gallum Belgamúe fuisse, vt nomen ipsum prodit, & Latina tabulæ dictio. Num verò is statim ab ipso vsurpatæ à Bonifacio Thessaliæ initio, an post Græci eius vrbis Archiepiscopi obitum Thessalonicæ sit creatus Pontifex, non liquet. Warini tabulæ.

Diploma Henrici Imp.

10. *Eximium est.* Eius donationis testimonium item asseruant Lætienses Monachi, hocce Imperatoris Henrici Diploma.

Henricus Dei gratiâ Imperator, & moderator Romanorũ. Vniuersis qui hoc scripturæ monimentum inspecturi sunt, salutem. Quum vita hominum sit breuis, memoriaq; labilis, & infirma: rationi consentaneum videtur, vt ea quæ ob pietatem rectè fiunt, scripto mandentur; quatenus posteritas semper habeat vnde factorum cognitionem accipere poßit. His rationibus adducti, vobis significare voluimus, quòd nos considerantes deuotionem Venerabilis Viri Thomæ Ecclesiæ Lætiensis Monachi: qui frater germanus est Gerardi Walcuriensis, primi inter Prætores nostros; spectantes etiam nihilominus antiquam dignitatem prædictæ Ecclesiæ Lætiensis, a Parentibus, prædecessoribusq; nostris iam olim fundatæ: eorumdem Thomæ, & Gerardi nobis charißimorum precibus permoti: ipsi Thomæ pulcherrimas, & propemodum infinitas reliquias Saluatoris, Mariæ, Apostolorum, Euangelistarum, Prophetarum, Martyrum, Confessorum, ac fœminarum Sanctarum piâ beneficentiâ contulimus. Qui sanctarum reliquiarum Thesaurus, vt in Ecclesiâ Lætiensi dignâ veneratione perpetuò honoretur: & hoc, absque hæsitatione aliquâ, ab omnibus recipiatur: rei veritatem confirmare voluimus sigillo nostro aureo ad præsens scriptum appenso. Datum Constantinopoli in Palatio nostro. Anno Domini Millesimo ducentesimo octauo. Imperij nostri anno secundo.

Item Theodori Patriarchæ.

Habent item litteras Theodori Patriarchæ, cuius exemplar hic apposui.

Theodorus Dei misericordiâ Sanctæ ciuitatis Ierusalem Archiepiscopus, Ecclesiæ Antiochenæ, & totius Orientis Patriarcha. Vniuersis Christi fidelibus, in quorum manus hoc scriptum peruenient, salutem in Domino. Vobis notum facimus, quòd nos alijq; plurimi dilecto nobis in Christo Thomæ Lætiensis Ecclesiæ Monacho: qui Constantinopolim, vbi nunc degimus, aduenit: diuersas Sanctorum, Sanctarumq; reliquias pietatis intuitu, rogatuq; D. Henrici Imperatoris Illustrißimi contulimus. Quin etiam Imperator eidem Thomæ pulcherrimum Sanctuarium de pretiosissi-

mo

uno sanguine Iesu Christi in vasculo chrystallino, & eximias portiones sacrosanctæ Crucis eiusdem Saluatoris nostri, cum maximis, & pæne infinitis alijs reliquijs dedit. Vt autem tantus reliquiarum thesaurus dignè in Ecclesiâ Laetiensi semper honoretur; singulis qui ad eam Ecclesiam prædictas reliquias visitaturi pio desiderio aduenerint: ibiq; de si is peccatis verè doluerint, nos ex parte Beatorum Petri & Pauli, & auctoritate quâ fungimur, à summo Pontifice nobis concessâ, de pænitentijs pro criminibus ipsis iniunctis LX dies Indulgentiarum relaxamus. In cuius rei testimonium sigillum nostrum plumbeum huic scripto appendendum esse duximus. Datum Constantinopoli Anno Domini CIƆCCVIII, *Archiepiscopatus nostri anno* VIII°.

Hoc postremum diploma librarij manu corruptum videtur. Quis enim legit Antiochensem Patriarcham Ierosolymæ Archiepiscopum fuisse? Huius enimuero Ecclesiæ Pontifex non modò Patriarcha & ipse erat, sed etiam Antiochenum ordine, & dignitate præcedebat. Hunc autem non Antiochiæ, sed Accone siue Ptolemaïde, post captam à Saracenis Ierosolymam Pontificiam sedem fixisse, aliosque ab his fuisse vtriusque Patriarchæ titulos suprà docuimus. Vt vel hinc, & alijs eiusmodi multis pateat, quantâ Historiographo opus sit solertiâ, & crisi: vt non tantùm auctores, sed etiam diplomata ipsa discernat, & spuria à legitimis, vel adulterata à puris secernat.

Porrò sanguis Domini, qui cum cæteris reliquijs Lætias transmissus est, is esse creditur, qui à D. Athanasio, in libello de passione Imaginis Dominicæ, prædicatur, quiq; ex Christi effigie prodigiosè manauit.

Notandum insuper est, inter eas, quas commemoraui, reliquias Prophetarum plurimorum veteris testamenti asseruari; quod cuiquam mirum adeo videri non debet. Ipse etenim D. Ioannes Chrysostomus Constantinopolitanus Archiepiscopus, initio homiliæ, quam de Eliâ Prophetâ scripsit, hæc habet. *Olim quidem Iudæorum populus gloriabatur quòd Prophetas possidebat: & erat sanè Prophetarum agricultura; nunc verò ipsa gloriatio ab eis per Ecclesiam ablata*

est. Ecce enim apud nos (scilicet Constantinopoli, vnde Lætitias transmissa sunt) *& ipsa Prophetarum sunt corpora. &c.*

Plurima alia Sanctorum Lipsana toto eo tempore, quo Byzantij regnarunt cùm Balduinus, tum eius posteri, in varias orbis partes, atque in Belgium inprimis vel missa, vel allata sunt. Gemblacensi Abbati Willelmo donauit Ioannes Neopatrensis Archiepiscopus, & ipse Belga Gemblacensis, sub finem Lateranensis Concilij, cui vterque interfuerat: digitum S. Nicolai, quem (vt ipse in diplomate suo apud Molanum ait) *Christianissimus Imperator Constantinopolitanus ad prælium contra inimicos suos preliaturus ante se deferri fecit. Et de ossibus Sanctorum Antonij & Georgij.* Quis fuerit Christianissimus ille Imp. non edisserit: Balduinum aut Henricum eius fratrem indicari existimo. *Molan. Natij tyrol. 23. Maij.*

Quæ habet Nicolaus Camuzatus in Historiâ Trecensi digna sunt quæ huic loco adscribantur. Corpus S. Helenæ virginis, quod etiamnum integrum, & omnibus membris compactum est, Corintho Achaiæ capite, in Ecclesiam Trecensem anno MCCIX à nobilibus Gallis, qui Constantinopolitanum Imperium subiecerant, illatum est. Annis aliquot antè eòdem transmisit Henricus Campaniæ Comes dentem S. Petri Apostoli. Anno MCCV verticem, seu coronam capitis S. Philippi Apostoli accepit, datam à Garnero Episcopo Trecensi, qui eodem anno Byzantij obijt. Est verò dictum caput argenteâ thecâ, auri bracteis exteriùs inductâ, imagunculis, & sigillarijs subtiliore artificio elaboratis insignitâ inclusum: in cuius circuitu hi versus insculpti sunt.

Si mihi pro pretio rubet aurum, gemma ditescit:
Intus quod capio pretij commercia nescit.
Petre tuo denti, capitiq; Philippe dicatum:
Vas ego; dens summâ, caput imâ parte locatum;
Hunc Roma captum Comes huc Henrice tulisti,
Hoc Græcis raptum Præsul Garnere dedisti.

Præterea in eiusdem Ecclesiæ sacrario seruatur paropsis ex lapide iaspide, ab eodem Garnero Episcopo missa, ar-

genteo margine cincta, in quo characteribus Græcis insculpta sunt hæc verba.

Καὶ πρὶν ὑπούργει τὸ τριβλίον δεσπότῃ,
Κεῖνο μαθητὰς ἑστιῶντι τοὺς φίλους.
Καὶ νῦν ὑπουργεῖ τοῖς μελιγμοῖς δεσπότου.
Μαρτυρεῖ τοῦτο δῶρον εἰσειργασμένον.
Olim paropsis hæc seruijt Domino,
Cùm charos discipulos epulo excepit.
Nunc seruit bellarijs Domini.
Testatur hoc donum fabrefactum.

IN CAP. III.

1. *CHamlite, & Catzenellebogius.* In vet. Gal. *li Con:e Selite de Chassenele en bouche.* §. 6. Villeh. emendatus.

IN CAP. IV.

1. *CHristopolim.* Eam in recentiori suâ tabulâ Castaldus ad Strymonicum lacum collocat. Sed vereor vt paulò altiùs Thraciam versus. Non abeo longiùs ab opinione Ortelij, qui Amphipolim putat Strymoni fluuio vicinam. Eam certè Auctor noster propter amnem appingit. Et M. Sc. Codex meus vrbes Byzantio in Thessaliam proficiscenti hoc ordine occurrisse narrat. Primò Rhædestum, tum Neapolim (hanc Romaniæ vocat Auctor, quò eam ab Asiaticâ distinguat, quam hodie Genischeher Turci, Ortelius, & Busbequius Ienizardicunt) inde Christopolim non longè à Philippi Valle, & Serris. Hinc Ortelium corrige, qui in Thesauro Geographico Serras prope Larissam, & Berrhoeam ponit, quæ ad Thermaïcum sinum pertinent: qui sanè à Strymonico procul distat. Scio legi in Nicetâ Serras Berrhocæ finitimas; sed Pherras legendum arbitror. Logotheta Serras non longè à Cisso versus Hebrum flumen, seu Maritzam collocat. Eam vrbem Const. Porp. in Thematibus sub Præfecturâ Rhodopes §. 1. Christopolis.

constituit;

constituit; vti suprà, cùm de Philippopoli ageretur, monuimus. Certè longè à Rhodope, & Aeno, & Traianopoli est Berrhæa. Ad Strymonis ostium Bellonius Chrysopolis ait se vidisse rudera; sed Christopolis ea erant. Bellon. l. 1. c. 55.

§. 2. Protostrator.

2. *Protostrator.* Ita Nicetas de Gaufredo, quem Γαφρέδον vocat: μαρισχαλκος ἦν ἀξίωμα ὁ ἀνήρ, δηλοῖ δὲ καθ' ἕλληνας ἡ φωνὴ τὸ πρωτοστράτωρα (codices aliqui mendosè πρωτοσάτωρα) *dignitate erat vir ille Marescalcus, quod Græcis est Protostrator.* Ioannes Curopalata in Theophilo, vocat τῶν ἱπποκόμων πρῶτον. *Equisonum primum.* Etiam simplex στράτωρ vsurpatur.

§. 3. Encaustum, & litteræ Imperatorum.

3. *Encausto.* Ex purpurâ atramenti genus conficiebatur, quod Encaustum dici solebat. Et eo soli Imperatores priuilegijs, & litteris subscribentes vtebantur: contra eos qui vterentur, pœnâ capitali cauebatur. Ita Nicet. lib. 1. *De vitâ Manuel.* γράμμα ἐρυθροσήμαντον σφραγίδι τε χρυσέιᾳ, καὶ σηρικῷ νήματι ἔμπεδον, κόγχης ἀναδεδευμένῳ αἵματι, ἐπιδίδωσι. *Litteras dedit rubricatas, & sigillo aureo, sericoq; filo munitas, quod* (filum) *conchæ sanguine tinctum erat.* Ita verò fiebat encaustum. Terebatur in puluere conchylium purpuræ, (inquit Pancirolus) & adijciebatur nonnihil de cocto ex ipsâ colore: ac simul liquabatur; reductaque inde materia liquida, & densitate suâ scriptioni apta dicebatur Encaustum. *Vt l. Sacri. C. de diuersis rescript.* Vnde notanda Accursij, & Lucæ de Pennâ ignorantia, *qui in l. vn. §. Quod autem, C. de Collegiat. l. 11.* pro *Encausto* legunt, ille: *In cautis breuibus,* hic: *in chartis.* Dicebantur etiam Encauteria *l. Immunitates 9. C. de Agricol. l. 11.* Notandum insuper, quod ait Gregoras Andronicum seniorem à Michaële patre permissum quidem insignia Imperatoria gestare, & nomen edictis subscribere litteris rubris, sed sine mense, & indictione; subscribebat autem viuente patre sic: ἀνδρόνικος Χριστοῦ χάριτι βασιλεὺς ῥωμαίων. Quod si verò in pupillari ætate esset Imperator, eius tutor ipsius nomine virides exarabat litteras, quemadmodum de Alexio Protosebasto, Alexij Comneni tutore refert Nicetas.

IN

IN CAP. V.

1. Agapetus. Ita ille suis verbis: νόμιζε τότε βασιλεύειν ἀσφαλῶς, ὅταν ἑκόντων ἀνάσσῃς τῶν ἀνθρώπων. τὸ γὰρ ἀκουσίως ὑποταττόμενον, στασιάζει καιροῦ λαβόμενον. τὸ δὲ τοῖς δεσμοῖς τῆς εὐνοίας κρατούμενον βεβαίαν ἔχει πρὸς τὸ κρατοῦν τὴν εὐπείθειαν. *Existima tum demum te tutò regnare, cum volentibus imperas hominibus. Quod enim inuito animo subijcitur, seditionibus fluctuat captâ occasione; quod verò vinculis beneuolentiæ regitur, stabilem seruat erga rectorem obedientiam.* §. 2. Monitum Agapeti.

2. *Thema Opsicium.* Idem quod τάγμα, seu τάξις, id est legio. Legiones quippe in varias Prouincias distributæ, aliquando à Prouincijs: & vice versâ ab legionibus Prouinciæ, seu Præfecturæ nomen accipiebant, vt ait Const. Porph. Harum è numero fuit Thema Opsicium. Dat eius etymon Const. Porph. ὀψίκιον γὰρ ῥωμαϊστὶ λέγεται, ὅπερ σημαίνει τῇ ἑλλήνων φωνῇ τοὺς προπορευομένους ἔμπροσθεν τοῦ βασιλέως ἐπὶ εὐταξίᾳ, καὶ τιμῇ. *Obsequium Latinè dicitur, quo significantur ij, qui Imperatori ordinis tuendi, & honoris causâ praeunt.* Deinde illud Thema definit à Sinu Astaceno, & à promontorio Dascylio ad Tritonem vsque, & montes Sigrianæ, atque Preconesum: ad ipsam quoque Abydum, Cyzicum, & Parium se porrigit &c. l. 1. Them. c. 4. §. 4. Thema. Opsicium.

3. *Alexium Dominum.* Logotheta. οἱ δὲ μιάσματι ἀμυνόμενοι, ὃ εἰς τὸν Ἰσαακίου υἱὸν ἐποίησαν. Lege ἐποίησεν. Vertit Interpres: *Sic Isaaci cædes expiata est.* Non rectè, Isaaci filij necem vltos esse ait, non patris: quem ipsi socij dissensionis auctorem primum arbitrabantur. §. 5. Logotheta explicatus.

4. *Michaëlem Angelum.* De eo sic Logotheta: καὶ οὕτως ἦν δυναστεύων Ἰωάννης, καὶ μέχρι ναυπάκτου. Interpres, quid sibi vellet Ἰωάννης non intellexit: atque ideo omisit. In elencho autem erratorum emendat: *Ita rerum potiebatur Ioannes.* peius omnino. Nullus enim hic Ioannes: Ioanninam verò significat Ætoliæ vrbem, quam & Ἰωάννην vocant. Et infrà. §. 7. Item.

Ε'ς ἀλέξιον ἧκε τῦτον, ὑποθετῆθε μηνύσας αὐτῷ κρύφα, καὶ ὑοθετήθη αὐτῷ. Delendum primum istud ὑοθετῆθε. Vertit: *Ad Alexium venerat, adoptatusq; ab ipso erat.* interijciendum, *Ad Alex. venerat, clam se ei aperiens* &c. Sequitur.
ἀλλ' οὐ συχναὶ παρῆλθον ἡμέραι, καὶ ἀφικνεῖται πρὸς αὐτὸν ἀνὴρ μηνύων αὐτῷ κρύφα ῥάκεσι πενιχροῖς ἐνδεδυμένος, τὸ ἀδελφῦ μόρον &c. Præposterè hæc scripta sunt. Restituo: ἀλλ' οὐ συχναὶ παρ. ἡμ. καὶ αφ. πρὸς αυτ. ἀνὴρ μηνύων αὐτῷ τὸ αδ. μόρον. καὶ ὁ (Ι'αθατίνης) ῥάκεσι πενιχροῖς ενδ. ἀφικνεῖται. Ipse, scilicet Iathatines, non verò nuntius, centonibus indutus ad suos abit. Ita legendum suadet sensus, & consonat historia Musulmannica Leunclauij, vbi ea narrantur, hoc, quo reposui, modo.

Ibidem. οὗτος καὶ τῷ βασιλεῖ θεοδώρῳ χρήσιμος ἀνεφάνη συμμαχίαν δοὺς, ὡς ἀδελφὴν γὰρ τὴν βασιλίδα Α'νναν ὠνόμαζον. Vertit *Huius frater Theodoro Regi amicus fuerat, & auxilia commodarat; Annamq; Reginam sororio nomine prosequebatur.* Non existimo de fratre, sed de ipso Iathatine sermonem fieri: qui scilicet dum Byzantij versabatur, *Vtilis Theodoro visus fuerat, & socius adscitus ab eo, sic vt Annam sororem vocaret.* Ita vertendum erat & pro ὠνόμαζον, legendum ὠνόμαζε.

Paulò infrà. Sultani ex equo lapsum πτῶμα ἀκαίσιον, vertit: *indecens; infaustum* meliùs. Sed hæc leuiora sunt. Item Gregoras. Alterum aliquantò grauius in Gregorâ. Hic quippe vbi Alexium dixit à genero captum, & in Hyacinthi Monasterium retrusum, *Eum Lascaris*, inquit, μοναδικὸν περιέβαλε σχῆμα. Vertit Wolfius: *Hominis priuati habitum induit.* Imò verò *Monasticum.* Sed ab hoc abhorret Wolfius.

IN CAP. VI.

§. 3. Turcopuli. L. TVrcopulis. Græcorum rencentiorum est terminatio πῦλος, πῦλον, & πωλος: nihil præterea significans, inquit Iunius in Codin. Sic ex nominibus ἀετος fit ἀετόπυλα, ἄρχων, ἀρχοντόπυλον, παῖς παιδόπυλον, sic ex

Τῦρκος,

Τȣρκȣ̂ς, Τȣρκόπȣλος, ex Francus, Francopulus. Subdit ad hæc Gretzerus: *Etsi verum sit terminationem istam plerumque significationi nihil addere; interdum tamen videtur habere vim minuendi: vt in ἀρχοντόπȣλον quando puerum, seu ephebum honorarium significat: quâ notione sæpe occurrit apud Codinum, non enim tum significat Principem, seu virum primarium; vt simplex vocabulum ἄρχων, sed puerum: & quidem ἀσκεπῆ, qui sine vllo capitis tegumento in palatio versatur.* Ita illi. Sed certè hîc, neque Turcos, neque Turcorum filios significare videtur Turcopulus; quid enim eius gentis, quam bello passim in Syriâ petierant, homines pro se pugnatum in Græciam ij equites adducerent? Non arbitror ergo aliud hâc voce significari, quàm certum satellitum genus; quo nomine etiam hodie Melitenses equites id genus *Turcopliers* vocant, detorto à Turcopulis vocabulo.

Boisſat. Hiſt. ord. S. Ioa.

2. *Pæmanenum, Lopadium, Pulmachium.* Poemanenos Macedonas ad Rhyndâcum fluuium (quem Lyndacum perperam vocat Pinetus) ponit Plinius. Cyzici regiunculæ, & castelli nomen est Stephano Pæmaninum. Lopadium verò non procul à Panormo, seu Palormo (Philormi scribit Ortelius) situm est: vbi veteris Cyzici ruinæ, inter copiosa marmorum rudera, teste Leunclauio, conspiciuntur. Vlubat Turci, nostri Geographi Lupadi; Villeharduynius Luparium; Nicetas, cæterique Græci Lopadium vocant. Est & amnis Lopadicus, Rhyndacus veteribus: & lacus Lopadius, cui Pulmachium insedisse ex nostro Auctore colligo.

§. 4. Pæmanenum. Lopadium.

3. *Prusa.* Hodie Bursa dicitur. Quæ vox in errorem impulit Bonfinium, vt Byrsam appellaret: quasi nomen hoc aliunde, quàm à Prusâ Rege Bithynorum acceperit. In Leonis Aug. Constit. De Thronis, etiam Theopolis cognominatur. Idem Claudiopolitano Prouinciæ Honoriadis Archiepiscopatui Prusiadem subijcit. quod ideo notandum, quoniam Busbequius in suo Itinerario Prusiadem cum Prusâ confundit. Vide Leunclau. in Pand. Turc.

Prusa.

IN CAP. VII.

§. 1. Thermopylæ.

1. **L**EONIDES. Hic teste Iustino, & Herodoto, cum quatuor millibus militum angustias Thermopylarum occupans, Xerxis exercitum, in quo decies centena armatorum millia censebantur, sustinuit, repressitque, multâ cæde Persarum editâ.

IN CAP. VIII.

§. 2. Valachia.

1. **V**ALACHIA. Sunt qui à Flacco Romano id nominis deducant. Leunclauius probabilius à Gallis, Valachos, quasi Galachos dictos, censet. V siquidem in G & contrà, verti familiarissimum est, etiamnum Francis, & Belgis. Illi, exempli ergo, *gant*, chirothecam, hi *Want*: illi *gaine* vaginam, hi *Waine* dicunt. Prouincia Angliæ Wallia incolis, Francis Gallia dicitur. Valachi porrò Romanum cum Gallis, Italis, Hispanis idioma vsurpant, solâ differunt dialecto. Suffragatur huic Leunclauij opinioni vetus Galliciæ nomen, frequens in antiquis Regum Hungariæ titulis, quo Valachia significabatur.

Emendatur Logotheta.

2. *Eos Basilius*. Hîc mihi corrigendus est Logotheta: qui de Bulgaris loquens, vbi prodidit eos olim Græcis fuisse aduersatos, sic ait fol. 12 edit. Lugduno-Bat. καὶ ταῦτα χειροῦνται παρὰ τοῦ βασιλέως τούτου, ὃν διὰ ταῦτα βουλγαρικὸν ἡ φήμη ἐκάλεσε, μέχρις οὖν τοῦ βασιλέως Ἰσαακίου ὑπόφορον τὸ γένος ὑπετέλει Ῥωμαίοις Vertit. *Donec ab Isaacio, quem fama Bulgaricum appellabat victi, Romanis tributarij facti sunt*. Error. Quin ab Isaacio defecerunt: cum antè Romanis essent tributarij; legendum sanè. μετὰ ταῦτα δὲ χειροῦνται παρὰ τοῦ βασιλείου *Post hæc subiugantur à Basilio illo, qui Bulgaricus dictus est*. Id adeo ex ipso Logothetâ planum fit, nedum ex Nicetâ, Gregorâ, alijsque historicis. Nam is fol. 14. ait multa Ioannizam aduersus Græcos crudelitatis exempla edidisse: ἀνταμύνειν οὖν, ὡς ἔφασκον, ἐποίησαν τ.

ὢν

ὧν εἰργάζετο πρὸς βουλγάρους κατ᾽ ὧν ὁ βασιλεὺς, καὶ καλεῖσθαι μὲν ἔλεγον ἐκεῖνον βουλγαροκτόνον, ῥωμαιοκτόνον δὲ ὠνόμαζον. lege ῥωμαιοκτόνον δὲ Ἰωάννην, vel τοῦτον ὠνόμαζον. vt ſit ſenſus: *Hæc patrabantur ab ijs, vt inquiebant, in compenſationem & vindictam eorum malorum, quæ Bulgaris Baſilius intulerat. Et illum quidem propterea Bulgaricidam appellatum: Ioannem verò Romanicidam vocabant.*

3. *Anchialem, Barnam.* Has duas malè Cureus confundit. Illa etiamnum nomen obtinet. Barnam ſiue Varnam, priſcis Odeſſum, vel Odyſſum dictam eſſe putat Ortelius. Triadiza Sardica olim dicebatur, in quâ Synodus habita eſt. Nicet. in Iſaac. l. 3. §. 4. Anchiale, &c.

4. *Trium-montium.* Suſpicor pro Trinobo, ſeu Ternobo, quæ eſt ad Hemum, poſitum. Huius enim vrbis Antiſtitem toti Valachiæ, vel Bulgariæ præfuiſſe alibi narratur. Vocatur in Turcogræciâ: ὁ τρνόβου μητροπολίτης, καὶ ἔξαρχος πάσης βουλγαρίας. Idem Patriarcha nominatur, & Epiſcopatus habet tres, Eccleſias verò ſexcentas.

IN CAP. IX.

1. *Cumanorum.* Ita quoque eos vetus Flandriæ Chronologus, & alij appellant. Plinio li. 6. c. 11. Cumania caſtrum eſt ſuper portas Caucaſias, nunc Derbent, vel Capi Derbent, (hoc eſt fauces, ſeu portæ faucium) ad mare Caſpium. Ita Hayto Armenus qui etiam ait circa annum CIↃCCL alterum filium Hocotæ Can, cui Baydo nomen fuit, cum Tartaris ſuperaſſe Cumanos habitantes ad Tramontanam, hoc eſt, ad Septentrionem, & vſque in Hungariam fugaſſe: vbi Auctoris tempore ſupererant. Is autem viuebat annum circiter CIↃCCCLXXX. Ioſaphas Barbaro in relationibus itineris Tanæ, ait Cumanos eſſe Tartaros Precopienſes, Tauricæ Cherſoneſi incolas, ſuper Cimmerio Boſporo, qui Pontum Euxinum à Mæotide Palude diſcernit. §. 4. Cumani.

IN CAP. XII.

§. 2. Bizia, Apri.

1. 2. B*izyam*, *Aprum*. Bizya apud Stephanum τὸ τῶν ἀγρῶν βασίλειον indigetatur. Solin. c. 16. Polyhist. *In Caenicæ regione, non longè à Flauianopoli Colonia Bizya oppid. quondam arx Terei Regis.* Byziam scribit Ptolemæus. Bizyam & Apros sub Præfecturâ Thraciæ, atque à consiliarijs regi solitas esse tradit Constantinus.

Apros aliqui Aprum scribunt. Cedrenus hanc vrbem Theodosiopolim dictam fuisse perhibet.

§. 3. Callipolis.

3. *Callipolim.* Gelipoli modò dici auctor est Leunclauius in Pand. qui non à Gallis, aut Caligulâ Gallipolim, vt ait Nicolaus Nicolaides Delphinas, sed à Calliâ Atheniensium Duce conditam, & nominatam asserit. Huius Episcopatum ad Heracliensem Thraciæ metropolim Leo Imp. in Thronis refert. Panium Suidæ castrum est circa littus in finibus Heracleæ.

§. 5. Pontus.

4. *Pontum.* Asiæ Prouinciam; quam à matre Helenâ Helenopontum dici voluit Constantinus Magnus.

5. *Sinope.* Nomen hodieque suum retinet. Pordapam dici tradit Laonicus. Genech Aythoni Reineccius interpretatur Pontum, Colchidem Leunclauius. Hæc postea Lazorum est appellata regio, siue Lazice: cuius metropolis est Leoni Augusto Trapezus, quam Tarabozam Turci nuncupant.

IN CAP. XIII.

§. 5. Purificationis festum.

1. A*D Blachernas.* Codin. de officijs. cap. 15. recenset quibusnam festis quæque Byzantina templa visitet de more Imperator. Itaque κατὰ τὴν τῆς ὑπαπαντῆς ἑορτήν, εἰς τὸν τῶν βλαχερνῶν ναόν, ἀκολουθούντων καὶ τῶν βαράγγων &c. *In festo occursus* (siue Purificationis) *recipit se Imp. ad Blachernarum templum, comitantibus Barangis.*

§. 7. Perinthus.

2. *Perinthum.* Postquam vt suprà dicebamus, Con-

stantinus

ſtantinus ex Byzantio fecit Conſtantinopolim, Perinthus antea vicus, dicta eſt Heraclea: cuius Metropolita ab antiquo ius habet Patriarchæ eligendi. Quare etiam in ſubſcriptionibus litterarum Patriarcham proximè Heracliensis ſequitur. In Turco-Græciâ talis profertur eius ſubſcriptio: ὁ ταπεινὸς Μητροπολίτης ἡρακλείας, πρόεδρος τῶν ὑπερτίμων, καὶ ἔξαρχος πάσης θράκης, καὶ μακεδονίας *Humilis Metropolita Heracleæ, Præſes Prælatorum, & Exarchus totius Thraciæ, atque Macedoniæ.* Perinthus, vt Tzetzes narrat, etiam Mygdonia ab Hercule vocata eſt. Hodie dicitur Arachlea. Cur autem Villeharduynius Pauedor vocet, non video. Malè Volaterranus nominis affinitate deceptus, Perinthum, cum Perâ confundit. Perinthi aiunt fuiſſe quondam amphitheatrum ex vno marmore, inter VII orbis miracula iure recenſitum.

3. *Athyram.* Athyras fluuius Thraciæ eſt Ptolemæo, quem hodie *Aqua dolce*, ait Ortelius, Græcis γλυκὺ νερὸ vocari aſſerit Leunclauius. Ad eius fluminis oſtium vrbs eſt Athyra Suidæ & Nicetæ, iuxta Rhegium ſita. Et hæc quidem, auctore Leunclauio, modò Pons paruus Græcis imperitis πόντος μικρὸς, paulò peritioribus γεφύρα μικρὰ, Athyra vero Pons grandis, ſiue πόντος μέγας, aut γεφύρα μεγάλη dicitur. Athyrorum meminit Leo Sapiens Imp. Nouellâ de Thronis, eáq; ſubijcit Heraclienſi Metropolitano in Thraciâ. Et Zygomalas (de quo plurima mentio in Turco-Græciâ) ἄθυρα velut ἄπυλα dicta volebat, ex eo quòd nullis portis clauſa, aut mœnibus cincta vrbs erat. Et hæc quidem bellè. At verò quomodo Athyra duodecim horarum itinere Byzantio, quod ait Villeharduynius, diſtet non video; cùm ipſius Athyræ oſtium parum omnino Conſtantinopoli abſit. Vnde mendum irrepſiſſe ſuſpicor, & pro *douze* ſubſtituendum *deux*. §. 8. Athyra.

IN CAP. XV.

§. 4. **Caput Balduini pro scypho est.**

1. IN *Scyphi modum*. Logotheta hæc tradit: ὅνπερ (scilicet Balduini) ὥς φασι, τὴν κεφαλὴν εἰς κύπελλον χρηματίσαι τῷ βαρβάρῳ, κόσμῳ πυκασθεῖσαν κύκλωθεν. Ita vertit interpres. *Eius caput Barbarus, vt fama ferebat, pretioso ornatu circumcirca vestitum inter pocula ostentabat.* Omittit, quod primum erat, eius caput in scyphi modum à Valacho esse efformatum. Alboinum Longobardorum Regem referunt Orosius, & Paul. Diaconus, pari crudelitate Cunimundi Gepidarum Regis caluariam pro poculo vsurpasse: adeoque ex eâ Rosimundæ Cunimundi filiæ, vxori suæ propinasse. At dirum istud ludibrium & Parentis necem mariti morte vltam esse Rosimundam. Eodem modo Sichechi Tartarorum Imperatoris capite abusum esse Ismaëlem Sophi Persarum Regem, in huius vitâ narrat Theodorus Spanduginus.

Alia eius generis exempla.

§. 6. **Logotheta Dromi.**

2. *Logotheta Dromi.* Officij nomen apud Constantinopolitanos fuit: quod, qualeue, ne ipse Codinus nouit. Eò quòd eius Auctoris tempore, tametsi quidem eiusmodi titulus, dignitasque nota essent, ministerium, aut vsum, præterquam scenicum, haberet nullum.

Mors Balduini vindicata.

3. *Narrat enim.* Ita hæc narrat Logothetá. ἔδοξε γὰρ αὐτῷ καθ' ὕπνους ἔνοπλον ἰδεῖν ἄνδρα ἐπιστῆναι αὐτῷ, καὶ δόρατι πλῆξαι τὴν πλευράν. subdit: ὡς καὶ ὄνομα τεθῆναι τούτῳ ἐκ κυνός, Σκυλοιωάννης γὰρ ἐπεκλήθη τοῖς πᾶσι. τὴν γὰρ Σκυθῶν τὸ γένος ἰδιοποιησάμενος, καὶ κοινωνίας φιλικῆς κοινωνήσας &c. Post πλευρὰν, arbitror desiderari aliquid, puta: *dignum viro supplicium, qui canis instar vixisset, vel quid simile.* His porrò verbis: τὴν γὰρ σκυθῶν. &c. non tam fœdus cum Scythis: quam Valachi cum eâ gente connubium indicare videtur. Ait enim infrà, Borylam Ioannizæ ex sorore nepotem, materteram Scythidem duxisse. Non igitur mirum fuit, si ex eâ barbarie orta fæmina, tam impotenter amore primùm, tum crudelitate in Balduinum fureret.

IN

IN CAP. XVI.

1. **E**O *autem ante.* Ferrandi sepulcrum quod Market-tæ visitur, nullis characteribus est insignitum. In æde verò Nouiomensi hòc legitur epitaphium. §. 3. **Ferrandi Com. sepulcrum.**

Ferrandi proauos Hispania, Flandria corpus:
Cor cum visceribus continet iste locus.

In Ioannæ sepulcro hi olim versus legebantur: **Item Ioannæ vxoris.**

Est sita Flandrensis Princeps, & Hannoniensis
In tumulo tali. Vitâ nituit speciali.
Sicut Susanna cælebs fuit ista monalis,
Nobilitas talis, proles fuit Imperialis.
Iusta, potens, fortis, clemens, ac horrida mortis,
Angelicis mixta sit turbis hac Comitissa.

Hi versus in tabulâ iuxta tumulum positâ adscripti sunt. Forsan legendum *cælebs fuit vt monialis.* Cælebs autem ponitur pro castâ. Infra duo alij leguntur, quos refert Meierus.

Anno Milleno migrauit cum quadrageno.
Quarto, & bis centum: quintinâ luce Decembris.

2. *Legitimos esse.* Refert ex Guisij tomo 3 Annal. ms. sc. Miræus Diploma, quod incipit: *Petrus miseratione diuinâ Catalaunensis Episcopus, Iudex* &c. Eo autem Ioannes & Bucardus de Auennis ex Bucardo nati legitimi esse declarantur. *Datum Remis anno Domini* CIↃCCXLIX *feriâ sextâ post octauam S. Martini Hiemalis.* Quam sententiam postea ratam habuit Innocentius 4. 15 Cal. Maij, anno Pontificatus sui octauo. §. 5. **Bucardi Auesn. filij legitimi.**

BALDVINI

BALDVINI IMP. CONST. SOBOLES

Hannonia.

BALDVINVS Imp. || Maria Cāpana.

Ioanna Com. Flan. & Hann. || Ferrandus Lusitanus. || 2 Thomas Sabaudus. ex neutro prolē tulit.

Margareta Comes Fl. & Hann. || Bucardus Auesnensis. || 2ᵒ Guillelmus Borbonius Dampetrę Dom.

B

Ex primo Ioannes Auesnens. Hann. Com. || Aleidis Guillelmi Cæsaris, & Comitiis Holl. soror.

Balduinus Auesnens. D. Bellimontis. || Felicitas de Coucy.

Ioannes || Agnes de Valēriā.

Ioannes. Balduinus. Sine liberis.

Beatrix = Henricus Com. Luxemburgens.

Henricus VII. Imp.

Ioannes Com. Hann. & Holl. || Philippa Luxemburgens.

Bucardus Metensis. Guillelmus Cameracens. Guido Vtraiectensis Episcopi.

Florentius Princeps Achaiæ, & Moreæ = Isabella filia Guillelmi Villehardu ynij.

Mathildis || Ludouicus Burgundus.

Ioannes immitis Com. Ostrouand. ob. ante patrem.

Guillelmus Bonus Com. Hann. & Holl. || Ioanna Philippi Franc. R. soror. post viri obitum monialis Fontatanellis.

A

Margareta = Robertus II Arthesiæ Com.

Isabella = Radulfus Clāromont. Neslæ Dom. Connestabilis Franciæ.

Aleidis = Guillelmus Pēbroci Com. in Angliā.

Maria = Ludouicus Borbonius à quo Borbonij.

Ioannes Bellimontis Dom. & Goudæ, Tholæ &c. || Maria (alijs Margareta) filia, & heres Hugonis Suession.

Ioanna || Ludouicus de Chastillon Com. Blesens.

Henricus Cameracensis Canonicus.

Guillelmus

A Guillelmus Bonus, vt s

- Ioannes, & Ludouicus pueri ob.
- Guilielmus Hann. & Holl Com. à Frisijs cæsus = Ioanna Brabanta.
- Margareta = Ludouicus Bauarus Imp.
  - Guillelmus 3 insensatus = Mathildis Lancastria. sine lib.
  - Albertus Dux Bauar. Com. Hann. & Holl.
    - ||
    - 1ª Margareta filia Ducis Brigæ.
    - ||
    - 2ª Margareta filia Adolfi Com. Cliuensf.
    - Ex 1ª Vxore Guilielmus 4 Com. Hann. & Holl.
      - ||
      - 1ª Maria filia Caroli 7 Regis Gall.
      - ||
      - 2ª Margareta filia Philippi intrepidi Burg. Ducis.
        - Ex 2ª Iacoba Bauara.
        - ||
        - Ex quatuor maritis non tulit prolem. quapropter eius hereditas ad Burgundiæ Ducem Philippum Bonum recidit.
    - Albertus Bauar, Dux.
    - Ioannes Episcop. Leod. postea duxit = Elizabeth. Luxemburg.
    - Catharina = Dux Geldriæ.
    - Anna = VVenceslaus Imp.
    - Ioanna = Albertus Austriacus.
  - Ludouicus Romanus Comes Tirolis.
  - Otto Marchio Brandeburgicus.
  - Anna monialis Fontanellis.
  - Isabella = Mastinus Scaliger Veronæ Dominus.
- Ioanna = Marchio Iuliac. pòst monialis Fontanellis.
- Philippa = Eduardus R. Angliæ.
- Elizabetha = Robertus Namurcensf. Dom. de Renaix postea monialis Fontanellis.

Margareta
||
2° Guillelmus Borbonius Dampetræ Dominus.
B

Guillelmus sine lib.

Guido Com. Fland.
||
1ª Mathildis filia & heres Roberti Bethunij.
||
2 Isabella Luxemburg.

Ioannes Com. Dampetræ, & S. Desiderij.

Maria Abbatissa Flinensis.

Ex 1ª
Robertus Bethunius Com. Fland. = 1 Blanca Sicil. Regis vidua. C
||
2ª Iole filia Odonis Ducis Burg. hæres Niuerniæ.
Guillelmus Teneramondanus. = Aleidis f. Rodulfi Nigellani
Balduinus.
Ioannes Episcop. Leod.
Guido Dom. de Rickebourg. = N.
Aleidis = Ioannes Luxemb.
Philippus = Mathildis Cortenaia Com. Theani & Loretæ sine lib.
Margareta = Ioannes Dux Brabantiæ.
Beatrix = Hugo Castellioneus. = 2 Florentius Holl. Com.
Ioanna = Guillelmus Iuliac.
Mathildis = Comes Blesensis.
Maria = Amedeus Com. Saband. iuxta Lindanum.
Ex 2ª vxore
Ioannes Com. Namurc. = filia Com. Claremont.
||
2ª filia Philippi Com. Atrebatens.

Ioannes.
Guido.
Philippus.
Henricus,
Ludouicus sine lib. omnes

Guido = Aleidis Barens. sine lib.
Henricus Com. Lodens. = Margareta Cliuens.

Margareta
||
Comes Vienn.
Ioanna = Theobaldus Barren. Dom. de Petra-ponte.

Margareta = 1° Alexander Rex Scotiæ.
||
2° Reginaldus Com. Geldriæ.
Isabella, seu Adeliza = Ioannes Dom. Pienne.
Philippa = Spōsa Eduardi Angliæ Principis.

C Robertus Bethunius vt s.

Ex 1ª vxore
Carolus sine lib.
Ex 2.
Ludouicus Com. Niuernensis
||
Maria filia & hæres Com. Retelij.
Robertus.
Ioanna = Enguerannus Couciacens.
Iole = Gualterus Anguianens.
Mathildis = Theobaldus Dux Lotharingiæ.

Margaretta = Ioannes Com. de Montfort.

Ludouicus Com. Flād. dictus Cresiacus.
||
Margareta filia Philippi lōgi Regis Gall. & hæres Comitatuum Burgundiæ, & Arthesiæ.

Ludouicus Malanus Com. Fland.
||
Margareta filia & hæres Ioannis 3 Ducis Brabantiæ.

Margareta
||
Philippus Dux Burgund. ad quem Brabantiæ Ducatum, Flandriæ, Burgundiæ, & Arthesiæ Comitatus attulit.

IN CAP. XVII.

1. CRux *præcedebat*. Ita Godefridus Monachus. Eum verò ritum nec in Codino, nec in alijs Græcis historicis legi. Dexterâ quidem Imperatores Crucem semper gestasse auctor est Codinus cap. 6. Et flammulum siue Crucem ἱςῶσι βασιλικὸν φλάμουλον, ἤτοι τὸ ςαυρὸν erigi præsente Imperatore: sed & lampadas, seu faces accensas præferri consueuisse idem narrat; de Cruce silet. §. 3. Crux Imperatores præcedit.

2. *Bertrandum Raisium.* Hæc Poëta Gallus eius ætatis, quem in Montmorencijs Quercetanus, sic refert loquentem. §. 5. De Pseudo Balduino antiqui rythmi.

Li parlement fut al Kesnoit,
Mahiu cil de Montmorency
Y fut venu, tant s'auancy.
Et pour conseiller la Contesse
Y vint Thomas de Lampreneſſe.
Mikios de Harmes sans desroy (De Harnes, fortasse.
Et plusieurs autre home ly Roy:
Que li Rois y faisoit venir
Pour la cose à droit maintenir
Et infrà. *Entre tant vint vne nouuiele*
A la Contesse forment biele (.i. valde pulchra)
Que pris estoit li barretere [impostor. à *barat* imposturâ]
Li faux Quens, li faux Emperere [Comes, & Imperator.]
Messire Erard de Cassenay
L'auoit retenu par assay [dum experiretur, sciretq; quis esset]
A Rouges-mont, en vn hostel,
Où il contoit & d'vn, & d'el.
Et facies K'il ert menestreux [erat citharœdus]
En son païs vaillant, & preux.
Et mout l'aimoient cil del païs.
S'ot à nom Bertrand de Rais [habuit nomen]
Et s'ot à nom Bertrand li clos [clos significat iocos, lepôres]
Pour ses dits, & pour ses boins cos [res bonas, seu lepidas]

N'ot tel gilleur iusqu'à Bordiele [*gilleur* facetus, fabulator]
Se Pere ot nom Pierre Cordiele,
Si ert om Monsieur Clarambaut [erat cliens]
De Capes, qui mout scait, & vaut.

Hæc ille. Alius quispiam eiusdem etiam prope ætatis Poëta Insulensis, eo libro, quem *Le Romant de Bauduin* inscripsit, hos rythmos inficetissimos refert de morte Bertrandi illius, quem Balduinum fuisse putat.

En le Halle de Lille fut le Conte pendus:
Dont mout furent les gens dolens, & esperdus.
A le Salle à Saint Pierre sont les bourgeois courus;
Le Contesse trouuerent su vn banc seant ius;
Le fait luy ont conté, dequoy ils sont esmeus;
Mais elle leur respond: N'en donray-ie vn fetu;
Ains estoit mout liée, s'en gracioit Iesus,
Que ainsi fut pendu Bertrand li malestru.

Et infrà. *Ienne le Contesse, sans nul arrestement:*
Le Preuuost de Tournay fit leuer vistement.
Et ceux qui occis furent auec luy ensement [simul]
Et les fit enterrer auec luy noblement.
Et sen Pere despendre fit elle plainement,
Dessus vne karette le mit on pauurement,
Et dalez Los l'Abie le fit on pendre au vent.
Oncques Prince ne fut trahi plus faussement.

Ita scilicet quam semel plebecula menti impressit, ægrè quibuslibet rationibus adducitur, vt opinionem primam deponat.

IN LIB. V. ET VLTIMI CAP. I.

§. 5. Lemnos.

1. L*emnum.* Aegei maris insulam: quam hodie Stalimene vocant Itali: corrupto Græcorum recentiorum vocabulo. Hi quippe, pro εἰς τὴν λῆμνον, dicunt στὸ λίμνι. Quo pacto putat Geufræus *Stamboul* à Turcis eo dictam esse Constantinopolim: quòd Græci dicant στὸ πόλιν, pro εἰς τὴν πόλιν *In vrbem.* Lemni insulæ vrbem primariam

siam Myrinam quondam dictam esse censet Bellonius. Qui de eius terrâ, quam Sigillatam dicunt, pluribus disserit Obseruat. lib. 1. cap. 23.

IN CAP. II.

1. AGnetem filiam. In veteri Gallico legitur: *qu'il auoit enuoyé sa fille en galiés à la Cité de Daine.* Infeliciter hîc alucinatus est Vigenerius: & pro *galies*, quod triremes significat, Gallipolim reposuit. §. 1. Villeharduynius explicatus.

2. *Fons*: πηγὴ seu πηγαὶ templum celeberrimum Constantinopoli extra mænia. De quo *Nicephor. Callist. lib. 15 Histor Eccles. c. 25 & 26.* quem citat Gretzerus noster in Notis ad Codinum. Non modò autem fons ille aquâ, sed etiam curationum copiâ scatere dicitur à Cantacuzeno lib. 4. cap. 1. vbi Helenam filiam, Ioanni Palæologo nupturam, tradit huc diuertisse. Inter Galatæ, seu Peræ templa, S. Mariæ χρυσοπηγῆς eminere ait Turcogræcus. Templum fontis.

3. *Marmora.* Proconnesum sic hodie dici auctor est Ortelius, Bellonius, & ante eos Curopalates. Hæc eadem quoque Elaphonesus, & Neuris appellata est Plinio, & Stephano. Fortassis, inquit Ortelius, à marmore, quod inde Cyzicenum dicitur, id nomen traxit. Propontis ab eâ insulâ hodie *Mar de Marmora* nuncupatur. §. 6. Marmora.

IN CAP. III.

1. CAlamum vicum. Vertit Interpres: *Calamum comum.* Quid sibi porrò vult Comus ille? In Græco est κώμος ἢ ἐστιν ὁ κάλαμος· κώμη proculdubio scriptum fuisse, vel ipse accentus indicat. Quanquam & κώμος pro κώμη, quod vicum significat, recentioribus in vsu esse potuit. §. 2. Calamus.

2. *Celbianum.* Confer quæ suprà lib. præced. c. 5. §. 1. diximus, vbi de Lascaris ditione egimus. De his ita Leun- Celbianum.

cla. in Pand. Turc. c. 39. *Germianum Asiæ minoris pars est, quæ Cariæ veteri, cum parte Lydiæ Mæoniæq; respondet: quatenus ad mediterranea, Phrygiamq; maiorem hac tendunt. Nomen ipsum Germiani vnde factum sit, certò dicere non possum: nisi velimus à Germe deriuari, quod oppidi & Episcopatus nomen est in Leonis Augusti Nouellâ de Thronis, Cyziceno Hellesponti metropolitano in Asiâ subditi. Prætor noster* (vel ex hoc videas eundem illum esse cum Logothetâ nostro) *qui et plus minus annis ante Chalcocondylem suam scripsit historiam: videtur in locis Germiano respondentibus regionem Callianum, siue Celuianum ponere; quum narrat* (ea autem nos retulimus l. 4. c. 5.) *Theodorum Lascarim accepto Imperio Celuianum vniuersum cum Mæandriâ regione, Philadelphiâ, & Neocastris occupasse.* Hæc ille, qui & addit Mæandrum amnem, qui hanc ambit regionem, *Madre* hodie dici. De Germiano plura Laonicus, & nos ex eo, suo loco referemus.

IN CAP. IV.

§. 1. Draimium. 1. D*Ramium.* Draimes vocat M. Sc. Codex noster, forsitan Dirama, vel Dire est, quam Doari recentiores vocant Geographi: atque ad Singiticum Sinum collocant; quem hodie *Golfo de Monte Santo* nominant.

§. 2. Citros. 2. *Citros.* Citros in Nouellâ Leonis Imp. Episcopatus est Thessaliæ, sub Metropolitano Thessalonicensi. Olim Pydna fuit secundum quosdam.

§. 3. Hermæum. 3. *Hermæum.* Logotheta: ὡς ἑρμαιον ἰδῆξαν. ἑρμῆς siue Mercurius πλουτοδότης, hoc est lucri largitor, credebatur; vnde si duo iter facientes fortè in aureum numum, aut quid eiusmodi inciderant: κοινὸς ἑρμῆς statim inclamabant: hoc est lucrum insperatò nobis ab hocce Deo obiectum vtrique cedat. Quod & nos Belgæ prouerbium hodieque vsurpamus.

IN

IN CAP. V.

1. PEtro Cortenayo. Quæ de hoc Imperatore narrat Logotheta vehementer implexa sunt, & hiulca v. g. πέτρον &c. ἀνηγορευμένον πρὸς τοῦ πάπα βασιλέα, καὶ προχειρωσάμενον τὸ δυῤῥάχιον. ἐκ τοῦ λατίνων μέρους βαλδουίνου, ἐπ' ἀδελφῇ Ἰωλέντῃ· ἧς αὐτῷ παῖδες φίλιππος &c. vertit Interpres: *Balduinus ex sorore Iolentâ hanc sobolem propagauit.* Sed emendauit in libri calce. Legendum verò in ipso textu. πέτρον προχειρωσάμενον τὸ δυῤῥαχ. ἐφόνευσε scilicet Theodorus Angelus, de quo est sermo. Tum deinde ἦν ἐκεῖνος ἐκ τοῦ Λατίνων μέρους, βαλδουίνου ἐπ' ἀδελφῇ ἰωλέντῃ γαμβρὸς vel quid simile (γαμβρὸς enim non modò gener, sed sororius Græcis est. Prisci sororios ἀελίους vel ἀιελίους dicebant teste Eustathio in Iliad. 3.) sequitur ἧς &c. Paulò infrà vbi dixit Robertum regnasse ex cessione fratris Philippi: ὑπῆρχον (inquit) σφίσι καὶ ἀδελφαὶ μαρία &c. *Erant ijs sorores Maria nupta Theod. Lascari.* Cæteræ omissæ sunt librarij incuriâ. Ineptè autem Gregoræ interpres bino in loco ἀδελφὴν ῥομπέρτου *consobrinam* vocat in f. l. 1. Robertus item malè in Logothetâ f. 19 edit Lugduno Bat. ἀδελφὸς Henrici vocatur, pro ἀδελφιδοῦς. §. 1. De Petro Cortenayo emendatus Logoth.

2. *Mariam Hungariæ Regis filij vxorem.* Non ipsius Regis vxorem, vt interpres transtulit: τῷ ῥηγὶ οὐγγρίας διερχομένῳ τὴν αὐτοῦ χώραν διὰ ἱεροσολύμων, εἰς κῆδος ἐπὶ τῷ υἱῷ παραδίδωσι. §. 3. Item.

3. *Anna.* Non rectè Logotheta cum Annâ confundit Irenen; nisi fortè vtrumque nomen gestarit, quod non est vero absimile. Nam Lascaris vxorem, Alexij Tyranni filiam, Irenem vocat Gregoras, patris prolem vnicam: Annam Logotheta. Et hic.

4. *Familiæ seriem.* In Bonifacij, tam præclarè de totâ hac expeditione meriti, gratiam; Montferratensium familiam hic explicabo: ex Sabellico, Volaterrano, Guacio, Ben-venuto, Menochio, Gregorâ &c. desumptam. §. 5. Montferratensis familia.

MONT-

MONTFERRATENSIVM MARCHIONVM GENEALOGIA.

Bonifacius Marchio Montferr. & Rex Thessaliæ creatus anno 1204. obijt anno 1207.

N. Vxor prima.

- Agnes = Henricus Imp. Constantinop.
  - Puer breuis æui.

2ª Vxor. Maria Hungarica Isaaci Imp. vidua.

- Guillelmus Rex Thessaliæ, eo regno exutus anno 1215. obijt anno 1270. = Vxor Constantia filia Amedæi Sabaudiæ Comitis.
  - Guillelmus, vel vt alij Bonifacius Marchio Montfer. = Vxor Beatrix Hispana.
    - Ioannes = Margareta Sabauda sine liberis.
    - Iolantha vel Iole, vel Irene à Gregorâ, & alijs dicitur filia sororis Regis Hispaniæ, & neptis Bonifacij Regis Thessaliæ. nupsit anno 1283. annos nata XI = Andronico Imp. Constantinop.
      - Ioannes Imp. Const.
      - Demetrius.
      - Theodorus Palæologus Marchio Montferrat. cuius inuestituram accepit ab Henrico Imp. VII. anno 1310. = Vxor Argentina Spinula.
        - Ioannes Palæologus March. Montf. = Vxor Elisabetha, filia Regis Maloricæ.
          - Theodorus 2 Vicarius Imperij per Italiam. obijt anno 1418. = 1ª Vxor Ioanna Barri Dux. = 2ª Margareta filia Principis Achaiæ.
            - Ioannes Iacobus March. Monf. obijt anno 1445 = Vxor Ioanna Sabauda.
              - Ioannes obijt anno 1465. sine liberis
              - Bonifacius = Maria Despoina.
                - Guillelmus = Anna Alensonia filia Renati.
                  - Bonifacius ex equo lapsus obijt sine prole anno 1530.
                  - Margareta = Fridericus Gonzaga Dux Mantuæ; à quo Gonzagarum Mantuæ Ducum familia.
                - Ioannes, vel Iuan, aut Zuan Georgius Abbas primùm, dein fratre defuncto duxit = Iuliam Arragoniam ex quâ non tulit prolem.
              - Guillelmus ob. anno 1485. ei Heroldus non dat liberos. Alij verò.
                - Blancam nuptam = Carolo Duci Sabaudiæ 5. anno 1485.
                - Ioannam sine liberis.
            - Sophia, vel Anna = Ioannes Imp. Constant.
          - Guillelmus.
          - Otto.
          - Ioannes.
            - sine liberis.
        - Iolanta = Amedæus, vel Aimo Sabaudiæ Comes, à quo Sabaudiæ Comites.

5. *Aseldecaë.* Quin is Anselmus de Caieu fuerit, nullus dubito; cuius autem gener fuerit, ex alio loco id disquirendum. Igitur pag. 38. sic ait Logotheta: ἦν δ' ἐκεῖσε (scilicet Tzuruli) ἀσελδεχαὲ γυνὴ ἀδελφὴ τῆς βασιλίδος εἰρήνης καὶ εὐδοκίας. ἡ μὲν οὖν ἀσελδεχαὲ ἐκαρτέρησεν. lege sic. τοῦ ἀσελδεχαὲ γυνὴ &c. tum: ἡ μὲν οὖν τοῦ ἀσελδεχαέ. *Mariæ igitur Lascarinæ maritus fuit Anselmus de Caieu.* At Regis Hungariæ filio paulò antè data fuit. Sponsata, non nupta. Malè Interpres: *Aseldecaë filiæ suæ maritus.* Quò enim referatur suæ? (vt barbarum non sit) non ad Batazen, de quo nullus sermo; imò infrà: γυναικαδελφὴν Batazæ vocat, Anselmi, seu Aseldecaë vxorem. § 6. Aseldecaë. Logotheta emendatus.

Eiusdem Logothetæ pag. 24. παρέυριον τόπον, ὃν χλοκοτινίτζαν ὀνομάζουσι. *Pareurion,* vertit. Meliùs. *Locum ad Eurum,* seu *Hebrum fluuium,* de quo sermo paulò antè. Et eius interpres.

Pag. 25. βαρύτερον ἀποστάτην. vertit *Barotoruntem defectorem.* Quis ille sit prorsus nesciō. βαρύτερος, grauis & molestus est.

Pag. 26. Ex Reginâ coniuge suâ, Batazes filium tulerat ᾧ καὶ κλῆσις τοῦ πάππου ἐπέθετο. *Cui,* inquit Interpres, *auunculi nomen inditum.* Imò aui; Theodori scilicet.

IN CAP. VI.

1. RELIQUIAS. Inter illas multùm eminent Corona Christi spinea, & Crucis lignum eximiæ magnitudinis. Pars catenæ ferreæ quâ Seruator vinctus fuit. Lanceæ cuspis, quâ sacrum eius latus apertum est. Arundo cum spongiâ. His reliquijs pro decore asseruandis, ædem illam regiam, quam S. Capellam vocant, Parisijs S. Ludouicus exstruxit, & Canonicorum Collegio nobilitauit. § 3. Reliquias.

2. *Vt de Aetolis.* Eorum sobolem accuratè pertexere difficile est, ne dicam impossibile. Ex Logothetâ, Gregorâ, Nicetâ, Laonico, & huiusmodi desumenda est; qui non modò inuicem, sed secum ipsimet non rarò pugnant. Fere tamen est eiusmodi. § 4. Angelorũ Aetoliæ & Thessaliæ Principum series.

PATRVVS ALEXII IMPERATORIS

N.

- Constantinus
- Michael Aetoliam & Epirum occupat.
- Manuel || filia Asani.
- Theodorus, pellit nepotem, postea capitur.

Michael nothus ad quem totâ cognatione extinctâ rediijt hæreditas. || Theodora Petralypha. || Pellex.

- Ioannes Rex Thessaliæ, tum Despota
- Demetrius ab Michaele Palçologo exutus
- Irene || Asanes.
- Anna.

Children of Michael and Theodora Petralypha:

- Nicephorus = Maria fil. Theodori Lascaris Imp. Altera = Anna Michaelis Palæologi consobrina
- Ioannes.
- Michael.
- Anna = G. Villeharduinius Achaiæ Regulus.
- Helena || Manfredus R. Sicil.

Children of Michael and Pellex:

- Ioannes nothus Thessaliæ Rex
- Theodorus nothus.

Ioannes Ducas.

Children of Nicephorus:

- Thomas = Anna filia Michaelis Imp.
- Filia nupta N

Ioannes = Anna Protouestiarij filia. Hic fratrem occidit, vicissim ab alio interfectus

Nicephorus, & alij incogniti.

Quod

Quod ad hanc stirpem attinet; aduerte quædam.

1\. Contus non Comitem, sed paruum recentiori Græcorum linguâ significat. Notæ in eam.

2\. Michaëlis Nothi dicitur à Gregorâ συμπενθερὸς ὁ Θεόδωρος βασιλεὺς. Quod malè vertit Interpres: socer. συμπενθεροὶ apud Græcos ij sunt, quorum liberi inuicem matrimonio iuncti sunt; quales erant Nicephorus Michaëlis filius, & Maria Theodori Imperatoris filia.

3\. Michaëlis Nothi vxor Theódora. vnde in Logothetâ pag. 47 vbi legitur versu 4. ἡ τοῦ δεσπότου γυνὴ Μιχαὴλ Θεοδώρου, repone Θεοδώρα.

Eadem pag. ὁ Κομνηνὸς Μιχαὴλ ἡγεμονίαν τῶν ῥωμαϊκῶν εἰληφὼς vertit Interpres: *Imperium Romanum sortitus.* Malè; nec enim de Palæologo, sed de Angelo Michaële, qui & Comnenus dicebatur, hîc sermo est. Et hic non Imperator, sed Dux τῶν ῥωμαικῶν, scilicet τάξεων Romano-Græci exercitus fuerit.

Quædam alia in Logothetâ emendata. Logotheta, eiusq; interpres emendatus.

Pag. 50. νόσῳ δέ τῇ ὁ βασιλεὺς περιπέπτωκε. vertit *Constantinum*, (scilicet Bulgarum) *morbus inuasit.* At de Theodoro Græcorum Imperatore, non de Constantino agit, quem non βασιλέα, sed κράλιν, vel ῥῆγα vocaret.

Pag. 51. Recensentur seditionis auctores, qui à Rege Theodoro malè olim habiti fuerant; vnde non rectè legitur, & vertitur: ὁ φίλης Θεόδωρος, ὃν καὶ τετύφλωκεν ὁ Ζαγαρομίτης. *Theodorus Philes, quem Zagaromites excæcarat.* Sed τὸ, τετύφλωκεν, commate claudendum, vt ad Regem Theodorum referatur; & Zagaromites sit inter coniuratos.

3\. *Canicleo Præfectum.* De hoc officio agit Codinus de officijs c. 2. cuius tanta dignitas erat, vt huius Præfecti filius Imperatoris gener esset, Vt est apud Gregor l. 7. & Cantacuz. l. 1. Aliquando vno vocabulo κανακλείων Canacleius vocabatur, Tyrio l. 22. c. 6. Canaclinus, Gunthero Ligurino l. 8. Caniclinus. §. 6. Canicleo Præf.

Hinc Caniclinus erat, nobis Camerarius idem Esse potest. Ra-

deuicus Cancellarium interpretatur libi 1. *De gestis Friderici Imp.* c. 47. Verùm ordinis superioris fuisse conuenit. Erat autem Canacleum augustissimum, & magnificentissimum Palatium, cui sub Theophilo Iconomacho praeerat Theoctistus: tantæ vir auctoritatis, vt quasi secundus Imperator esset; teste Zonarâ in Theophilo. Adiunctum erat palatio Monasterium eiusdem nominis.

Magnus Domesticus. 4. *Magno Domestico.* Quid sit Domesticus in Iure ciuili, & apud alios passim scriptores Græcos, & Latinos explicat Cuiacius ad lib. 12 Cod. Iustin. ad tit. 12. & Greg. Tolosas l 6. Syntagm. c. 8 Ex sententiâ Citrij apud Græcos significat Præsidem, Præfectum. προηγούμενον, ἢ ἐπιστάτην. Vt autem Domestici nomen sonantius esset, vocula μέγας appingenda fuit. Quæ duo Latini interdum coniungunt, & Megadomesticum dicunt. vt Tyr. l. 2. c. 5. Suidas. Δομέστικοι δὲ τῶν ῥωμαίων λέγονται οἱ κατὰ ῥωμαίους οἰκειακοὶ στρατιῶται. Cassiodorus verò Domesticos non solùm equites: verùm etiam pedites facit; vt & Notitia Prouinciarum. Huius Magni Domestici officia Codinus varijs in locis recenset: aitque eum ensem coram Imperatore præferre mensæ ministrare, caput esse fossati, seu exercitus, metari castra, & similia.

Primicerius. 5. *Magno Primicerio.* De voce Primicerij, Secundicerij, Terciocerij, vide Cuiac. ad tit 7. l. 12. Cod. Iustin. & Onuphrium in explicatione vocum obscurarum Ecclesiasticarum, & Petrum Gregor. l. 15 Syntagm. c. 22. Est Primicerius Lectorum, Primicerius aulæ, Primicerius Domesticorum. Quod ad ipsum vocabulum attinet, non improbabiliter arbitratur Cuiacius, illud *cerius* esse tantùm productionem verbi, sine vllâ nouæ significationis additione: vt idem sit quod primus, Secundicerius idem quod secundus; vti de πυλῶ suprà dicebamus. Alij à cerâ deducunt. Magni Primicerij officium est sceptrum Imperatoris seruare: caput est turmæ Imperatoriæ in fossato, seu exercitu. &c. quæ vide apud Codinum.

Aulon. 6. *Aulonis.* Valona, vel *La Valona* hodie dicitur. Sita est in

in Albaniæ, vel Epiri orâ, quæ Iapygiam Italiæ regionem, vbi Hydrus, seu Otranto ciuitas est, respicit, Hadriatico sinu ab eâ disiuncta, & Belgrado vicina. Leonis Aug. Nouella de Thronis Auloniam recenset inter Episcopatus Metropoli Dyrrhachinæ subiectos; & à Const. Porph. ponitur in Themate Dyrrachino.

7. *Villeharduynius.* De eo hæc Logothetæ verba intelligenda esse existimo pag. 40. καὶ ὁ Αλβανοῦ γουλάμος μετὰ στρατοῦ, πρὸς καστορίαν διάγων, σύνευνον ἔχων καὶ τὴν αὐτοῦ ἀνεψιὰν τῆς βασιλίδος εἰρήνης, πρωτεξαδέλφης αὐτῆς θυγατέρα προσῆλθε τῷ βασιλεῖ vertit: *Albani quoque Guillelmus ex Castoriæ limitibus, cum exercitu mouens, se coniunxit; eius ille consobrinam in matrimonium habebat Irenes Reginæ filiam.* vbi sine dubio legendum: ἐν τῷ ἀλβάνῳ, vel ἐκ τοῦ ἀλβάνου; expungendum αὐτοῦ, vel substituendum αὐτῆς vertendúmque: *Ex Albano Guillelmus, cum exercitu iuxta Castoriam agens: qui vxorem habuit consobrinam ipsius Irenes Reginæ, natam ex ipsius patruele, cum Rege congressus est.* Erat autem Anna Guillelmi coniux neptis Petralyphæ. §. 7. Guill. Villeharduynius.

Nicolaus Camusatus, quẽ suprà retulimus in historiâ suâ Trecensi nonnulla Diplomata, & Epitaphia recenset, quæ Villeharduynij posteritatem illustrabunt, si huc referantur.

Quoniam labente temporum curriculo &c. Ego Gaufridus de Villaharduini Romaniæ Senescallus, Abbatiam Saphadini in honore S. Saluatoris fundatã, Ecclesiæ B. Lupi Trecensis, priùs à Domino Simone de Legni, præterea à Domino Gerardo de Germignom eidem in perpetuam eleemosynam, cum omnibus suis pertinentijs datam, & etiam cum duabus carrucatis terræ, quas ego prædictæ Ecclesiæ pro salute animæ meæ dederam &c. concedens prædictæ Abbatiæ medietatem omnium decimarum totius terræ Domini de Germignom. &c. Actum Anno MCCIX *Idibus Septembris.*

Geruasius permissione diuinâ S. Constantinopolitanæ Ecclesiæ Patriarcha, dilecto filio Guerrico Priori S. Saluatoris Mothonensis Diœcesis, salutem, & Patriarchalem benedictionem &c. Donationem tibi, & Ecclesiæ S. Lupi Trecensis, per Vener. fratrem

O. Episcopum Coronensem super Ecclesiam S. Saluatoris, quæ dicitur Abbatia Saphadini, cum medietate omnium decimarum totius terræ D. Simonis de Leigni, quam terram nunc tenet Dominus Roes de Legni factam &c. Confirmamus. Datum Corinthi Anno Domini MCCXVI. IV *Cal. Iunij. Pontificatus anno primo.*

In Capitulo Monasterj Ripatorij.(de l'Ariuour) Trecen. Diœc.

Hic iacet D. Guillermus de Villi Marescallus Campaniæ.

Hic Cruce signatus obijt, peregreq; paratus,
Gaudet in Cælis, miles bonus atque fidelis.

Ob. ann. MCCXLVI. VI. *Id. Iunij.*

Aliud. *Hic iacet D. Guillermus Dominus de Villahardiuni, filius Marescalli Campaniæ. ob. an.* MCCLXIV. VI Id Nouemb.

Aliud. *Hic iacet Domina Margareta de Mello Mareschallissa Campaniæ ob. an.* MCCLIII. IX *Cal. Martij.*

Aliud. *Hic iacet Margareta filia Guillermi de Villahardiuni. ob. an.* MCXLII. *mense Ianuario.*

IN CAP. VII.

§. I. 1. Scipio. μοῖρα δὲ ὡς πόλεων ἐςὶν ὥσπερ ἀνδρῶν. Fatum est vrbium, vt virorum.

Ans. de Kaieu. 2. *Anselmus de Kaieu.* Logoth. ἐπῆλθε γοῦν κατ' αὐτῆς ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ ἀσὲλ ἐξαπατημένος. Non constat syntaxis: nec Asel erat Imperatoris frater; legendum ergo. ἐπῆλθε γοῦν κατ' αὐτῆς [δηλαδὴ κωνσταντινουπόλεως] καὶ τὼ ἀδελφὼ (scilicet Ioannes Sebastocrator, & Constantinus Cæsar Imperatoris fratres) ὑπ' ἀσὲλ ἐξαπατημένω. *Abijt aduersus eam* [Constantinopolim] *& fratres eius duo, ab Asel deceptus.*

§. 3. Camp. 3. *Campus.* Logoth. καὶ πῦρ ταῖς οἰκίαις τῶν λατίνων ἐνέβαλον περὶ τὸν αἰγιαλὸν κειμέναις. &c. ἃς καὶ κάμπους ὠνόμαζον. *Ignem iniecerunt in domos Latinorum, ad littus sitas: quas Campum nominabant.* Hic Douza affert Codini de rebus patrijs Const. locum pag. 40. εἰς κάμπον τοῦ τριβουναλίου. Et Diaconi alterum itidem de campo suburbano Byzantij. Sed neuter, meo iudicio ad hanc rem facit; vt qui de

de areâ aliquâ agant: quam Latino vocabulo Græci Campum dicerent. Hîc verò non de areâ, aut aperto loco, sed vrbis parte domibus consitâ sermo est; in quâ quòd olim Latini Socij post vrbem captam, dum pecunia pacta penderetur, castra posuissent: quæ Gallico vocabulo, non Latino *Camp* dicimus; id nomen à Grecis etiam vsurpatum fuit.

4. *Is equus hinnitus dedit.* Varia eiusmodi monstra mortem alicuius portendentia ab Auctoribus narrantur. Panormi nobilis est, teste Cardano, domus: in quâ vbi de eâ familiâ cuipiam mors imminet, anus effætæ species sub principis cubiculi camino cerni solet. Lusignani Pictonum castro, cum eiusdem familiæ aliquis moriturus erat, distinctè circa arcis muros eiulatus, stridoresque audiebantur. Narrat Leonardus Vairius Hispanus in Monasterio S. Mauritij in finibus Burgundiæ ad Rhodanum stagnum esse: in quo tot pisces asseruentur, quot in eo degunt Monachi; quorum si quis letho proximus est, eorum piscium vnus triduo, vel quatriduo antè aquis immortuus supernatat. In alio Germaniæ Inferioris Virginum asceterio, morituræ Virginis species, alijs se visendam paulò antè præbet, quàm ea decedat. Sexcenta sunt eiusmodi. Portenta varia.

5. *Calyptra Latinæ formæ.* Cuius fuerit non liquet. Pilei Græcorum Imperatorum erant oblongi, & acuminati pyramidis instar, & gemmis exornati. Logotheta, à Bulgaris captas ait: τοῦ βασιλέως πυραμίδας, & infrà. καὶ τὰ μὲν ἐρυθρὰ πέδιλα ἀπέβαλλεν, καὶ τὴν περιμάργυρον πυραμίδα. Cuius formæ pileum à Barbaris mutuati videntur. Nicet. l. 2. Andron. Comn. πῖλον βαρβαρικὸν τῇ κεφαλῇ περιθέμενος, ὃς εἰς ὀξὺ λήγων πυραμίδι εἴκασται. Barbaricum vocat pileum, instar pyramidis fastigiatum. Pilei Græcorum Impp.

6. *Quo anno.* In Logoth. sic legitur, Ἑάλω τῆς Ἰουλίου ἀγόντος κέ, ἐπινεμήσεως δ. ἀπὸ γενέσεως τοῦ κόσμου ἔτους ὄντος Χριστοῦ ψξθ΄. ὑπὸ Λατίνων κρατηθεῖσα χρόνους πεντήκοντα, καὶ ὄντως μόνους. εἶτα ἀπετίναξεν αὐτοὺς σὺν θεῷ, ἑάλω τῆς ϛψιϛ. Ἀπριλλίου ιβ΄. Hæc ita restituo. delendum Χριστοῦ, vel ad- §. 4. Logoth. emendatus.

dendum

dendum ἀσξά. Dein præfigendum ϛ anno ab orbe condito ϛ. quæ nota valet 6000. ϛψξϑ cætera consonant.

Baiulus. 7. *Baiulum, Potestatem.* Hæc duo quoniam enuntiare vix Græci possunt, τὸ μ. præponunt, scribuntque μπαΐουλον, μποτεςάτα. sic ῥόμπερτος pro Roberto.

§. 7. Michael Imp. nouus Constantinus. 8. *Nouum Constantinum.* Sic in Monasterio Constantinopoli, quod Græci Sulana vulgò vocant (antè Periblepta, seu Spectatissimæ Deiparæ dicebatur) seruitque Armeniorum sacris: versus Occidentalem partem templi, Michaël Palæologus Imp. cum Theodorâ Augustâ pictus conspicitur, inter vtrumque parentem collocato Constantino filio. Primæ imagini adiecta est hæc Epigraphe.

ΜΙΧΑΗΛ ΕΝ ΧΡΙΣΤΩι ΘΕΩι ΠΙΣΤΟΣ ΒΑΣΙΛΕΥΣ, ΚΑΙ ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΔΟΥΚΑΣ ΑΓΓΕΛΟΣ ΚΟΜΝΗΝΟΣ ΚΑΙ ΝΕΟΣ ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΟΣ.

§. 8. Porphyrogeniti. 9. *Constantinum Porphyrogennetam.* Vnde Porphyrogeniti nomen fluxerit disceptant Auctores. Credo ego non aliâ re ita dictos, quàm quòd patre iam Imperatore, & purpurâ Imperiali decorato nati essent. Ita Zonaras in Constantino Ducâ. *Imperium reliquit tribus filijs suis, quos sustulit ex Eugeniâ coniuge suâ; Michaëlem quidem, & Andronicum: quando adhuc priuatam vitam ducebat; Constantinum verò cùm imperaret, & ipsâ etiam Eugeniâ ad Augustæ honorem vnctâ. Hinc iste solus erat Porphyrogenitus.* Alij volunt à Palatio deductum, quod erat Constantinopoli, & dicebatur πορφύρα vel Purpura: parientibus Imperatricibus destinatum. Id expressè tradit Anna Comnena lib. 6. Alexiados, vt refert Gretzerus in Notis ad Codinum. Idem ait Luitprandus lib. 1. c. 2.

NOTÆ

NOTÆ

IN LIBRVM DE EXCIDIO GRÆCORVM.

IN CAPVT PRIMVM.

1. AGarenos. Agareni Auctore Iosepho Scalig. De emend. temp. l. 2. ab ipsis etiam veteribus Arabibus vocantur *Elmahgerim*. Et Psalmorum paraphrastes Arabs ἀγαρηνοὺς vertit *Mahgerim*, vel *Mahgarim*. in ps. 83. Inde μαγαρίζειν, & μαγαρισμὸς apud Cedrenum, est μαομετίζειν, & μαομετισμός. Et verò Turcos hodieque Persæ vocant Mogores. At eo etiam nomine sese appellant Hungari. Et apud Cedrenum Crales Turciæ significat Regem Hungariæ; sæpiusque repetit Vnnos, & Vngros dici Turcos. Eginhartus quoque Caroli Magni vitæ scriptor Vngros, & Magores eosdem esse tradit. §. 1. Agareni.

2. *Vt eorum* XXII Leunclauij hæc sunt verba in *Pand. Turc.* c. XI. tum subdit: *Præmittitor id etiam hunc annum Christi* CIↃIↃLXXXVII, *quum inciperet, fuisse computatum à Turcis pro Mahumetano* IↃCCCCXCIV. *Quippe licet hoc intelligere de verbis vltimis in Diplomate Sultani Murathis* 3, *quo continetur prorogatio pacis cum Rodulpho* 2. *Imp. Augusto. Leguntur enim isthic hæc in extremo verba: Die primo proximi mensis Ianuarij, anno Domini Iesu, supra quem sit gratia, & auxilium diuinum* CIↃIↃLXXXIV. *qui erit annus Transmigrationis Magni Prophetæ nostri, supra quem sit gratia salusque diuina* IↃCCCCXCI: *die* XXVII *Sacræ Lunæ Silchidze. Quibus in verbis notandum annos Mahometanos Turcis vsitatos, non eosdem esse cum annis Hegyræ, quæ incipit à natiuitate Mahumetis, videlicet ab anno Christiano* IↃXCII. Ita ille. Imò annus Hegyræ, & Transmigrationis idem est plerisque omnibus, qui eà de re scripserunt: quemque inchoant ab anno IↃCXXII iuxta quam rationem bene procedit hæc supputatio. Nam si ab eo anno ducantur IↃCCCCXCI anni, fiet numerus §. 2. Anni Mahometani.

CIƆIƆCXIII. quia porro Lunares sunt, atque adeo singulis XXXII, vnus demi debet, vt Solares annos adęquent: iam verò in prædicto numero IƆCCCCXCI semel & trigesies numerus XXXII continetur, ergo de CIƆIƆCXIII triginta & vno demptis consurget annus CIƆIƆLXXXII. Quia verò XXXII Lunares superant aliquanto XXXI solares: ista additamenta trigesies multiplicata pæne annum conficiet & sic fiet annus CIƆIƆLXXXIII completus. Hunc autem Mahometani defectum sic supplent. Celebrandi Bairami, seu Paschatis tempus singulis annis anteuertunt diebus vndecim; qui dies embolismi fere loco sunt ad complendum annum Lunarem. Nam si dies vndecim putentur trigesies & semel, efficient dies CCCXLI, qui paulò minùs, quàm integrum annum constituunt, addendum triginta & vni Mahumetanis annis.

§. 4. Patriarchæ Mahometanorum.

3. *Quatuor Patriarchæ*. Ita Postellus. At verò Constantinus Porphyrogenneta. De Admin. Imp. c. 35. longè aliter hæc tradit: *ἰστέον δὲ τρεῖς ἀμερθμνεῖς εἰσὶν ἐν ὅλῃ τῇ Συρίᾳ ἤγουν ἐν τῇ τῶν ἀράβων ἀρχῇ. ὧν μὲν ὁ πρῶτος καθίζεται ἐν ἀφρικῇ· καὶ ἐστὶν ἐκ τῆς τοῦ Αλὴμ γενεᾶς* &c. *ὁ δὲ τρίτος καθίζεται ἐν ἰσπανίᾳ. ἐστὶ δὲ ἀπὸ τῆς γενεᾶς τοῦ μαβίου.* Hæc omnia vel corrupta à librario, vel perperam à Constantino tradita. Et secundi quidem nihil meminit. Legendum forsan *πρῶτος καθίζεται ἐν τῇ βαγδὰδ, δεύτερος ἐν ἀφρικῇ.*

IN CAP. II.

§. 1. Turci, Hunni.

1. H*vnnorum populares*. Vide quæ diximus in Notis ad cap. 1. §. 1. Auares porrò Hunni dicuntur à Zonarâ, Eustathio, Cedreno, Simocattâ. Et hic quidem Hunnos Turcos dici ait l. 1. c. 3. & 8. *οὖννοι δὲ οὗτοι προσοικοῦντες τῇ ἐφ περσῶν πλησιόχωροι, οὓς καὶ τούρκους ἀποκαλεῖν τοῖς πολλοῖς γνωριμώτερον.*

§. 3. De Titulis Turcarum Impp.

2. *Sultano*. Vt semel his me nominibus expediam, hæc habe. Non eundem titulum Mahometani Principes vsurpant; imò nec ipsi Turcæ eundem semper, sed pro

tempore

temporo varios gestauerunt. Primò Scachi dicti sunt; quę appellatio procerum erat apud Persas, quomodo Don apud Hispanos, & Italos. Cossorath apud Aythonum corruptè legitur, pro Cosroas Scach. Tum Padischach dici cœpti sunt, quod Pantocratora interpretantur nonnulli. Sultani verò nomen, Græci hodie dicunt Aphentis, vel megas aphentis, pro αὐθέντης. Chanis etiam vel Hanis (aspiratione forti) appellatio non modò Turcis, sed & Persis, & Tartaris perquam vsitata est, quod Regem aut Principem sonat. Reperitur in historijs tam Græcis, quàm Latinis memoria Chagani Auarum, quod idem est cum Chane, vel Chahane. Nam Auarum siue Chazarorum patria est Chersonesus Taurica, quæ hodieque suos habet Chahanes. Tartarorum omnium Chan, vlu Chan, hoc est magnus, vel excelsus Princeps dici solet. Hos titulos ita iungunt Turcarum Imperatores: *Sultan Murath Chan, bin Sultan Selim-Cham Elmuza feru Daima.* hoc est: Dominus Murathes Rex, Domini Selimi Regis filius, victor semper. Aliquando Padischach, & Hunger, vel Huncker adiungunt; quod postremum Augusto respondet. Chalifa autem vicarium, vel successorem significat. Denique Sepipharum etiam titulum sibi assumunt, qui secundus à Chalifâ dicitur. Sic enim Cedrenus, & Zonaras tradidêrunt Seriphis nomen apud Mahumetanos eam respectu Califæ rationem habere, quæ fuerit olim apud Græcos Syncelli ad Patriarcham; quum mortuo Patriarchâ, mox in eius solium Syncellus collocaretur. Emires etiam Turci Principes dicuntur, quod Ducem, & Beg, quod Dominum significat; soletque hoc postponi; vt Aladin Beg, Scander-beg. Emiris porrò nomen mirùm quàm nostri, Græcique detorserint. In vitâ S. Ludouici, & alibi Admiratus, apud Malmesburiensem Ammiratus, vulgò Admiralius, Græcis ἀμηράλιος, vel Amiralius apud Huntidoniensem, apud Tagenonem Almuratus, alijs Amirarius dicitur. Hinc recentioribus ἀμηρεύειν Ameramagere. Apud Rogerium Admiralis, apud Robertum Admirauisus, item

Admirabilis, & ἀμήρισσα coniux Emiris; apud Cedrenum in Heraclio Ameradas legitur, vnde fluxit nostrum Admiral pro Thalassiarcho.

§. 4. Tatari & Turcæ à Iudæis orti.

3. *Israelitæ.* Vox ipsa Tatari, siue Totari linguâ Syriacâ residuos, vel reliquias significat, inquit Mornæus: Inter hordas quoque Tartariæ, versus partem eius Aquilonarem, nonnulli nomina Dan, Zabulon, Nephtali retinuerunt. Vnde non mirum est tantam inesse Hebræorum copiam in regionibus Russiæ, Sarmatiæ, Lithuaniæ, quæ propiùs ad Tartaros accedunt. Eadem de Turcis prope sensit Mornæus, quum nomen ipsum Turcorum, linguâ Hebraicâ, significet exules.

Zingis.

4. *Zingis Cham.* Ait Spanduginus huic quadraginta fuisse filios; è quibus prognati sint mille & sexcenti Electores: quibus ius Chami, siue Imperatoris legendi Tartarorum permanserit: quorum suffragijs Tamerlanes Imperium sit adeptus. Sed verosimilius est eum paternâ successione, non electione eò euectum esse.

§. 6. Ancyra.

4, *Engurim.* Ancyra, vbi cameloti, siue cymatiles, vel vndulati panni tinguntur, & elaborantur. Ab Augusto fundatam dicunt; Ancyram autem, hoc est anchoram dictam διὰ τὸ μέσην αὐτὴν εἶναι τῶν δύο θαλασσῶν, τῆς τε ποντικῆς, καὶ τῆς ἀσιανῆς *quia media est inter duo Maria, Ponticum, & Asianum.*

Sugutta.

5. *Sugutti.* Sugutzuc Turcis, hoc est, vicus salicis. Laonicus ait posse dici τῆς ἰτέας, quem Interpres reddidit Iteæ locum; salicis debuerat: hoc enim ἰτέα significat.

§. 7. De Luna Mahometan.

6. *Luna sua.* Gestant Ottomanni Lunam pro insigni; cuius originem, siue ad Mahometum, siue ad Otmannum referre nihil vetat. Is enim inter cætera deliria iactabat Lunam è Cœlo lapsam, & in plurimas partes effractam togæ manicâ se excepisse. & reconcinnatam pristino loco restituisse. Otmanni autem Pater Ertucules secundùm quietem visus est ex Edebalis cuiusdam Pseudoprophetæ sinu prodeuntem Lunam videre in suum ipsiusmet sinum penetrantem. Tum ex suo vmbilico arborem enasci, quæ

regiones

regiones aliquot vmbrâ suâ tegeret. Id Edebalis nimirum interpretatione portendebatur: eius deceptoris filiæ cum Otmane Ertuculis filio matrimonium; quorum liberi ad regiam dignitatem euecti, amplissimæ Monarchiæ parentes atque auctores futuri essent. Ita Annales Turcici. Non absimile commentum refert Herodotus de Astyagis Medorum Regis somnio: cuius ex filiâ nepos Cyrus vitis specie, totam suis palmitibus Asiam obumbrabat. Cyrus.

IN CAP. III.

1. AMogabares. Gregoras lib. 7. ait eos mille Amogabaros habuisse. additque; δύλω γὰρ ἡ Λατινωνφωνὴ τοὺς πεζοὺς ἐν πολέμοις καλεῖ. Meursius putat corruptè pro Amphiuarijs scriptum: de quibus in Notitiâ vtriusque Imperij sæpe agitur. Amulgabares vocat Moncada, aitque eos fuisse Hispaniæ veteres inquilinos, à Gothis & Vandalis oriundos, qui Saracenis semper bello infesti, in montium deuijs, & abruptis latebant, atque ex prædâ victitabant. Vnde apud Hispanos olim ire in Almugaueriam, idem erat, quod prædatum excurrere. §. 3. Amogabari.

2. Cæsaris nomen. Ante CCCC abhinc annos nulli inditum hocce nomen tradit Mariana. sed suprà docuimus & Strategopulum à Michaële Palæologo recentissimè, & Conradum Monferratensem ab Isaaco Cæsares creatos esse. Cæsaris nomen.

3. Villehardnynij. Albericus, qui vixit anno CIↃCCXL, scribit in Chronico, quartam Petri Cortenai, & Iolentæ Hannoniæ filiam nuptam Gaufrido iuniori de Villahardoini, filio Gaufridi Principis de insulâ Moncionis. Ex quibus patet Guillelmum Achaiæ Principem nepotem ex filio fuisse Gaufridi. Huic autem Guillelmo Rictius, & Itali duas dant filias ex Annâ Thessalicâ: Mathildem Ludouico Burgundo nuptam sine prole: & Isabellam Philippi Pedemontani Principis vxorem, ex quâ genitus fuerit Iacobus Princeps Achaiæ. Alij Isabellam Florentio §. 3. Villeharduynij Stirps.

Hannonio nupsisse aiunt; ex eoque Mathildem suscepisse Ludouici Burgundi vxorem.

Crales.

4. *Crali Seruiæ.* De hoc vocabulo ita Leunclauius in Pandectis: *Enimundus Bon-fidius I. C. putabat Cralis vocabulum à Carolo deriuari: & apud has gentes in honore habitum propter Caroli Magni singularem virtutem; sed ignorabat Hungaris, Bulgaris, Seruijs Kiral, aut contractiùs enuntiando Kral vocari Regem: Kralna Reginam; quæ Polonis sunt Krol & Krolna.* Ita ille. à κράλης fit κράλαινα, & κραλίτζα.

IN CAP. IV.

§. 4.
Irene Alemannica.

1. IRene Alemannica. Gregoras τῆς ἐκ Ἀλαμανῶν, οὓς γαλάτας ἑσπερίους οἶδεν ἡ πάλαι καλεῖν συνήθεια. *Ex Alemannis orta, quos Gallos Occidentales vocabant olim.* A Cantacuzeno dicitur filia Brunzuicensis Reguli. Cuius regio tametsi in Galliâ esse diceretur, non tàmen in Occidentali, sed Orientali Galliâ foret. At exactam, imò aliquam Geographiæ rationem ab Historicis Græcis, qui petit, ex pumice aquam postulat.

Torneamenta.

2. *Torneamenta.* Alij, inquit, horum ludorum à Latinis χιντζούστρα, alij τόρνα vocantur. *Iouſtes, & tournois*: nisi primum vocabulum ex duobus conflatum sit: *Quintaine & iouſtes.*

§. 5.
Gregoræ inscitia.

3. *Ex Italiâ aduenerat.* Castiganda hîc Gregoræ inscitia; qui ait Marchionem Italis eum esse, qui apud Græcos vexillum Imperatorium gestat τὴν βασιλικὴν κατέχων σημαίαν. adeoque Monferratenses Marchiones non magni apud suos haberi; vti nec Spinulas. Toto Cœlo fallitur. Et quemadmodum Marchionis eâ tempestate infrequens nomen, ita dignitatis, & nobilitatis propè regiæ in hâc familiâ argumentum est. De Spinolarum illustri sobole, & decoribus nihil attinet dicere. Pleni sunt omnes Italicarum Historiarum libri. Vide Miræum nominatim libro de hâc familiâ singulari.

S. Demetrius.

4. *S. Demetrij.* Nota & decantata cunctis Græcis huius

huius Sancti Martyris in sanandis vulneribus, & morbis virtus; qui passim eâ re μυροβλύτε nomen obtinuit. At Nicetæ Interpretem corrige, qui in Andronico Comn. l. 1. hunc Martyrem vocat Theodorum, quem Demetrium fuisse constat. cuius festum 26. Octob. celebrant Græci.

IN CAP. VI.

1. *Rhodij*. Imperitè Rhodiorum militum Præceptorem vocat Laonicus ἀρχιερέα; hoc est Pontificem, cùm eiusmodi viris Præfectus ne Sacerdos quidem sit. §. 3. Rhodiorum Præceptor.

2. *Sangiacatus*. Sangiac dissyllabum, siue Sanzac Turcis vexillum significat. Sunt autem ipsi loco vexillorum, seu signorum militarium globi ærei inaurati, summo in hastili defixi: circumplexis, ac dependentibus vndique seu crinium colligatorum manipulis, seu caudis equinis. Vertici globorum nonnunquam Luna crescens imponitur. Ab his signis dicuntur Sangiac Begi, Prouinciarum scilicet Præsides, siue Prætores. Ante quos, quum ad suscipiendas expeditiones proficiscuntur, eiusmodi gestantur signa. Græci Turcicum *Sanzac* flambarum, & flambulum, aut flampurum appellant; Sangiacos autem flambulares. A quibus *Oriflambe*, Gallici vexilli S. Dionysio sacri nomen fortassis ortum. §. 7. Sangiaci nomen.

IN CAP. VII.

1. *Patriarcha exauctoretur*. Postquam Græci à communione Sedis Apostolicæ seiuncti omnem potestatẽ, etiam Ecclesiasticã in suos Imperatores transtulerunt: eam auidè ij & arripuerunt, & exercuerunt: ac pro eâ scilicet potestate, Patriarchas ponebant, & deponebant; nunquam tamen creandi aut consecrandi sibi potestatem vsurparunt. Vnde errat Iunius qui in Codini versione c. 20. χειροτονίαν, quod ordinationem significat: vertit electionem, & eam mors §. 2. Patriarchæ exauctoratio.

more Caluiniano detorquet in solam (velut Ministri alicuius) designationem. Cæterum ipsi Græci Turcas, suos successores, factis edocuerunt, quomodo ipsi itidem cum Patriarchis agere deberent. Certè Mahometes Sultanus, qui Constantinopolim sub suum iugum misit: vix alio ritu Gennadium Scholarium creauit, quàm à Codino supradicto c. 20. describebatur, vt est in *Hist. Politicâ lib. 1. Turco-Græc.* pag. 15. Nam suis manibus δεκανίκιον vel δικανίκιον i. pastorale pedum dedit, atq; equum bonū, certamque aureorum summam, his verbis additis: Quòd faustum ac felix sit, esto Patriarcha, & vtere nostrâ amicitiâ &c. Verùm hæc beneuolentia Sultanorum in Patriarchas non diu durauit. Nam sub isto ipso Mahomete, Patriarchæ nouem extiterunt; & præter Gennadium, qui sponte cessit, vix vllus fuit, quem calumniatores de solio non deiecerint, introducto etiam duorum millium florenorum *Besceshi*, quod Patriarcha recens electus pendebat: & annuo tributo, quod Carazzium vocant, totidem millium. Belonius ait Patriarcham insuper pro religiosis montis Atho, cæterisque qui in Europâ degunt annuum duodecim millium ducatorum vectigal pendere. Cæterum ignobiles & imperiti homines Bassarum fauore ad eam dignitatem adrepunt. Stephanum nescio quem narrat Crusius Turco-Gr. l. 7. f. 502. *Ephesi Metropolitam creatum, quia Murathæ Imp. commendatus esset, cui ille antea pulcherrimos Ephesi hortos diligenter coluisset.* Et nuper è nostris quidam referebat eum qui Byzantij modò Patriarcha est, fuisse visum non ita pridem Vilnæ in Lithuaniâ bibliopegum agere, virum prorsus illiteratum. Ita scilicet quæ à capite Ecclesiæ diuulsa sunt, neque ipsa inter se bene cohærent membra. Porrò cùm Patriarcha creatur, dicitur ἀναχθῆναι εἰς θρόνον: cùm loco mouetur κατάγεσθαι τοῦ θρόνου, καὶ καθαιρεῖσθαι. Cùm malis artibus ad dignitatem grassatur ἐπιβαίνειν, & ipse ἐπιβάτης καὶ ἐπιβήτωρ dicitur; quasi inscensor, & alienæ mulieris insultor.

Patriarchæ à Turcis creandi ritus.

Belon. l. 1. c. 35.

Epocha.

2. *Indictione primâ.* Græci Codices habent indictione

XV. an-

æv. annus enim ijs nondum fluxerit, VI^m IↃCCCLV; nobis verò à Ianuario annum & Indictionem inchoantibus prima Indictio dicenda venit.

3. *Martini Demori*. Græcè est Ntemori. Forsitan Altemori. Bauxij enim, seu Balzij Neapolitani, Principes Altemori, & Duces Andri ac Venosæ dicti sunt. qualis fuit Eleonora Balzia Ludouici Luxemburgici vxor. de quo Historia Bayardi. §. 3. Demori.

4. *Matthei filij*. Eius forsan abnepos Michael extitit Cantacuzenus, Græcorum sui temporis opulentissimus: quem Murathes III in Anchialo vrbe suspendi iussit anno CIↃIↃLXXVIII. ita Turco-Græcus. Peloponnesum ait Spanduginus Cantacuzenos Papæ eripuisse. §. 7. Cantacuzeni.

IN CAP. VIII.

1. Genisaros. Laonicus eos perpetuo Ianuas, seu ianuæ Regiæ custodes vocat: τάξιν ἀρίστην ἐν θύραις βασιλέως χαλῶν. At ipsi portam, *Capi* vocant, non Ianuam. Vigenerius ex Cham, & Ieser, deducit, quasi Domini mancipia vocabulum significet. Ait Spanduginus Genizaros significare iuuenes, è pago cui Sar nomen erat. Ex quo Aladinis tempore Delius quidam, Otmani auus, mancipia, cum alijs plurimis spolijs, erepta tulerat. Porrò non aliunde nominis Etymon quærendum: Genizer Turcis nouos homines, seu tirones significat; cuius origo non Osmani Gazi, aut Murati secundo, sed primo tribuenda est: (vt ex Turcorum Annalibus constat.) Is enim quintum quodque Christianis ereptum à Turcis militibus liberalioris formæ mancipium, Sultano voluit reseruari, eo, quo explicuimus, modo educandum. §. 2. Genissari. Illustr. Chalcond.

2. *Dat ei in vxorem filiâ*. Laonici textus. θυγατέρα αὐτοῦ κάλλει τε ὑπερφέρουσαν, καὶ ἀπὸ ἑβραίδος τῆς γραίας τραφεῖσαν γεννηθεῖσαν. Ex Braide progenitam. Ex Hebræa quadam malim. Quænam etenim ista Brais? Eodem loco idem Auctor: ὁ μὲν οὖν Καντακουζηνὸς ἐπεί τε ἐβασίλευε, παῖδας Laonicus emendatus.

ἔχων δύο. vertit *Qui puerum ipsum gubernarat*. Imò vertendum: Vbi regnum inuasit, filios duos habebat.

Tryballi. 3. *Tryballi*. De his ita Leunclauius in Historiâ Musulmannicâ, libro quinto. Susmanus, Turcis Susmenos, Bulgarorum, siue inferioris Mysiæ Princeps erat: quæ ab vrbe Vidinâ, se porrigit ad Pontum vsque Euxinum; cuius erat metropolis Tirnobum, seu Trinobum. Is Alexandro (Patri fortassis) Mysiæ inferioris Præfecto, & post Stephani mortem eius Prouinciæ Regulo successerat. Susmeno 1° alter eiusdem nominis itidem successit, quem Odrysiorum Regem (hoc est Bulgarorum ad Pontum Euxinum; non verò Moldauorum, vt perperam interpres) Laonicus facit. Lazarus autem, siue Eleazarus Tryballorum, seu Seruiæ Princeps fuit: Bulco à Laonico dictus; vnde eius posteri Bulconitzij, & Bulcoglij appellati sunt. Eorum metropolis Spenderobe dicebatur.

§. 4. Hemida, Aspropolis. 4. *Hemidam*. Olim Cerasunt ad Pontum, vel Cappadocicum vt nostri, vel Polemoniacum, vt Leo sapiens censet. Aspropolim Turci Ascheher, veteribus Leucepolis diceretur. Aspros enim hodie Græcis albus est. Vide harum nomina latiùs explicata in Leuncl. Pand. c. 40.

IN CAP. IX.

§. 3. Chorasmia. 1. *Chorasmia*. Vrbs ea est Parthorum, versus Orientem; à quâ & Chorasmi populi Stephano, & Athenæo: Sogdianæ regionis apud Athenæum. Distinguit à Sogdianis Strabo, quos Chorasmusinos appellat; Chorasmios restituit Casaubonus; in Perside interiore eos collocat Cedrenus, in Iustiniano Rhinotmeto. Chorassanis regionis nomen, ne hodie quidem obscurum est, ex recentioribus historicis, & Cosmographis; vt & Balch, siue Belcha, quam Machan vocant Turcorum Annales. Vtrumque ad Bactrianos veteres pertinet.

§. 6. Couciacus. 2. *Couciacus*. Erat is Engueramnus ex perillustri Gandensium procerum familiâ; qui Guisnensem Comitatum, tum

tum etiam Couciacensem per vxores adepti in posteros transfuderunt. Engueranno mater Catharina Leopoldi Austriæ Ducis filia: vxor Isabella Angliæ Regis filia fuit; ex quâ Isabellam genuit: quæ Philippo Burgundo Niuerniæ Comiti nupsit, Philippi Audacis Burgundiæ Ducis filio. V. Quercetanum in Guisnensi Historia.

3. *Annum* XCVI, *non verò* XCIII. Nec Hegyrâ IↃCCXCVII, sed Hegyrâ IↃCCXCVIII. Ait Froissardus, eius ætatis scriptor, eam cladem acceptam esse die Lunæ, ante festum Diui Michaëlis, in Septembri. Fuit ergo dies ille XXV Septembris: quo anno littera Dominicalis fuit B A. Chronologia.

IN CAP. X.

1. *Tocata.* Marius Niger hanc respondere putat Neo-Cæsareæ Cappadociæ. Ipsam quoque Prouinciam Cappadociæ Toccatum appellat Pinetus, & Ortelius. Alij referunt ad Armeniam. Bellonio certè Nisar est Neo-cęsarea, affini magis vocabulo. Sebastam, hodie Siuastam, Leo Augustus, cum Camacho (hanc vitiosè Laonicus vocat Iamaca) in Archiepiscopatu, seu Metropoli Armeniæ recenset. & Constant. Porphyr. *Sebastea thema (inquit) ex minore Armeniâ initium habet. Vrbs enim nomen suum ἐκ τοῦ Σεβαστοῦ id est Augusto Cæsare Iulio accepit.* Ita ille qui Iulium vocat Augustum. Amasia vrbs Cappadociæ hodieque nomen retinet: vt & Castamone. §. 1. Tocata. Sebaste.

2. *Christi effigiem.* Ipse adeo Nicetas in Isaaco: vbi de Friderici Imperatoris expeditione agit, Armenios, ait, cum Alemannis bellè consentire. Quippe apud Alemannos & Armenios sacrarum imaginum adoratio interdicta est: & azymo pane in sacris vtuntur, & alia quædam orthodoxis Christianis (Græcis videlicet) improbata. Sed & ipse Nicetas toto hîc cælo errat; nam nulli tum apud Alemannos Iconomachi, neque Azymis ipsi Armeni vtebantur. Satis porrò mihi est hinc ostendere, quàm ab Iconomachis Græci abhorrerent. Et si Isaurum, & Armenum §. 4. Turco-Græci calumnia.

 Leones

Leones excipias, non modò ijs temporibus: sed & hodie Græci omnes eam heresim insectantur.

§. 5. Temir-lanc. 3. *Temirem.* Temir siue Temur, ferrum, hoc est gladium, Tartarorum linguâ significat. Eum autem à suis popularibus Temir Cutlu, id est gladium felicem, dictum esse nonnulli tradunt. Quanquam & Temir-lanc, siue claudus non rarò appellaretur. Laonicus eius claudicationis refert caussam, quòd priuatus adhuc, & inops murum, quo cincti pecorum greges erant, furti committendi gratiâ subierit; ex quo cùm ex metu patrisfamilias desilijsset, sibi crus fregerit. At eum ex nobili ortum prosopiâ veriùs tradunt Persicus Texeiræ Annalista, in Tarik Mirkond: & ipse Temiris vitæ scriptor: aiuntque in pugnâ accepto vulnere claudicasse.

§. 6. Temiris copiæ. 4. *Laonicus duodecies.* Franza Baiazethi centum & quinquaginta dumtaxat: Temiri octingenta & viginti millia tribuit; priori calculo viriato.

§. 7. Chronologia. 5. *Anno altero.* Ita scilicet statuendum non CIƆCCCCIII vt plerique. Namque 4. Cal. Augusti captus Baiazethes, inquit Franza, octo menses superuixit; mortuus est autem anno CIƆCCCCIIII ineunte, Hegirâ IƆCCCIV.

IN CAP. XI.

§. 6. Thessalonica. 1. ANdronico. Ita Græci scriptores. Leunclauius verò Andronico, lege permutationis, annuos reditus ciuitatis Taruisinæ cessisse ait: cumque eo fine Venetias nauigantem, in itinere perijsse. Nihilominus vrbe potiti Veneti, eò Rectores suos misere; quorum primus fuit Marinus Bondomerius, cum titulo Comitis Thessalonicensis.

Athos. 2. *Atho.* Athos Mons Sanctus, siue ἅγιον ὄρος appellatur, à frequentibus Calogerorum, siue Monachorum cænobijs: nomine non adeo recenti. Nam Leo quoque Imperator sub Thessalonicensi, Metropolitano Thessaliæ, collocat Episcopatum Hierissi: quem aliâ dictum appellatione

latione tradit, Episcopatum Montis Sancti. Calogeros autem quasi καλὸς γέρος, pro γέρων, id est bonus Senex, dicitur. viginti duo per eum montem Monasteria, in ijsq; quater circiter mille Monachos numerat Zygomalas; quos præ cæteris Græciæ cænobitis auctoritate excelluisse tradit Belonius. Et hic ridiculè cum suâ *solâ* fide delirat Crusius, atque extra orbitam saltat Grãmaticulus. De Atho monte vide Belonium l. 1. c. 35 & c. 40. vbi ait vsque eò barbariem Græciam populari, vt in tantâ Calogerorum multitudine, vix duos tresúe in quoque reperias Monasterio, qui legere norint, nedum scientias profiteantur. Calogeri. Græcorum barbaries.

IN CAP. XII.

§. 1. Laonicus emendatus.

1. GAlli. Gallos omisit Interpres Laonici, cùm in textu habeatur ξύμπασαν δὲ τὴν παράλιον τῆς πελοπ. οἳ ἀπὸ τῆς ἑσπέρας καταστρεψάμενοι εἶχον, κελτοί τε, καὶ κελτίβηρες, &c. Vbi proculdubio Laonicus priorem Gallorum, sub Balduino expeditionem, cum posteriore Hispanorum, sub Andronico confundit: vel certè, vti suprà monebamus, quia Catalani, & Tarraconenses Franci audire apud Græcos maluerant, eos Celtas, & Celtiberes indigitant Græci Scriptores.

2. *Cephalenia*. Anno, inquit Spanduginus CIↃCCCCXCIX Ferdinandus Rex Hispanus: occupatis Naupactio bello Venetis, & lege fœderis, subsidia misit: auspicijs Gonsalui sui, quem magnum Capitaneum vocabant. Is adiunctus classi Venetæ, Cephaleniam Insulam cum S. Maurâ Turcis ereptam recuperauit. Cephalenia.

3. *Carolum Tockium*. De Tockio Carolo, eiusque liberis ita habet Laonic. l. 4. τῷ δὲ τῷ ἀδελφιδῷ αὐτοῦ, τῷ λεονάρδου παῖδα καταλείπει διάδοχον ξυμπάσης ἤδη τῆς ἀρχῆς αὐτοῦ. καὶ τήν τε ἄρτην, τῆς ἀμπρακίας μητρόπολιν, καὶ αἰτωλίαν τε, καὶ τὴν πόλιν κατέλιπε χαρούλῳ τῷ ἀδελφιδῷ. Hæc proculdubio corruptissima esse liquet. Nam & Ambracia ciuitas est, non prouincia; & si Leonardi filium hæredem reliquit

Imperij, ergo alteri Ætoliam & Ioanniam non reliquit: quæ potior eius erat possessio. Suspicor ab aliena manu ad marginem adscriptam esse τὸν ἀδελφιδοῦν αὐτοῦ τὸν λεοντ. παῖδα, atque incuriâ librarij in textum relata. Hîc verò legendum τὴν δὲ ἄρτην, ἡ ἀμπρακίαν μητρόπολιν τῆς αἰτωλίας, καὶ τὴν τῶν ἰωαννίνων πόλιν καλέλιπε &c.

De Tockijs. Cæterum de Tockijs hisce multa Neapolitani scriptores, tradunt, atque inprimis Summontanus, non ad amussim Græcis Historicis consona; quibus tamen potiùs in rebus patrijs, quàm externis assentimur. Barones Tockij, inquit Summontanus, tempore Friderici secundi, Beneuento migrarunt Neapolim. Ex eorum est progenie Ioannes Baptista di Tocco Comes de Montemileto; & Leonardi quidem è stirpe orti sunt Despotæ, siue Reguli Lartæ & Sanctæ Mauræ (prisci Leucadem vocabant, postea Nicopolim, non procul à Naupacto, & Patris:) quibus iuxta Th. Spanduginum, ad annum vsque CIↃCCCCLXXX potiti: eo demum à Mahomete secundo victi, & spoliati sunt. Horum vltimus fuit Leonardus alter, qui Alexandro VI Pontifice Romam venit. Ab initâ, inquit Spanduginus, Mahometum inter, & Venetos pace, ideo exclusus est Leonardus: quòd post obitum Melizæ prioris coniugis, quæ Lazari Seruiæ Despotæ filia fuerat, alteram Ferrandi Neapolitani Regis consanguineam, inconsultis Mahometo & Venetis vxorem duxerat. Accessit alia belli caussa, negatum Sangiaco, vel dilatum tributum. Pulsus ditionibus suis Leonardus Neapolim confugit, & quædam in eo regno sibi castella comparauit. Mortuo autem Mahometo, Antonius Leonardi frater, cũ triremibus Neapolitanis Cefaleniam ad Insulam nauigauit, eamq; expugnauit. Veneti metuentes ne suis fraudibus eam cladem adscriberent Turci, Antonium bello petiere, captum interfecere, atque insulam Turcis reddidere. Leonardus ex Calabriâ Monferratum, & inde Romam abijt, sub Alexandro Papâ sexto, & in eâ vrbe diem extremum clausit: relicto filio cui Carolo nomen fuit; & ille post nauatam Maximiliano

De orig. Turc.

primo

primo in bellis operam, Refranconem terram in Lombardiâ, haud procul Alexandriâ, quam *de la Paglia* dicunt, in virtutis suæ præmium obtinuit: dein Leone decimo summo Pontifice è viuis excessit.

4. *Conniuente*. In Græco est ἡγεμόνος ἐφιέμενον (corrigit interpres ἀφιέμενον, ego ἀφιεμένου) ἐνέμοντο τὴν χώραν. Pecoribus, inquit Interpres, depascendam obiecere. At vbi de pecoribus sermo? scilicet νομάδες γὰρ ὄντες καὶ οὐδαμῆ βέβαιον τὴν οἴκησιν ποιούμενοι. Imò verò Nomadum ritu incertis sedibus vagabantur, non autem Pastores pecorum Albani erant, ἐνέμοντο igitur depasti sunt, non verò pecoribus depascendam obiecerunt, significat. Vigenerius in Gallicâ Laonici interpretatione, non rectiùs transtulit ἐνέμοντο τὴν χώραν. *In speciem pascendi pecoris regionem populatos esse*. §. 2. Laonici Interpres emendatus.

5. *Inicus*. Oedipus hic opus est. Laonicus paulò antè ait disertè Izaulo ereptam à Carolo Tockio Aetoliam. Et infrà. Hoc modo, inquit, Aetolia ad Izaulum: & tum ad Carolum descendit. Verumtamen vbi Prialupæ necem enarrauerat, subdit: ἡ μέντοι δίκη τὸν Πριαλούπην οὐκ ἐς μακρὰν κατέλαβε, τὸν παῖδα αὐτοῦ ἀπὸ ταύτης τῆς γυναικὸς γενόμενον αὐτόν. τοῦτον γάρ τοι, ὡς ἐφοίτα παρὰ βασιλέα Μωσέα, αἰτούμενος συμμαχίαν τε καὶ ἐπικουρίαν, ἐπὶ Κάρουλον τὸν τῆς δὴ Ἀκαρνανίας τύραννον, συλλαβὼν, ὥστε τὴν χώραν αὐτοῦ κατασχεῖν, ἐξέκοψε τὼ ὀφθαλμώ. Vertit interpres: *At vltio haud multò pòst secuta est; Prialupas enim qui filius eius erat, Patris nomen gerens, natus ex istâ vxore, cùm properaret ad Regem Mosem, petens auxilium, & præsidium contra Carolum, Acarnaniæ Principem, vt eam regionem in potestatem redigeret: captus est, eiusq; oculi eruti.* Hæc ille. quæ profectò ex ipso Græco non transtulit, sed diuinauit. Censeo ego hæc non de Prialupæ, sed Izauli filio, vel Izaulo ipso referri; quod ex ijs, quæ suprà retuli, conijci potest; vbi non semel Izaulo Carolum dicit Laonicus Aetoliam eripuisse. Deinde vindicta sanè, non eum qui iniuriam passus est, sed qui intulit, sequi solet; atque adeo κατέλαβε pro μέτῆλθε vsurpauit; Laonicus explicatus.

pauit; vel pro Prialupâ Izaulus reponendus est. Et ἀντὶ τοῦ [γενόμενον αὐτὸν] malim γενομ: αὐτώνυμον. vel αὐτεπώνυμον vel ὁμώνυμον. Deinde pro τοῦτον malim τούτου. Si Laonici exemplaria Græca plura suppeterent, forsan ex vno alteri lucem dare non foret difficile; nunc verò vnicum nactus, idque deprauatissimum: ei medicinam, quam Interpretes Latinus, & Gallicus non fecerunt, ego à me sperare non ausim.

§. 3. Laonicus explicatur.

6. *Ægyna.* Ita habet Laonicus lib. 4. sub f. νεανίαν τῆς γεωργίου οἰκίας. vertit. *Iuuenem claro loco natum.* sed species sanè non genus designatur. Quæ sit Georgij domus, nescio; sed Molinos in Eubœâ tum regnasse scio.

Chronologia.

7. *Anno* CIↃCCCCXXX. Non verò XXXVIII, vt vult Bizarrus. nam accidit, iuxta Græcorum calculum anno mundi sexies millesimo nongentesimo trigesimo octauo; secundùm Mahometanos Hegirâ IↃCCCXXXIII, qui numeri cum nostris apprime consentiunt.

§. 4. Synderouia.

8. *Synderouia.* De hâc vrbe dicemus in Notis ad C. XVII.

IN CAP. XIII.

§. 1. Ioannes Coruinus.

1. IOanne Coruino. Laonicus Iangum Choniatem: Spandiginus Iancum Vaiuodam appellat: videlicet Erdelij, siue Transsyluaniæ; Geufræus Iancum Banum. Banus autem cuiuspiam regni ad Hungariæ iura pertinentis Præsidem significat. Qualia sunt Dalmatia, Croatia, Sclauonia siue Illyricum, Ramia, siue Bozina, Seruia, Gallicia, siue Valachia, Lodomeria, Comania, Bulgaria, Erdelia siue Transsyluania &c.

Sophia.

2. *Sophia.* In margine adscripsit Interpres: *Sophia, nunc Scopia.* perperam: vti etiam annotauit Leunclauius. Vrbs enim Scopia disertè à Laonico in Macedoniâ collocatur: vocaturque hæc à Turcis Vscopia. Wolfius alicubi pro euersione Scopiorum, euersas ait speculas. ridiculè.

Carambegus.

3. *Carambum.* Ita Philippus Callimachus eum vocat. meliùs Geufræus Carambegum. Casan, vel Cassambassa à Turcis

à Turcis dicitur; quem Laonicus Europæ Ducem: Turci Romaniæ ſeu Græciæ Beglerbegum: Bonfinius verò appellat Anatoliæ Præfectum. Carambegus autem nigrum Dominum ſonat. Beglerbeg Dominum Dominorum ſignificat. Plurale enim nominum ſuorum, inquit Georgeuitius, Turci faciunt addito *Ler*, ſi in *E* deſinat: *Lar* ſi in *A*. *Adam*.homo, *Adamlar*. *Beg*, Dominus, *Begler* Domini. Græci ſcribunt, μπεγλερπεῆς. Beglerbegum πρωτοςράτωρα vocat Auctor Hiſtoriæ Politicæ apud Turco-Græcum. Beg.

4. *Caliacra*, *Varna*. De his ita Leunclauius: Ciuitas eſt ad Pontum Euxinum Varna, quam Ortelius Odeſſum priſcis, vel Odyſſum dictam tradit; alij Dionyſopolim faciunt. Anchialus, de Curei ſententiâ, eſſe nequit: quum ea ſuperſtes nunc Achelo dicatur. Barnam ſcribunt Laonici Interpretes; χρϋνὸς vel χρϋνοὶ, à canalibus, antea vocabatur. Calacrium verò malè Bonfinius ſcripſit, addens nomen huic oppido datum à Gallis ex Aſiâ, re infeliciter geſtâ, reuerſis; quaſi Gallacrium. Atqui Caliacra, quam Laonicus nominat, ſignificat Græcis bonum, vel elegans promontorium. Conſtantinus Porphyr. in Præfecturâ Myſiæ Dionyſopolim, Acra, & alias vrbes memorat. Pro Acra ἀγορὰ ſubſtituit Morellus, in Thraciâ Cherſoneſo. Forſan eadem eſt cum Caliacrâ. Hanc Ortelius putat eſſe Callatiam. §. 3. Varna. Caliacra.

5. *Moream*. Nomen ipſum apud Damaſcenum Studitam reperitur, quod Græci deriuant ab arbore moro: cuius eſt magna per eam regionem frequentia. Geremem putant aliqui Gereniam veterem Ptolemæi eſſe: quam ille in Laconiâ, hodie Tzaconiâ, (non Sacaniâ, vt Ortelius ſcribit:) Peloponneſi regione collocat. §. 4. Morea. Gereme.

IN CAP. XIV.

1. G*Eorgium verò*. Malè Laonici Interpres Calciolum ſcripſit. Vocabatur Georgius Caſtriotus à Tur- §. 1. Georg. Caſtriotus.

cis Isshenderbeg, vel Scenderbeg: hoc est Alexander Dominus, & aliquando Iscodarbeg id est Scodræ Dominus.

§. 4. 2. *Cauponari fortunam.* Id ex Anthologiâ, c. 80. l. 1. τύχη καπηλεύουσα πάντα τ̀ βίον, Αὐτὴ κάπηλός ἐστι. *Fortuna quia cauponatur,* (& miscet) *totam vitam: Ipsa caupo est.*

IN CAP. XV.

§. 1. Amica fratrum contentio.

1. *Darij liberis.* Artemenes, & Xerxes ij erant: de quibus ita ait Iustinus l. 2. Hoc certamen, concordi animo, ad patruum suum Artaphernem, veluti ad domesticum iudicem, deferunt; qui domi cognitâ caussâ Xerxem præposuit; adeoque fraterna contentio fuit: vt nec victor insultauerit, nec victus doluerit; ipsoque litis tempore, inuicem munera miserint: iucunda quoque inter se, non solùm, sed credula conuiuia habuerint. Iudicium quoque ipsum sine arbitris, sine conuitio fuerit. Tantò moderatiùs tum fratres inter se regna maxima diuidebant, quàm nunc exigua patrimonia partiuntur. Ita ille.

§. 4. Bombardę.

2. *Bombardas.* Venetos ijs machinis primos esse vsos, eo bello, quod ad fossam Clodiam cum Genuensibus gestum est, anno CIↃCCCLXXX., auctor est Polyd. Virgil. l. 2. de Inuent. Rer. c. 11. Bombarda deducitur à bombo, id est sonitu, qui βόμβος græcè dicitur. Canones verò Galli maiores fistulas dicunt. Sclopus minor est, & Latinè propriè sonum illum significat qui ex buccarum inflatione erumpit. *Nec sclopo tumidas intendis rumpere buccas,* aiebat Persius. Vide alia plura ibidem.

De portis, & locis vrbis Constant.

§. 6. Portæ vrbis Constant.

3. *Portam S. Romani.* Constantinopolitanæ vrbis portas exactè Gillius, in suâ eius vrbis Topographiâ, & Ioannes Leunclauius in Pandectis Hist. Turc. descripserunt. Ex hoc postremo eas dabo, sed compendio: ducto initio ab Orientali vrbis angulo; vbi sinus incipit, ascendendo Occidentem versùs, secundùm ipsum sinum: atque inde per meridiem reflexo cursu.

Prima

Prima porta ὡραῖα: vulgò Heuræa dicitur; cùm Neorij sit appellanda; quòd isthic νεώριον, siue nauale quondam fuerit: vt Gillius etiam probat. Leonardus Chiensis in obsidionis huius, quam describimus, historiâ: Imperialem vocat, cùm ait: Gabrielem Treuigianum à Turre fani, ad Imperialem portam collocatis nauibus præfuisse. Porta I.

Quæ sit autem turris fani, ex Gillio & Leunclauio intelligetur. Gillius de Bosporo libro tertio c. 10: *Iam verò inter duo promontoria: nimirum alterum Europæ, Bosporium nominatum, & alterum Asiæ, Damalim appellatum: supra mare paululum eminet scopulus, seu parua Insula distans à promontorio Damalico circiter centum passus: tota ferme occupata ab arce, machinis bellicis munitâ, ad arcendas naues hostiles: si quæ penitiùs in Bosporum ex Propontide erumpere conarentur.* Ita ille. Leunclauius verò Turrim Scutarinam dici ait à Græcis: à Turcis Kisculam, hoc est arcem virginis. Nicetas l. VII. Manuelis vocat ἀρκλαν. ἔργον, inquit, τοῦ βασιλέως τούτου, καὶ ὁ μὴ πολὺ τῆς θαλάσσης ἔνδον ἱστάμενος πύργος, τῆς προσκλυζούσης τὴν χέρσον· ἣ ὡς ὠνομάζετο Δάμαλις. τὰ νῦν δὲ Ἄρκλα καλεῖται. *Olim Damalis nunc Arcla.* Putat Leunclauius, & ego pro Arculâ dici; πύργος enim, & turrim, & arcem significat. Turris autem fani dicitur, siue à Iouis, seu à Dianæ fano opposito. Vnde quam Laonici Interpres l. VI. Turrim sacram dixit, Turrim fani appellasse debuit. καὶ πύργος ἐνεστιν ἐν τῇ Ἀσίᾳ ἱερὸν καλούμενος. *Turris in Asiam recedens, quæ sacra nominatur.* Imò Turris, quam fanum dicunt. Sed malim, ἱεροῦ, id est fani legere; nisi fortè non de turri hâc, quæ in aquis extat, sed quæ in ipso Asiatico littore extructa esset, loquatur, Et Laon. l. V. ἐς τὴν Ἀσίαν διαβὰς, &c. τότε ἱερὸν καλούμενον διεπολιόρκησε. vertit *locum, qui templum nominatur:* fanum meliùs; vt enim eadem sint vocabula, non facilè mutanda sunt, quando in nomen proprium transierunt. At reliquas portas lustremus. Turris fani. Laonici Interpres emendatus.

II. Turcis Balucbazar, à foro piscario. Græci Pazarion & ψαροπωλεῖα nuncupant. ψαρία enim pisces dicunt.

III. Gemiscle vulgò (Gillio Gemicapi) pro Gemisi schele quasi scala fructuum. Locus enim, vbi è nauigijs exscenditur, scalæ dicitur. Græci Carabiorum portam. καράβια enim sunt naues.

IV. Ontum Capisi, vel Ontum schele; hoc est lignorum porta, vel scalæ: Græcis ξύλων πόρτα; quòd ligna nauigijs eò deuehantur.

V. Vnkabani. Græcis Αλευροπωλεῖον, à farinâ.

VI. Tzubali Capisi (Gillio Iubalica) id est porta vitriaria, ab officinis vicinis.

VII. Hagia Capisi, Hybride voce: ἁγία Græcis sanctam, Capisi Turcis portam significantibus. Leunclauius ἁγίας sanctæ, videlicet Theodosiæ appellat; quòd eius templum è regione trans sinum situm sit.

VIII. Phanarij, vel Phanarion: quo modo Turrim Phari vicinam appellant.

IX. Diplophanarion, à geminis turribus.

X. Est Græcis porta κυνηγῦ pro κυνηγίυ. Ita enim Græci vocant locum, vbi homines cum feris, vel feræ inter se committebantur. Arenam Latini vocant.

XI. Veteribus appellabatur Xylokerkos. Et eam esse, quam iuxta Aueniadas turres collocat, & Xyloportam vocat Leonardus Chiensis, aliam ab eâ quam quarto loco descripsimus, vult Leunclauius. Aueniadas autem Zygomalas Anemanis vocat turres; & quinque eas esse, quæ in alterâ vrbis Acropoli sitæ, Pentepyrgij nomen habent. Xylokerkos hodie Hagio bazari, Hybride voce, quâ Sancti (Mamantis forsan) Emporium significatur. Atque ibi est secundus vrbis angulus: vbi incipiunt muri, portæque terrestres. Et hîc veteres alteram Acropolim statuerunt.

XII. Turcis est Egri Capi: id est obliqua porta: Leonardus Chiensis Caligaream vocat. Græci Caligariorum, siue sutorum.

XIII. Hadrianopolitana; quâ Hadrianopolim itur.

XIV. Top capisi, siue Bombardaria. Græci S. Roma-

nȷ

ni ante captam vrbem vocabant. Et iuxta hanc postremum Imper. Constantinum extinctum esse, ait Franza: ad Hadrianopolitanam, ait Leunclauius. At cùm à S. Romani portâ, quò vis belli tota ferebatur, fugerent Græci, non ad vicinam, sed remotiorem declinandum erat: & Laonicus ad portum fugisse ait. Vt vt sit Bombardariam hanc appellatam reor, quòd in eam, murosque contiguos tormenta Turcarum, vrbem obsidentium, teste Laonico, directa impressionem fecerint; per quam Barbari in vrbem irruperunt.

XV. Geni Capi, Græcis νέα πόρτα, Noua porta dicitur.

XVI. Siliuriæ, vel Selybriæ appellatur. Priscis χρυσῆ πόρτα, aurea porta, à fonte vicino sic dicta; qui χρυσόπηγη aureus fons nuncupatur. Et hic est angulus vrbis tertius.

XVII. Vocatur ἔπλα γυλάδων: voce Græco barbarâ, pro ἑπταπυργίυ, Goula enim Arabibus arcem sonat; vnde Gouletta Africæ nomen suum desumit.

XVIII. Narli Capi. Quo vocabulo nauigia malis aureis, seu granatis onusta vocant; ῥοίδια nunc Græci appellant.

XIX. Psomatiorum porta: vel Psamatiorum: Græci San Matthia.

XX. Græcis Contoscalij. In libro de Ædificijs vrbis locus ille Contoscalinum appellatur. Portus hic nomen habet à Præfecto Agalliano, qui Contoscelis cognomen habuerit, à breuibus tibijs: Gambacurtam Itali dicerent. Ita Græci. Leunclauius à Conta Scalâ; id est paruâ.

XXI. Catergolimenis porta nuncupatur; à portu triremium, quæ vulgo κάτεργα dicuntur.

XXII. Πόρτα τῆς ἀρκοῦδες. id est vrsarum. Turcis Tschatlati Cipisi, à mactatione pecudum.

XXIII. Et vltima Ackur Capisi Arehurium Turcis est edificium capax, aream habens in medio: à Græco fortè ἀχυρεῖον, quod stabulum significat; quia per eam inuche-

bantur quæ paſcendis equis Sultani ſunt neceſſaria. Et hæc de portis.

Myliandron.

4. *Myliandri.* Hunc locum ad portam Hadrianopolitanam collocat Leunclauius : quam πολύανδρον quondam fuiſſe dictam ait ; quòd in reparandis ſub Theodoſio minore muris, per terræmotum collapſis, cùm ingens operarum multitudo bifariam diuiſa eſſet : ad hanc demum portam pars vtraque, completo quæque ſuo opere, conuenit. Pro Myliandro ergo ſubſtituit μυριάνδρον quod idem eſt ac Polyandron. Et bene; ita quippe vocatur à Franza li. III. cap. XI. Parergon addo ex Spandugino. Is paulò ante annum CIƆIƆX terræmotu collapſos ait muros eiuſdem vrbis. Quos vt compendio inſtauraret Baiazethus : publicè edixit vt ex vicenis totius Imperij ædibus ſinguli homines ei operi ſufficerentur; qui ad ſeptuaginta & tria millia coacti, æſtate vnâ opus compleuerunt.

5. *Catalanorum Conſul.* Petrum Iulianum vocat Franza Conſulem, diſtinguit Chienſis.

6. *Demetrius Cantacuzenus.* Imperitè neſcio qui ad marginem adiecit bellam hanc notam : *Cantacuzeni Imperatoris mors.*

IN CAP. XVII.

§. 2. Conſtantini Imp. facinus.

1. *Conſtantinus.* Rem fædam, nec facilè credibilem narrat Zygomalas apud Turcogræcum. Conſtantinum Imp. poſtquam ſacra myſteria liberis ſuis, & Imperatrici, multiſque conſanguineis ac propinquis impertiuiſſet (ſcilicet velut ἀρχιερεὺς de quo ſ) hos omnes capite truncari iuſſiſſe, ne viui in hoſtium venirent poteſtatem. Alij omnino ſecus poſt varia ludibria earum corporibus ab Turcis illata, vxorem & filias Imperatoris Tyranno iubente interfectas eſſe. Vtrumque Hiſtoricis eius temporis aduerſatur.

§. 3. Chirlucas.

2. *Chirlucas.* Pro Κὺρ λοῦκας. Vnde Laonicum editum, eiuſque Interpretem corrige. Qui lib. 5. νοταρᾶν τ̃ κυρίȣ λȣκᾶν vertit *Notaram, & Carolucam.* νοταρᾶν

τ̃ κυρ-

τ͂ κυρλȣκὰν, vel κύριον λȣκὰν legendum; id est Notaram Kyr-Loucam, seu Dominum Lucam Notaram. Ita Turcogræcus Histor. Politic. ὁ κὺρ μανόλης Dominus Manuel: & Tyrsac suprà dicebamus vocatum Imper. Isaacum à Vincentio Bellouac. ob linguæ Græcæ imperitiam; quum κὺρ Ἰσαὰκ scribendum esset. Ex quo etiam factum Conzerac apud Rigordum. Notat Theod. Douza simile mendum apud S. Antoninum vol. III. tit XIX. c. II. §. I. vbi Chorean, pro κὺρ ἄγγελος legitur. Item in Bergomate lib. XII. Chron. qui Renerio Monferratensi vxorem dat Emmanuelis filiam Curamariam, hoc est κυρὰν μαρίαν. Vide autem num hæc verba Laonici lib. V. vbi de Turgutâ agit, aitque eum bello petijsse τοὺς λευκάρνας καραιλούκεω παῖδας, de Notaræ filijs intelligantur: legendumque sit, τοὺς νοταρὰς κυρλούκεω παῖδας. Porrò ab linguæ Græcæ imperitis Lucas ille Kirelucas, Gerlucas, & Leontares appellatur. Eius filiam Annam Venetias transfugisse ait Turcogræcus. Qui & plures alios è Græciâ in Italiam profugos ex Philelphi Epistolis enumerat Hist Polit. f. 57.

3. *In Xerolopho.* Collis septimus vrbis Xerolophos dicebatur: in quo templum fuit Apollinis tripode antiquissimo nobile. Sex autem templa iuxta Bosporum idolo illi sacra recensent veteres Historici. Xerolophus.

4 *Violati numinis.* Imperij Græci ruinæ caussas ac signa annotat Turco-græcus. Iniustitiam, siue exactiones iniustas, ignauiam & fædas voluptates, eligentium seu designantium peruersitatem, bella ciuilia, inuitationem Turcarum, præsidiorum imminutionem, & tenacitatem, militum iniurias in amicos populos, perfidiam in hostes, neglectionem disciplinæ, luxum; denique aliorum Christianorum dissidia; quæ petitis ex Græcâ historiâ probat exemplis. Appositè quidem, nisi schisma, & hæresim tacuisset, principem huius cladis originem. §. 4. Caussæ euersionis Græci Imperij.

Refert Vigenerius in Chalcocondylem tantam auri vim in Patriarchio, seu Patriarchæ ædibus repertam à Mahometo.

meto esse; vt inde ad Selimum vsque Baiazeti filium quotannis ex eo ærario ad LX. aureorum millia in belli contra Christianos vsum eruerentur. Quod proculdubio cuiuspiam Græculi, res patrias magnificè efferentis, commentum sit, vel somnium.

Dies captæ vrbis expenditur.

5. *Capta.* Captam esse vrbem anno CIↃCCCCLII sunt qui dicant; in feriam tertiam post Pentecosten eam expugnationem passim Scriptores reijciunt: eamque de Spiritu S. notationem, quam inserui, plerique Latinorum suggerunt. at secus de vtroque sentit Petauius noster *De Doctrinâ Temporum, lib.* XI. *cap.* LIII. Hîc enim probat vigesimâ nonâ Maij, feriâ tertiâ, mane, anno Domini CIↃCCCCLIII expugnatam fuisse Constantinopolim; quæ nos itidem asseruimus. Addit autem contrà quàm nos cum pluribus alijs scripsimus; eam feriam fuisse tertiam non à Pentecoste: sed à Dominicâ SS. Trinitatis. Eo quippe anno (quod etiam adnotauit Meierus) Pascha fuit ipsis Cal. Aprilis; igitur Pentecoste in diem XX. Maij incidit, Dominica SS. Trinit. in XXVII, feria tertia consequens in XXIX. Cui calculo nihil habeo quod opponam. Subdit Auctor, hunc annum fuisse CIↃCXXIV ex quo dedicata primùm est à Constantino magno Constantinopolis.

A septimo Ottomanida Imp.

6. *Septimo Ottomannicæ familiæ.* Bellè procedit hæc enumeratio si Solimannes, & Musa siue Moses Mahumeti primi fratres inter Turcarum Reges non recenseantur. Et illi commodè præteriri possunt, qui nec diu, nec pacificè paterno Baiazethi regno potiti, fratri totum cedere coacti sunt. Septem porrò illi sunt Otsman, Orchanes, Murathes, Baiazethus, Mahometes, Murathes, & Mahometes alter Byzantij expugnator. Eorum seriem genealogicam in calce hîc habes.

§. 7. Hippodromus.

7. *In Atmindane* hoc est in Hippodromo. Huic columnæ Delphicum Apollinis tripodem super impositum quondam fuisse nonnulli asserunt.

Semendria.

8. *Semendrium.* Oppidum Seruiæ non procul Belgrado, ad ripam Danubij. Semender Turcis appellatur, aut Semendre.

Semendre. Synderouiam vocat Bonfinius, Spenderobem, & Spenderouiam Laonicus, Simandriam Busbequius, Iouius Samandrium, Smendrouum Spanduginus. Hungaris est Zendrew, nomine corrupto ex S. Andrea, cuius hoc cognomen habet, & aliud castellum in Hungariâ superiore. Eam Murates anno CIↃCCCCXXXVIII, vti diximus, occuparat. Georgius porrò Despota, vnà cum Lazaro, filiorum natu minimo, ad Albertum secundum Imperatorem Austriacum, Alberti generum, & successorem, opem contra Muratem petiturus, aufugerat; sed interim dum parantur auxilia, Semendria deditur. Vnde ad Ragusæos Georgius, cum magnâ vi pecuniæ (10 millia Ducatorum conficiebat) se contulit. At cùm Ragusæos quà minis, quà precibus fatigaret Murates, vt eum virum ad se mitterent: ille ad Vladislaum Polonum Hungariæ Regem transfugit, à quo restitutus in integrum fuit. Lazari (huius filij) gener fuit Stephanus Bozinensis Regulus, & iure vxoris Mariæ (quam Lazaro pepererat Helena, filia Thomæ Palæologi) Seruiæ, siue Rasciæ Despota. Et huic vtramque Prouinciam ademit Mahometes. Bozina porrò duplex erat, superior & inferior. Illius quidem Regia dicebatur Herzec à Turcis, à Castaldo Chersec, à Bozinijs, & Croatis Hersegouina quasi Ducis Regia, ab Herzog, quod Ducem sonat; qui Dux etiam S. Sabæ dicebatur. Inferior Regem habebat, quem Illyricorum vocat Laonicus. Bozinios Patzinacas dicebant veteres. Vt ex varijs Constantini Porph. locis constat *De Administr. Imp.*

9. *Ibid. Sinopen.* Ismaëlem vocat Sinopiensem Regulum Aeneas Syluius in Asiâ: aitque eum legationem ad Italos subsidij caussâ anno CIↃCCCCLIX frustra misisse. Sinope.

10. *Caffa propter aromata &c.* Primùm quidem, tempore Augusti, eæ merces ex Indiâ per Erythræum, seu Rubrum mare in Ægyptum nauigio deferebantur; vnde terrestri itinere, emensâ Ægypto, in Mediterraneum transportabantur. Subinde cœptæ sunt ad ostium Indi Quibus vijs olim ad nos merces Indicæ aduehe-rentur.

amnis aduehi: tum aduerso flumine enauigato, & iumentis impositæ, Oxo fluuio (quem Abiam putat Ortelius, ego Oboengir arbitror: qui quidem duo amnes proculdubio in Oxum confluunt) committebantur. Et superato mari Caspio, ad Citracham, vrbem ostio Volgæ incumbentem, appellebant. Inde sursum actis nauigijs, & modico terræ spatio emenso Tanai imponebantur: dein in Euxinum Pontum illapsæ, Caffam appellebant. Eâ vero vrbe à Turcis occupatâ, atque adeo intercluso aditu, ex Caspio mari, terrâ deinceps confectum est iter ad Phasidem fluuium (nunc Fasso) indeque ad Pontum Euxinum. Verùm vbi & hos omnes tractus sui Turca fecit imperij: per mare Persicum aduehi cœperunt Indica aromata in Euphratem: & ex hoc amne terrestri viâ Damascum, Aleppum, & Baruthum maris Mediterranei portus. sed etiam iter illud occlusum est, quando Ægypti regnum ad Turcas transijt; tum ergo antiquum iter per mare rubrum, resumptum est. Donec incredibili ausu, & inauditâ felicitate, Lusitani Reges noua maria per nouos Typheas aperuerunt; per quæ maria continenti nauigatione, ab ipsis Sinensibus & Iaponibus, in Europam, tam magno Christianorum bono, quàm Saracenorum detrimento, omnis generis aromata, & aurum singulis annis deferuntur.

§. 8. Trapezus.

11. *Trapezuntis Imperator*. Tarabozan vocant Turci, Galli Trebizondam, Prouinciam Genech Turci dicunt. Quam Reineccius interpretatur Pontum; sed magis propriè sic dicitur, quæ olim Colchis erat, postea Lazorum appellata regio, siue Lazice: cuius metropolis est, Leoni Augusto, Trapezus, quam in Genech ponit Aythonus.

Laonicus explicatus.

12. *Alexius Comnenus*. Hæc tota narratio mirum in modum in Laonico deprauata est: ὡς γὰρ (inquit) ἐν ὑποψίᾳ γενομένῳ τῷ βασιλεῖ ἰωάννῃ περὶ τῆς μητρὸς αὐτοῦ. Arbitror vertendum *cum factus esset suspectus Regi Ioannes*. βουλόμενος ἀνελεῖν καὶ τὴν μητέρα, vertit *volens eos occidere*: Imò matrem, quæ sola rea fuit, interficere voluit; tametsi & patrem concluserat;

clusерat. Deinde πεποίηκεν ὁ βασιλεὺς Ἀλέξιον τ͂ ὑὸν αὐτ͂ τ͂ δεύτερον βασιλέα Σκαντάριον. Vertit: *Alexandrum filium Regem iterum declarauit* (ita etiam Vigenerius in Gallicâ suâ versione: vbi miserè totam eam narrationem detorquet.) Et quando, amabo, primùm declarauit? Quis non videat δεύτερον ὑὸν, alterum, seu secundo-genitum filium intelligi?

Sequitur. κ̀ ὑπάνδρευσεν αὐτὸν (scilicet Σκαντάριον) μετ̀ τ͂ θυγατέρα μιτιλήνης γαταλουσίε, ὃν ἀπέπεμψεν αὐτ͂ ἐν τῇ μιτιλήνῃ. Quid si legimus: κ̀ ὑπάνδρευσεν αὐτ͂ μετ̀ ταύτα τ͂ θυγατέρα Καταλυσίε μιτιλήνης ἡγεμόνος, πρὸς ὃν ἀπέπεμψεν αὐτὸν ἐν τῇ μιτιλήνῃ; ad quem, ipsum Alexandrum misit Mitilenem?

13. *Vssum Cassani*. Hic aliter Assambegus dictus est, seu Chasan à suis: Vssum à Turcis, hoc est procerus agnominatus est: Persicâ linguâ Diras: Laonicus quoque Chasanem longum appellat. Eius ex filiâ nepos fuit Ismaël Sophi, Rex Persarum, & nouus Alcorani Interpres. Sophi sanctum quibusdam, Nicolao vero Nicolai tegumentum certum capitis, quo Ismaël vsus fuerit, significat. Spanduginus autem scribit, Sophi lanam significare Arabicè; ita porrò eos esse appellatos: quòd nefas sit aliter quàm lanâ Persis pileum suum, siue Tulipantum conuestire; lanâ autem vtuntur coloris rubri. Vnde à Turcis Persæ Kesulbach, hoc est capita rubra vocitantur; Tartari viridem colorem vsurpant.

§. 9. Vssum Cassan.

Sophi nomen.

Iouius. Spandug. & alij.

14. *Dauid. Imp*. Æneas Syluius, postea Pius 2. PP. dictus in descr. Asiæ. *Trapezuntius*, inquit, *anno proximo* (CIↃCCCCLIX) *legatum ad nos misit auxilia contra Turcas orans*. Et i *Trapezuntius Imp. vni ex Turcarum principibus* (Vssuncassanem credo intelligit) *filiam nuptui dedit*. Inter eiusdem Epistolas, extat vna Dauidis Trapez ad Philippum Burgundiæ Ducem, anno CIↃCCCCLIX, XXII Aprilis data, quo eum cæterosq; Occidentis Principes cõtra Turcas excitat. Se in Oriente hos aggressurum XXX biremibus, & XX hominum millibus, Georgium Persarum Regem LX milli-

 bus,

bus, Gorgoram Ducem Georgianæ, xx equitum millibus, Bendiamum Regem Mirigræciæ, (olim Colchidis) xx millibus, Rabiam Ducem Anocasiæ xxx millibus: Dardebechum Dominum Armeniæ minoris x. millibus: Assambegum L millibus, Caramanum, & Sinopensem Ismaëlem suas his copias iuncturos esse. Hi omnes conatus irriti fuere. Vnde idem Æneas Syluius Epist. ccccxx ad Ioan. Capistranum mirè indignatur; *Tota Christianitas*, inquit, *si reperiat emptorem, parebunt omnia Turco; si dabit aurum venalis est nostra religio.* Eorum autem, quos Æneas Syluius commemorat, Principum Legati, Ducem Burgundiæ Audomaropoli, Arthesiæ vrbe, xxII Maij anni CIↃCCCCLXI conuenere, quorum legatorum Princeps fuit Ludouicus Antiochiæ Patriarcha.


Et in Actorum Valentianensis vrbis tabulis annotatum reperio sub annum CIↃCCCCLXX, Alexandro Asani Byzantini olim Imperatoris consanguineo, & Constantino Trapezuntino, Magni Ducis filio ex ærario publico collatum viaticum. Ita scilicet infortunati Principes egestate compulsi Europam percurrebant, auxilium patriæ frustra implorantes.

FINIS.

Ad maiorem Dei Opt. Max. & B. V. gloriam.

GRÆCO-

GRÆCORVM IMPERATORVM STEMMA.



Constantius Angelus.

ISAACVS
||
1ª Vxor ignota.
||
2ª Maria Belæ Regis Hungariæ filia.

ALEXIVS iunior cœlebs obijt.
Irene = 1° Rogerius Tancredi Regis Sicil: filius
||
Philippus Rex Rom.

Filia vnica
||
Andronicus Palæologus Magnus Domesticus.

MICHAEL PALÆOLOGVS ¶
Constantinus Cæsar.
Ioannes Sebastocrator, vterque ex aliâ matre, ait Logotheta.

Theodora desponsa Conrado Monferratensi.

Irene Porphyrogenita.
||
Alexius Palæolog. Despota.

ALEXIVS tyrannus.
||
Euphrosyne filia Ioãnis Sebastocratoris.

Anna = THEODORVS LASCARIS
||
Maria Roberti Imp. soror.
||
3ª N. Armena.

Ex 1ª Irene.
||
IOANNES DVCAS BATAZA.
||
Anna Manfredi R. Sicil. filia.

Ex 1ª THEODORVS LASCARIS = Helena soror Asanis.

IOANNES LASCARIS excæcatus, & solio pulsus à Michaele Palæologo.
Theodora = N. de Valaincour Belga.
Irene = Constantinus Tæchus
||
2° Comes Vintimiglius Italus.
Maria = Nicephorus Aetolus.
Eudocia.

Maria desposata filio Regis Hũgariæ: nupta verò Anselmo de Caieu Belgæ.
Eudocia
Ex 3ª Filius puer ob.

Eudocia = ALEXIVS DVCAS MVRTZVPHLVS.

N = Isaacius Comnenus ab Asane captus.

MICHAEL PALÆOLOG. || Irene Porphyrogenita.

ANDRONICUS Senior, seu anus. || 1ª Anna R. Hung. filia || 2 Irene, vel Iole Monferrat.

Cõstantinus Porphyrogenitus.

Theodorus Lydiæ Præfectus

Eudocia = Ioãnes Imp. Trapezuntis.

Anna.

Irene.

Ioannes Panhypersebastus. || Irene Metochitæ filia.

Ex 1ª MICHAEL cum Patre regnauit = 1ª Vxor vel sponsa Maria Armena. || 2ª Xene.

Constantinus Despota = N. || Pellex.

Michael Catharus ex pellice.

Ex 2ª vxore Ioannes

Theodorus Montferratens. Marchio

Simonis = nupta Crali Seruiæ.

Demetrius.

Ex 2ª vxore ANDRONICUS iunior = 1ª Irene Brunsuicensis || 2ª Anna Sabauda.

Manuel Despota.

Theodora = Sphendoslabus Bulgarus. || 2º Michael Sphendoslabi, vel VVenceslai Successor

Anna = Thomas Epirotes: qui & Prialupas. || 2º Conto Thomas, Prialupæ nepos, & interfector.

Ex 2ª vxor IOANNES seu Calo-Ioannes || Helena Ioãnis Cantacuzeni filia.

Manuel.

Nª = Susmanus Tryballus.

Nª = Orchanes Imp. Turcarum.

Calo-Ioannes

Calo-Ioannes VI. 3

ANDRONICUS 3
||
Ioanna filia Marci Mœsorum Principis.

Ioannes Baiazetho se addixit.

MANVEL = Helena Imp. Trapezuntis fa.
Theodorus Porphyrogenitus.
Demetrius.

IOANNES = 1 Sophia Monferratens.
||
2 Filia Russorum Regis.
||
3 Maria Comnena fa Imp. Trapezunt.

N. ||

Theodorus Corinthi Regulus
||
Scopela Malatesta.

Andronicus Thessalonicæ Præfectus.
Theodorus = filia Reinerij Acciaioli.
||
Pellex ex quâ Amurathes.

CONSTANTINVS postremus Grecorũ Imp. = Theodora fa Leonardi Tockij
||
2a fa Regis Georgianorum, seu Iberiæ

Harianites Golemus, seu Comnenus = N.

Donica = Georgius Castriotus Scanderbegus.

Demetrius = filia Dominici Cataluſij
||
2a Zoë fa Paraſpondyli.

Thomas = filia Martini Giachariæ.

Isaacus, seu Musachius iuxta Herold.
||
Voisiana.

Moses, seu Musachius Valmorensis.
Vladenicus.
||
Angelina.

Musachius.
Giuriza.

Andreas. Manuel. Sophia, vel Zoë
||
Ioannes Moscorum Dux.

Helena = Eleazarus Seruiæ Regulus.

OTTO-

OTTOMANNORVM STEMMA.

Ertucules.
Filia Edebalis Vatis.

OTSMAN regnauit annis xxix. obijt anno 1329 Gundus Alp.

VRCHAN siue Orchanes regnauit annis xx obijt 1359.

Solimannes ob. anno 1359. ante patrem

MVRATHES. I. regnauit annis XXXI. obijt 1390.

BAZAIETH cognomento Gilderun Turcis .i. Fulmen, Græcis Lælaps .i. turbo. regnauit annos XIV. obijt 1403.

Siaus Zelebi

Iacub Zelebi.

Daut seu Dauid Zelebi.

Ertogrul siue Ortobules.

Hi duo in prelio cōtra Temirem cum Patre capti.

Mustapha Zelebis.

Emir Soleiman vel Musulman exutus regno à Musa fratre anno 1412.

Orchanes excæcatus à Musa.

Isa Zelebi occisus à Mahomete.

Sultan. MAHVMETH regnat solus annos VII. obijt 1422.

Emir Musa, seu Moses occisus à Mahomete anno 1415.

Casan, vel Casines Zelebi.

N. Filia obses cum Casane Constantinopoli.

MAHVMETH.

MVRATHES 2. regnauit annis XXXVIII. obijt 1450.

Mustapha Zelebi à Murathe necatus.

MAHVMETH 2. regnauit annis XXXI. obijt 1481

Aladin Zelebi obijt ante patrem.

N. Zelebi, seu Calepinus, qui Christianus factus, vocatus est Calixtus.

Turcines, seu Turachanes.

Mustapha Caramaniæ Begus obijt ante patrem.

BAIAZETH 2. veneno necatus à filio Selimo, cuius posteros vide apud Leunclauium, & alios passim.

Zemi, vel Gemes profugus ad Christianos.

Opera-

Operæpretium fore existimaui tum ad antiquæ simplicitatis reuerentiam: tum ad astruendam historiæ nostræ veritatem, binas hîc Epistolas adscribere, vnam Paulini Comitis, quâ prior Constantinopolis expugnatio: alteram Balduini Imp. quâ posterior explicatur. Vtraque ex vetustissimis Codicibus Monasterij Rubeæ Vallis manu exaratis desumpta est.

EPISTOLA

Quam Comes de S. Paulo Duci Brabantiæ misit.

PRæcordiali amico suo *H. Duci de Louanio, viro nobili * H. Comes S. Pauli. Statum pauperrimi exercitus Iesu Christi nobilitati vestræ declarare desidero. Nouerit igitur serenitas vestra, quòd Alexius filius Tirsaci quondam Imperatoris Constantinopolitani: quem Frater eius propter ambitionem Imperij excæcauit, venit ad nos apud Corfaut: ibique genibus flexis, profusis lacrymis, vniuersitatem nostram exorans, quatenus Constantinopolin venientes cum ipso, ei auxilium præstaremus, vt ipse Auunculum suum, qui erga Patrem suum tantum scelus perpetrauerat, à regno per auxilium nostrum expelleret: quod per ambitionem sibi vsurpauerat, & iniustè possederat. Super hoc autem fuit inter nos maxima dissensio, & ingens tumultus; omnes enim clamabant ire * Accaron: pauci fuerunt plusquam xx, qui Constantinopolin collaudassent; quorum fuit vnus Marchio, Comes Flandrensis, Comes Ludeuuicus, & alij: quorum nomina ad præsens reticentur; qui

* Henrico.
* Hugo.
Corfou.
* Acconem.

omnes toti exercitui ostendentes manifestè, quòd via Ihe- rosolimitana erat omnibus inutilis & damnosa, cùm ipsi essent inopes, & victualibus imminuti; nec esset aliquis inter eos qui milites ad stipendia & Sarjantos ad solidum detineret, vel qui petrarias faceret protrahi: nec alia instrumenta bellica produci. Tandem verò vix nobis acquiuerunt; tali tamen conditione, quòd apud Constantinopolin moram nullatenus facerent vltra mensem: nisi voluntate suâ propriâ morarentur. Responsum est eis quòd breuis mansio publicata non erat nobis necessaria; quia Græci nos minus formidarent, si breuis moræ spacium præscirent. Attamen impetrauerunt à nobis, vt de morâ solius mensis eis securitas præstaretur in palam, & ita factum est. Quo facto iuuenis Imperator nobis promisit, quòd toti exercitui nostro per annum victualia largiretur integrum: & quod x. millia militum ad annum S. terræ succursum ad sumptus suos haberet. Promisit* enim quamdiu viueret, ad stipendia sua se in terrâ Sanctâ 1011 milites habiturum; & quòd Duci Veneti .... millia marcarum argenti, & totidem exercitui nostro erogaret; quibus compositis & communi vtilitate concessis, naues nostras conscendimus. Dehinc ad portum Bucceaniæ octauo die applicantes: ab eo loco * C leucæ Constantinopolin, per strictum mare, & velociter currens transitur. Inde per illud fretum nauigantes transiuimus brachium S. Georgij, & portum cepimus ad firmam terram versus Iconium, qui portus distat à Constantinopoli vnâ leucâ. ibidem stupuimus valde admirantes super hoc, quod nemo amicorum, nemo parentum iuuenis Imperatoris, qui nobiscum erat, seu aliquis nuncius eorum venit ad eum: qui ei statum Constantinopoli declararet. Non mora Imperator Imperium tenens Duci Veneti, Marchioni, Comiti Flandrensi, Comiti Ludeuuico, & nobis nuntios suos destinauit, nos verò secretum inter nos ineuntes consilium diximus; quòd Imperatoris nuntios nullatenus audiremus, nisi prius se ab Imperialis cathedrâ deponeret Maiestatis.

* Fortè, etiam legendum.

* Vid. Not. pag. 613.

Maiestatis: aliter ipsum, vel eius nuntios nequaquam auscultaremus, nolebamus enim quod Græci muneribus attentarent, vel mollirent: * Interim Imperatoris exercitus in littore nobis opposito paratus erat nobis transitum inhibere: ostendens animositatis imaginem nobiscum præliandi. quod videntes ad peccatorum nostrorum concurrimus confessionem, in Dei solum misericordiâ confidentes. Postea nostras ordinauimus * pugnas; deinde nos omnes armati intrauimus naues varias, & galeïdas, quæ * vasa nauigio apta cc numero fuerunt, præter nauiculas, & bargas. Cùm verò Deo ducente vltra fuimus applicati, omnes Græci qui conuenerant, vt transitum nobis impedirent, ita Dei gratiâ à nobis elongarunt, quòd aliquem eorum etiam volatu sagittæ vix potuimus attingere. Inde perreximus ad quandam turrim fortissimam, quæ Galatha nuncupatur, in quâ firmabatur catena ferrea grossa nimis, quæ, posita super ligna transuersa, mare transnatabat, attingens vsque ad muros Ciuitatis. Catena illa portum seruabat, iuxta quam naues & galeïdæ Ciuitatis cum bargis erant, latere ad latus coniunctæ, nobis introitum prohibentes. in turri siquidem sæpedictâ erant * Sarjanti Anglici, Pisani, Liuoniani, Dachi, ad eam protegendam constituti; qui exibant turrim & introibant, sicut & quando volebant, ad sagittandum nostros. Super turri autem illâ locuti fuimus cum Duce Veneti viro prudentissimo, & discreto, dicentes ei: quòd nullo modo posset capi, nisi per * minitores, & petrarias caperetur. respondit nobis quod iuxta catenam antedictam faceret naues suas protrahi, suas erigens petrarias cum instrumentis varijs super naues; nos quoque nostra faceremus * ingenia erigi super terram: sic vndique turris obsessa Dei nostroque auxilio de facili caperetur. Dum autem hæc proponerentur, Sarjanti in turri latitantes nostris gentibus sagittando importunos faciebant assultus. Verùm nonnullâ vice in nos fecerunt * salinationes, quasi forent acriter retromissi, & suorum damna multimodè sustinerent.

* Deest aliquid, *nos forsan*, vel *milites*.

* Ex Gallico *Batailles*: vel *Batailons* acies Latinè.

* *Vaisseaux* pro nauibus.

* *Sergeans* satellites.

* *Mineurs* fossores cuniculorum.

* *Engins*, Machinas.

* *Saillies* eruptiones.

Tertiâ verò die post tentoria nostra ibidem confixa, illi deinde exeuntes nostris quibusdam militibus, & peditibus præter nos fecerunt insultus. Petrus vero de Braielcuel, cum quibusdam militibus & Sarjantis armatus superueniens, hîc eos cum festino impetu atrociter inuasit, quòd ei non potuerunt resistere, nec ad turris refugium remeare: imò oportuit quosdam eorum nostris instantibus prosilire in mare, & ibi submersi fuerunt; quidam truncati, quidam verò retenti. Statim Deo mirabiliter operante turris absque bellico instrumento capta, & catena rupta fuit. Mox siquidem nauibus ciuitatis retro abeuntibus, naues nostræ liberum portum habuerunt, & quosdam eorum simul cum galeïdis, nauiculis, & bargis ceperunt: tunc verò nostris nauibus, & nobis ordinatis ad pugnam, processimus iuxta littus, ad quendam pontem lapideum, distantem à turre prænominatâ vnâ leucâ, pons verò ille protensior erat paruo ponte Parisiensi: & erat adeo strictus vt tres equites iuncti lateribus simul vix per illum possent transire, vadis profundis existentibus. Non poteramus aliàs transire, nisi multam faceremus torsuram. Si verò à nostro nauigio longè distaremus: fortasse periculum magnum incurrissemus & damnum. Cùm peruenissemus ad pontem ipsum (Dei patientiâ) nullo obstante transiuimus, & procedentes tentoria nostra fiximus inter palatium Imperatoris, & palatium Boimond, & sic propinquauimus palatium quod Blacherna dicitur; quòd sagittæ nostræ cadebant super palatium, & infra palatium per fenestras; & sagittæ Græcorum super tentoria nostra. Hoc facto exercitum nostrum conclusimus grossis palis, & circumcinximus litijs, deinde instrumenta nostra bellica & petrarias ereximus ante muros. Dux Veneti vero super quamlibet nauim construxit de antennis pontem altissimum, in altitudine C pedes habentem, & super quemlibet pontem poterant ire quatuor milites de fronte. Præterea quilibet vsarius mangonellum suum habebat erectum. Dum autem hæc fierent, Græci nobis pede & equo plures in-

stanter.

stanter fecerunt insultus: verùm super hoc quàm nos deteriùs habuerunt. Quadam die maxima militum multitudo de quadam portâ cateruatim egrediens (quæ porta patet à dexterâ parte palatij) superiùs exilijt, & nos prouocâuit ad arma: quos nostri cum ingenti impetu & forti audacter repulerunt; quòd multi eorum altero alterum inculcante corruerunt in fossas. Inter quos filius Ducis de Ducato, qui inter Constantinopolitanos fortior & pulchrior dicebatur, cum alijs quibusdam peremptus est. Crastinâ quoque die quædam cohors militum ciuitatis per portam Blachernæ exiuit eâ parte, quâ ingenia nostra bellica erigi feceramus. Sed Deo iuuante retromissi sunt turpiter, & potéter. Tunc quidam retentus est vir nobilissimus, potentior & in militiâ meliore omnibus Constantinopolitanis, qui consiliarius Imperatoris erat. Die mercurij post ordinationem fuit propositum, quòd in crastino fieret assultus ad ciuitatem. Videlicet Dux Veneti per mare, Comes Flandrensis, & Comes Ludeuuicus per terram assilirent, & Marchio cum illis: ego siquidem & * M. de Montmorensi, & * Marschalcus Campanico de Sancto Cyrone, dum assultus fieret, custodiremus exercitum forinsecus inter vallum, & campum, & sic fecimus. Factâ autem ordinatione, & proposito terminato Dux, & Veneti cum quibusdam de nostris, qui nauigio potenter instabant, prope muros nauibus applicatis, scalas muris acclinantes, intrauerunt cum virtuoso impetu ciuitatem: xxx turribus lucrifactis, iuxta quantitatem atturbati, & de ciuitate non modicam combusserunt. Nostri quoque suos per terram facientes insultus, scalis similiter muro appositis suas super muro posuerunt banerias & vexilla. Minitores verò muros inferius subcauantes vnam turrim strauerunt. Tunc Imperator, ciuitatis incendio & nostris insidijs vndique coartatus, constituit ad portas singulas, quæ ad campos exitum faciebant, turmas militum non paucorum, vt nos circumquaque assilirent, & inuasos inuoluerent & truncarent. E contra nos similiter nostras or-

* Matthæus.
* Marescalcus Cāpaniæ, cum O. de S. Cherone.

 dinauimus

dinauimus pugnas. Comes Flandrensis cum suis, ego quoque cum meis, vterque in suo cuneo consistens. Fecimus autem custodiam, & equitauimus ordinatè & coniuncti contra prœlium nobis contrarium, eos adeo appropinquantes, quòd eorum Sagittarij & balistarij * trahebant in nos, nostrique in ipsos; cum ipsi viderent nos magnanimos esse & constantes, ordinatè procedere & seriatim, & nos non posse faciliter expugnari vel corrumpi: ipsi valde perterriti & confusi, cedentes nobis non ausi fuerunt (Dei gratiâ) dimicare nobiscum. Et sciatis quòd non fuimus in toto exercitu plures quam quingenti milites, & totidem equites; Sarjantes non habuimus plures quàm duo millia peditum: maior enim pars statuebatur ad ingenia nostra conseruanda. Videntes autem eos fugere & abire, noluimus insequi: ne fortè per eorum dolos & insidias exercitui nostro, & bellicis machinis nostris, vel turribus quas Veneti ceperant, damnum inferrent. Imperator verò nocte rediens ad palatium suum, asseruit se in crastinum pugnaturum nobiscum; eâdem autem nocte mediâ Imperator latenter aufugit. Die * vero Iouis, sicut Imperator promiserat, debuimus pariter dimicare; in crastino (Deo cooperante) fuit ciuitas reddita nobis, & tunc fuerunt octo dies completi à ciuitatis obsidione. Tunc verò Tirsacus Imperator, & Imperatrix vxor eius, videlicet soror Regis Vngariæ, qui diu in horrore carceris teneri fuerant & inclusi, nobis gratias multimodas, referentes, mandauerunt, quòd per Dei gratiam & nostrum auxilium fuerant à carcere liberati, & quòd decus Imperij rehabebant, & nos in crastino veniremus in palatium: tanquam in nostrum, cum filio suo diu desiderato. Et ita fecimus, & manducauimus cum eis cum magnis exultationibus & honore solemni. Hoc equidem vos scire volo, quòd eo vsque in negotium Saluatoris processimus, quòd Orientalis Ecclesia, cuius olim metropolis erat Constantinopolis, cum Imperatore & vniuerso Imperio eius, capiti suo Romano

Pontifici,

* *Tiraient*, iaciebant.

* Fortè legendum ergo.

Pontifici, sicut fuit antiquitus, renodata, Romanæ Ecclesiæ sese esse filiam recognoscit, & vult de cætero eidem more solito, humiliato capite deuotiùs obedire. Ipse etiam eiusdem Ecclesiæ Patriarcha huic aspirans operi, & applaudens, suæ dignitatis pallium à summo Pontifice recepturus, Romanam sedem vlterius adibit, & ipse super hoc cum Imperatore iuramenti præstitit cautionem. His igitur tot & tantis vtilitatibus prouocati, & spe sanctâ bonorum futurorum detenti, apud ciuitatem præscriptam proposuimus hyemare; & hoc ideo fratribus nostris, qui in transmarinis partibus nostrum præstolantur aduentum, curauimus nunciare, vt ipsi auditis nostrorum rumoribus gaudiorum, quorum eos esse participes præoptamus, adminiculo sanctæ spei suffulti nos Constantinopolin expectent: * Noueritis etiam quòd accepimus tornamentum contra Soldanum Babyloniæ ante Alexandriam; si quis ergo Deo vult seruire, cui seruire est regnare, & nomen habere militiæ conspicuum & clarum, tollat crucem & sequatur Dominum, & veniat ad tornamentum Domini, ad quod ab ipso Domino inuitatur. Valete.

*Hoc est indiximus bellum Soldano.

Data est hæc Epistola sub finem anni CIƆCCIII.



Balduinus

Balduinus de alterâ expeditione, & expugnatione Constantinopolis binas dedit eodem argumento epistolas; vnam ad populum Christianum vniuersum; & hanc Aubertus Miraus ex Manuscripto Codice Sonegiensi publicauit: sed multis mendis vitiatam: alteram ad Capitulum Cisterciense. Et hanc hîc habes ex M. Sc. Rubea Vallis, cui titulus est Nouale Sanctorum. 3. *p. quæ inscribitur* Historia Ierosolymitana *l. 3. c. 18. hanc tamen ex altera subinde illustratam dabo.* Aub. Mir. Cod. Don. c. 99.

EPISTOLA BALDVINI IMP.
ad Capitulum Cisterciense.



Balduinus Dei gratiâ fidelissimus Imper. in Christo Constantinopolitanus, à Deo coronatus, Romaniæ moderator, & semper Augustus, Flandrensis, & Haynoënsis Comes: Deo & hominibus amabilibus viris, semper in Christo dilectis, & meritò diligendis Abbati Cisterciensi, & vniuersis Abbatibus, & Fratribus eiusdem Martyrij thezaurizantibus rosas: terrena despicere, & amare cælestia.

* Nostræ.

Cùm Christianæ Religionis zelo, imò & nostro * speciali amore personæ, quæ circa nos aguntur Religio vestra scire desideret: seriatim vobis duximus declarandum: quàm mirâ circa nos diuina clementia vsa sit nouitate; quanquam non nobis quidem, sed nomini suo gloriam dederit, omnibus seculis admirandam. Mirabilibus eius circa nos semper mirabiliora succedunt: vt etiam infidelibus dubium esse non debeat, quin manus Domini operetur hæc omnia; cùm nihil speratum, aut prouisum antè contigerit: sed tunc noua demum nobis procurauit auxilia, cum nihil humani videretur superesse consilij. Et quidem si bene meminimus, per * litteras vniuersitati vestræ transmissas,

* Has nusquam reperire contigit.

missas, nostri progressus & status narrationem eousque deduximus, vt vrbe populosâ captâ, violenter à paucis, tyranno fugato, ac filio Isaacij Alexio coronato mora nostra promissa * foret, ac ordinata, per hyemem; vt potenter obtinerentur, si quidem obsistere viderentur Alexio, & nunc breuiter narranda suscipimus, quæ circa nos postea contigerunt. Eo prænotato, quod sicut non opera hominum fuerunt, sed Dei quæ Græcis intulimus; ita non hominum opera fuerunt, sed Dæmonum, quæ cum Imperatore nouo, * Græcoque per omnia Græcia nobis ex perfidiâ consuetâ retribuit. Nos siquidem, ne discordiæ fomitem inter nos, & Græcos ministraret moribus nostris aduersa barbaries de ciuitate exeuntes, ex aduerso Ciuitatis interiacente portu, ad preces Imperatoris castra posuimus; & ex insperato, seu innatâ malitiâ, seu Græcorum seductus perfidiâ, animo recessit à nobis Imperator; cui tanta bona contulimus, & in omnibus cum Patre & Patriarchâ, ac mole nobilium nobis promissis, periurus, & mendax tot incurrit periuria quot nobis præstitit iuramenta. Vnde nostro destitutus auxilio prælia contra nos meditatur incassum, & nauigij, quod eum adduxerat, & sublimauerat ad coronam, procurat incendia; sed voto tam crudeli, Deo nos protegente, fraudatur. Fit pars sua per cuncta deterior, & hominum suorum cædes, incendia, & rapinæ proueniunt, imminente foris pugnâ, intus timoribus coarctatur, Imperatorem ei æmulum parantibus Græcis. Eâ occasione captatâ, quod nullus ad auxilium nostrum deberet habere refugium. Cumque illi spes vnica * restaret in nobis: iuratum sibi quemdam * Marculfum nomine, sanguine sibi propinquum, de quo pro beneficijs impensis super omnes alios confidebat: mittit ad exercitum nostrum, qui Blakernæ palatium nobis sub iuramento Imperatoris & suo promittit in obsidium, donec cuncta nobis promissa reddantur. Accedit ad palatium recipiendum nobilis Marchio, illudit Alexius Marchioni: & quos nobis iam dederat, spretis obsidibus consueta periuria non

* Miræus habet *permissa.*

* *Mir. Græcorum.*

* Mir. addit *euadendi.*

* Mir. *Murculfum.*

* Deeſt in vtroq; *exercere*, vel quid eiuſmodi.

* Mir. *Noſter deij-ciatur.*

* Mir. *uerum.*

* Mir. *munitus.*

* Mir. *inſtructus.*

* Mir. *duas.*

* M. *foſſores.*

veretur.* Nocte inſecutâ Marculfus Domino ſuo perfuturus & nobis, Græcis reddendi nobis palatium, reuelat arcana; atque ex hoc in perpetuum eis eripi libertatem, & ad hoc modis omnibus eſſe veniendum declarat: niſi deijciatur * Alexius. Cuius proditionis merito ipſe tertius in vrbe Imperator attollitur. In Dominum dormientem, & rei neſcium ſacrilegas mittit manus, eumque tetro carcere concludens, * tertium Nicolaum quemdam, qui apud S. Sophiam Imperiales Infulas nouiter vſurpauerat, traditum ſibi Græcorum proditione, qui eum creauerant, rurſum incarcerat. Mortuoque poſt modicum Iſaacio, qui animum filij ſui præ omnibus, vt dicebatur, auerterat, acclamante clero Græcorum & populo, vt de terrâ tolleremur in breui, tantum ſanguinem noſtrum ſitientibus Græcis; prælia contra nos iam dictus proditor inſtaurat, vrbem machinis & propugnaculis munit, quorum ſimilia nemo viderat vnquam. Cumque murus miræ latitudinis lapidibus * minutis, & cemento tenacitatis, & firmitatis antiquę, * conſtructus, in altum valde conſurgens, turres haberet ampliſſimas: pedibus circiter quinquagenis paulò plus minuſue diſtantes; Inter quaſlibet * turres à parte maris, qua noſter timebatur aſſultus, turris lignea erigitur, ſupra murum ſtationibus tribus aut quatuor, multitudinem continens armatorum. Nihilominus etiam, inter quaſlibet duas turres, ſeu petrarius, ſeu mangonellus erigitur; turribus autem ſupererigu ntur ligneæ turres altiſſimæ ſtationum ſex, ſuperque ſupremam ſtationem aduerſum nos porriguntur ſcalę, appodiationes ex vtraque parte, ac propugnacula continentes; paulo minus excelſis ſcalarum capitibus quàm iacere poſſit arcus à terrâ. Murum ipſum etiam murus circumcinxit exterior, duplexque foſſatum, ne muris vlla applicari valerent ingenia; ſub quibus poſſent latitare * ſeſſores. Interim terrâ marique nos tentat perfidus Imperator, nos ſemper Domino protegente, & ſuos conatus fruſtrante. Nam præter ordinationem noſtram, ad prædam victualium procul exeuntibus noſtris-

stris, vsque ad mille animas hominum propugnatorum. Imperator occurrit, in multitudine * graui, primoq; congressu dissipatur omnino, cæsis, captisque non paucis, sine damno nostrorum: fugâ ignominiosâ consulens sibi, clypeum abijcit, arma deponit, & nostris vexillum Imperiale dimittit; nobilemque quam sibi præferri faciebat Iconam, quam ordini vestro Cisterciensi nostri dedicauere victores. Iterato nauigium nostrum flammis aggreditur, intempestæque noctis silentio sedecim naues incensas, velis in altum expansis, & inferiùs colligatis ad proram, flante fortiter Austro, nostras mittit in naues; sed Domino * faciente cum multo labore nostrorum * custodimur indemnes, & ardentibus nauibus clauis infixis cathenis hærentibus nostrorum nauigio * trahuntur in pelagus, & ab imminenti mortis periculo à Domino liberamur. Nos itaque eum terrestrem prouocamus ad pugnam & ponte atque amne transmisso, qui exercitum nostrum separabat à Græcis, cuneis ordinatis ante portam diu stetimus regiæ Ciuitatis, & palatij Imperialis, quod Blakerna nominatur in nomine Domini agminum Israel præcedente Cruce viuificâ parati in prælio, Græcos excipere, si eis placuisset exire. Et quidem pro militiæ exercitio exeuntem nobilem quemdam nostri pedites trucidauerunt. Sic in castra reuersi terrâ marique sæpius prouocamur; sed dante Domino semper triumphaliter obtinemus. Mittit ad nos pacis fictæ legatos perfidus incubator Imperij, postulat & obtinet cum Duce colloquium: * cumque eidem Dux magnificè obiecisset quòd nulla cum eo pacis posset esse securitas, qui Dominum suum carcere conclusisset: postpositâ iurisiurandi religione, & fœderis, & fidei inter * quantumlibet fideles * obtinendis, & ipsi præripuisset imperium; eidemque bonâ fide consuleret, vt Dominum suum restitueret, ac humiliter veniam postularet; nostras etiam pro se promitteret preces, & cum eodem Domino suo si vellet misericorditer agere deberemus; & quidquid contra nos venenosè egerat si rediret ad animum, imputare vellemus

* Mss. Græcorum.

* Mss. fauente.

* Mss. custodiuimus.

* Mss. remedio traduntur.

* Mss. cui quidem cum

* Mss. eos.

* Mss. obtinentis.

mus ætati lapsuique consilij; Ille verba vana subintulit; quia quæ responderet rationabilia verba non habuit. Obedientiam autem Romani Pontificis & subuentionem Terræ Sanctæ, quam iuramento & scripto Imperiali firmauerat Alexius: adeo refutauit vt etiam vitam amittere, Græciamque subuerti præeligeret, quàm quod Latinis Pontificibus Orientalis Ecclesia subderetur. Nocte igitur insecutâ Dominum suum latenter laqueo suffocat in carcere: cum quo ipsâ die prandium sumpserat; inde & clauâ ferreâ, quam tenebat, latera morientis, & costas inauditâ crudelitate confringit; casuque vitam, quam laqueo extorserat, confingit ereptam, ac Imperiali sepulturâ concessâ, perpetratum scelus funeris honestate dissimulat. Sic nobis hyems tota perficitur. Donec nauibus nostris scalis aptatis, & instrumentis bellicis præparatis, nos & nostra recipientes in nauibus 5. Idus Aprilis: hoc est feriâ sextâ ante Passionem Domini: vnanimiter pro honore Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac subuentione Terræ Sanctæ nauali prælio inuadimus ciuitatem; & eo die, sine multo tamen sanguine nostrorum, fuimus tanta perpessi, vt inimicis nostrum in opprobrium verteremur. Quorum eo die pars fuit * superior; adeo vt tracta in terram Græcis compelleremur bellica nostra machinamenta relinquere, & infecto negotio ad ripam redire cogeremur aduersam: Eâ die, vt videbatur, inutiliter fatigati; Conturbati vero plurimum & * conterriti, sed demum in Domino roborati definito Consilio rursum animamur ad pugnam, & instauramur. Et 4°. die, 2°. Idus April. hoc est feriâ 2ª. in * Passione Domini flante Boreâ, rursum applicamur ad muros, scalis nauium scalis turrium applicatis; cum multo labore nostrorum, permultis resistentibus Græcis: Sed ex quo cominus gladios sensere nostrorum, non diu belli anceps durauit euentus: Duæ siquidem naues pariter colligatæ, quæ nostros Episcopos deferebant, Suessionensem videlicet ac Trecensem: quarum erant insignia Paradisus, ac Peregrina,

* Mss. *per cuncta.*

* Mss. *contempti.*

* Mss. *post passionem.*

regrina, primæ scalis suis scalas turrium attigerunt & felici auspicio peregrinos pro Paradiso certantes, hostibus admouerunt. Prima muros obtinent vexilla Pontificum, ministrisque cælestium * secretorum prima conceditur de Cælo victoria. Irruentibus igitur nostris cedit Domino iubente multitudo infinita perpaucis, & propugnacula relinquentibus Græcis nostri audacter militibus portas aperiunt. Quorum cum Imperator, qui non procul à muris in tentorijs stabat armatus, conspicaretur ingressum, statim tentoria reliquit, & fugit. Nostri cædibus occupantur, ciuitas capitur populosa, recipiuntur in Palatijs Imperialibus, qui nostrorum enses effugiunt, multaque cæde factâ Græcorum: nostri se recolligunt, aduesperascente iam die, fessi arma deponunt, de assultu palatiorum in crastinum tractaturi. Suos recolligit Imperator, & crastinum hortatur ad pugnam: asserens quod in potestate nunc habeat nostros, inter murorum septa conclusos; sed nocte latenter dat terga deuictus. Quo comperto Græcorum plebs attonita de substituendo Imperatore pertractabat; & mane facto ad nominationem cuiusdam Constantini procedunt; pedites nostri non expectatâ deliberatione maiorum ad arma prosiliunt, & terga dantibus Græcis, fortissima & munitissima palatia relinquuntur; totaque in momento Ciuitas obtinetur, diripitur, equorum innumera multitudo, auri & argenti, sericarum, pretiosarumque vestium; atque gemmarum, & omnium eorum quæ inter diuitias computantur, tam inestimabilis reperitur abundantia: vt tantum tota non videretur possidere latinitas, & qui admodum pauca negauerant, cuncta nobis diuino iudicio reliquerunt, vt securè dicamus quia maiora his mirabilia circa bellorum casus nulla vnquam narret historia, vt impleta Prophetia manifestè videatur in nobis, quæ dicit: persequetur vnus ex vobis centum alienos. Quia si inter singulos victoriam partiamur, quilibet ex nostris non pauciores quam centum & obsedit, & vicit.

* Mir. Sacramentorum.

cit. Nunc autem non nobis victoriam vsurpamus, quia saluauit sibi dextera Domini, & brachium virtutis eius reuelatum est in nobis. A Domino factum est istud, & super omnia mirabilia mirabile est in oculis nostris. Ordinatis igitur quæ disponenda rerum poscebat euentus, ad electionem Imperatoris vnanimiter, & deuotè procedimus: & omni ambitione seclusâ, cum sex Baronibus Venetorum Venerabiles viros Episcopos nostros Suessionensem, Halberstadensem, & Trecensem, Dominumque Bethleemitanum; qui à partibus transmarinis auctoritate Apostolicâ nobis fuerat delegatus, Achonensem Electum, & Abbatem Lucedij Imperatoris nostri sub Domino constituimus Electores. Qui oratione premissâ, vt decuit, in Dominicâ, quâ cantatur *Misericordia Domini*, personam nostram, quòd à nostris meritis procul erat, vnanimiter & solemniter elegerunt, diuinas laudes clero pariter ac populo acclamante. Sequenti Dominicâ, quâ cantatur *Iubilate* præcipiente Petro Apostolo regem honorificari; eique obediri quasi præcellenti, & Euangelio nuntiante, quod gaudium nostrum nemo tollet à nobis; cum ingenti honore, atque tripudio, more etiam suo applaudentibus Græcis, ad honorem Dei, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac subuentionem Terræ Sanctæ gloriosè coronatum, ad imperij fastigia Deo & hominibus amabiles Patres memorati Pontifices, cum vniuersorum applausu, & pijs lachrymis sublimarunt. Aderant incolæ terræ Sanctæ Ecclesiasticæ, secularesque personæ, quarum præ omnibus inestimabilis erat, & gratulabunda lætitia; exhibitumque Deo gratius obsequium asserebant, quàm si Ciuitas Sancta Christianis esset cultibus restituta; cum ad perpetuam confusionem inimicorum Crucis, Sanctæque Romanæ Ecclesiæ terræque Hierosolymitanæ, sese Regia ciuitas deuoueret; quæ tam diu tam potenter aduersaria stetit, & contradixit vtrique. Hæc est enim quæ spurcissimo gentilium ritu, pro fraterna societate, sanguinibus alternis ebibitis cum infideli-

infidelibus sæpe ausa est amicitias firmare ferales, & eosdem mammillâ diu lactauit vberrimâ; & extulit in superbiam: arma, naues, & victualia ministrando. Quid è conuerso fecerit peregrinis nostris, magis edocere sufficiunt in omni Latinorum gente exempla quàm verba. Hæc est quæ in odium summi Pontificis, Apostolorum Principis nomen vix audire poterat; nec vnam quidem eidem inter Græcos Ecclesiam concedebat; qui omnium Ecclesiarum accepit ab ipso Domino principatum. Et sic recolit eorum recens memoria qui viderunt, Legatum Apostolicum morte tam turpissimâ condemnauit, vt pro Apostolici culminis reuerentiâ nec ipsi paginam præsentem sustineamus mortis illius recordatione polluere; cum nec inter Martyres legatur consimilis vlla, licet pœnas eorum incredibiles inuenerit ingeniosa crudelitas. Hæc est quæ Latinos Sanctos solis didicerat honorare picturis, & inter ritus nefandos, quos sibi spretâ Scripturarum auctoritate confinxerat, etiam lauacri salutaris plerumque facere præsumebat iterando iacturam. Hæc est quæ Latinos omnes, non hominum nomine vocare dignabatur, sed canum; quorum sanguinem effundere pœne inter merita reputabant: nec vllam hac pœnitentiæ satisfactionem * pensabant laicis monachi: penes quos, Sacerdotibus spretis, tota ligandi atque soluendi consistebat auctoritas. Hæc & eiusmodi deliramenta quæ epistolaris non valet explicare angustia, impletis iniquitatibus, quæ ipsum Dominum ad nauseam prouocabant, diuina Iustitia nostro ministerio dignâ vltione percussit, & expulsis hominibus Deum odientibus, & diabolum amantibus, terram nobis dedit omnium bonorum copijs affluentem, frumento, vino, & oleo stabilitam, fructibus opulentam, nemoribus, aquis, & pascuis speciosam, ad manendum spaciosissimam, & cui similem non continet orbis, aëre temperatam. Sed nec in istis desideria nostra subsistunt; nec ab humeris nostris sustinebimus vexillum:

* Ms. præsentabant.

lum Regale deponi, donec terra ipsa, incolatu stabilita nostrorum, partes debeamus inuisere transmarinas, & Deo dante propositum peregrinationis explere. Speramus enim in Domino Iesu, quia qui cœpit in nobis opus bonum, ad laudem & gloriam nominis sui, inimicorum Crucis depressionem perpetuam, perficiet, confirmabit, solidabitque. Vniuersitatem igitur vestram propensius exoramus in Domino, vt orationibus assuetis perseueranter instantes, laborum nostrorum ex eisdem exitum sperare donetis & fructum; sicut à Domino progressum accepimus, & profectum.

Valete. Acta sunt hæc anno Incarnationis Dominicæ M. CC. IIII° Indictione VII Regnante Domino Iesu Christo, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.



INDEX

INDEX RERVM.
QVÆ IN HOC OPERE CONTINENTVR.

A.

C.

 cit

Pseudo-

T.

V.

FINIS.



ERRATA.

PAg. 15. lin. 18. Aldenardum lege Aldenardam. p. 19. l. 4. ideoq; lege ideo sic. ibid. l. 29. appositi lege oppositi. p. 28. l. 6. abiecta lege obiecta. p. 31. l. 13. Marescullo lege Marescallo. p. 32. l. 19. Montisserr. lege Montisferr. p. 33. in fine Episcopus lege Episcopos. p. 35. l. 4 admittetur lege admitteretur. ibid. l. 33. Philipp. lege Philippi. p. 37. l. 22. conatus lege conatur. p. 41. l. 20. addescendas lege addiscendas. p. 43. l. 4. esset lege essent. p. 44. l. 5. Quercetanum bis lege Quercetanam. ibid. l. 20. Albochius lege Alborchius. ibid. l 30. idispum lege idipsum. p. 46. l. 16. recensuit lege recensui. p. 51. in tit. petant lege petunt. p. 55. l 9. à fine Exardo lege Erardo ibid. l. 7. à fine in Gallis lege in Gallijs. p. 65. in margine Ligen. lege Vigen. p. 66. in margine Bekem lege Bohem. p. 180. l. 4. quantum lege quantam. p. 234. l. 11. trepens lege erepens. p. 242 l. 3. detractam lege detracta. p. 357. l. 7. Haturam lege Naturam. p. 361. l. 10. eundem lege eundum. p. 381. l. 32. firmauitque lege firmaritque. p. 385. l. 5. num lege nam. p. 431. l. 10 à fine Miristam lege Meritzam. p. 436. l. 16. Caxytaches lege Carytaches. p. 445. l 30. Romanas Prouincias, lege Romanas in Prouincias. p. 481. l. 16. amundata lege amandata. p. 487. l. 21. legibus lege Regibus p. 491. l. 20. traiecerant lege traiecerunt. ibid. l. 22. fixerant lege fixerunt. p. 495. l. 20. mouit lege mouet. p. 519. l. 6. strare lege stare. p. 520. l. 28. regiones tandem dele tandem. p. 532. l. 9. sarcitique lege sancitique. p. 535. l. 14. eorum omnibus lege nominibus.

Note. Mathieu et Hugues Joseph nommés dans le [illegible]
[illegible]. [illegible] 833

